UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01886448 8

Mr. Finigan Rathoe
LIBRARY
Maynooth 24
TRANSFERRED 840
St. Michael's College Library
Maynooth
Maynooth

THEOLOGIA

MORALIS

USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE LUDOVICO BAILLY,

cræ Facultatis Parisiensis Baccalaureo Theologo, Professore Theologiæ emerito, Divionensis

II. *De subjecta* . . .
ART. I. *De iis qui sunt Ordinationis* . . . . . *piendiæ capaces* . . . . . .
ART. II. *De conditionibus in Ordinandis ad Ordines legitime suscipiendos requisitis* . . 76
ART. III. *De Obligationibus eorumqui Ordinibus sive majoribus sive minoribus initiantur, ubi potissimum de Cœlibatu* . . . 87
Satisfit nonnullis Quæstionibus 102
CAP. VIII. *De effectibus Ordinationi* . 104
II. PARS. *De singulis in specie Ordinationibus* 139
CAP. I. *De Tonsura clericali* 140
CAP. II. *De quatuor minoribus Ordinibus* 144
CAP. III. *De Subdiaconatu* 148
CAP. IV. *De Diaconatu* 149
CAP. V. *De Sacerdotio* 152
ART. I. *De Præsbyteratu* . . . . . ibid.
ART. II. *De Episcopatu* 154

JUL 27 1957

ST. BASIL'S SEMINARY LIBRARY

INDEX.

TRACTATUS DE ORDINE.

Pag.

I. PARS. *De Sacramento Ordinis in universum* 3

CAP. I. *De nomine, definitione et existentia Sacramenti Ordinis* . . . . . ibid.

CAP. II. *De numero Ordinum* 12

CAP. III. *An quilibet Ordo sit Sacranentum?* 18

CAP. IV. *De materia et forma Sacramenti Ordinis* 33

CAP. V. *De Auctore seu Institutore Sacramenti Ordinis* 46

CAP. VI. *De Ministro Sacramenti Ordinis* 47

CAP. VII. *De subjecto Ordinationis* . . . 68

ART. I. *De iis qui sunt Ordinationis percipiendiæ capaces* . . . . . ibid.

ART. II. *De conditionibus in Ordinandis ad Ordines legitime suscipiendos requisitis* . . 76

ART. III. *De Obligationibus eorumqui Ordinibus sive majoribus sive minoribus initiantur, ubi potissimum de Cœlibatu* . . . 87

Satisfit nonnullis Quæstionibus 102

CAP. VIII. *De effectibus Ordinationi* . 104

II. PARS. *De singulis in specie Ordinationibus* 139

CAP. I. *De Tonsura clericali* 140

CAP. II. *De quatuor minoribus Ordinibus* 144

CAP. III. *De Subdiaconatu* 148

CAP. IV. *De Diaconatu* 149

CAP. V. *De Sacerdotio* 152

ART. I. *De Præsbyteratu* . . . . . ibid.

ART. II. *De Episcopatu* 154

JUL 27 1957

INDEX.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Pag.

CAP. I. *De nomine, definitione et essentia Matrimonii* 190

CAP. II. *De institutione Matrimonii* . . 198

CAP. III. *De solemnitatibus quæ Matrimonium præcedere solent* 231

ART. I. *De sponsalibus* . . . . . ibid.

ART. II. *De bannorum denuntiatione* . . 260

CAP. IV. *De conditionibus ad Matrimonium contrahendum requisitis* 286

ART. I. *De habilitate partium ad contrahendum Matrimonium requisita, seu de Matrimonii impedimentis* 286

ART. II. *De consensu partium contrahentium ad Matrimonium requisito* 364

ART. III. *De consensu parentum ad Matrimonium filiorum requisito* 371

ART. IV. *De præsentia Parochi et Testium ad Matrimonium contrahendum requisita, seu de clandestinitate Matrimonii* . . . 387

CHAP. V. *De Ministro Sacramenti Matrinii* 404

CAP. VI. *De Materia et forma Sacramenti Matrimonii* 415

CAP. VII. *De proprietatibus Matrimonii* 419

ART. I. *De Matrimonii unitate* . . . . ibid.

ART. II. *De Matrimonii firmitate et indissolubilitate* 438

CAP. VIII. *De Matrimonii fine, bonis, obligationibus, effectibus et dispositionibus, ad illud contrahendum requisitis* 480

TRACTATUS

DE ORDINE.

QUÆCUMQUE in eo Tractatu sumus dicturi duas in partes distribuemus. In primâ parte dicemus de Sacramento Ordinis in universum. In secundâ de singulis in specie Ordinibus.

PRIMA PARS.

De Sacramento Ordinis in universum.

PARTEM hanc sequentibus capitibus complectemur. 1. De nomine, definitione et existentiâ Sacramenti Ordinis. 2. De numero Ordinum. 3. An quilibet Ordo sit Sacramentum. 4. De materiâ et forma illius Sacramenti. 5. De illius Auctore seu Institutore. 6. De Ministro. 7. De subjecto.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, definitione et existentiâ Sacramenti Ordinis.

Vox Ordinis usu ecclesiastico duo significat. 1°. Hierarchiam ecclesiasticam, seu statum Ecclesiæ Ministrorum, id est, hominum a Plebe ac Laicis

distinctorum, ad munia ecclesiastica destinatorum: sic sumptus, est aliquis status permanens. 3°. Significat actionem qua Ecclesiæ Ministri in illo statu constituuntur et ad officia ecclesiastica consecrantur. Ordo sic acceptus, est actio transiens, rectiusque appellatur Ordinatio quam Ordo.

Ordinationem hanc Latini appellant *manuum impositionem*, eo quod in Sacerdotibus inaugurandis constanter ecclesia latina manus imposuerit.

Græci eamdem Ordinationem vocant *Keirothesiam*, quæ vocula idem significat ac manuum impositio; sed eam appellant multo frequentius *Keirotonian*, id est, manuum extensionem.

Ordinatio definiri solet *Sacramentum a Christo institutum, quo Gratia, spiritalisque potestas confertur ad obeunda munia ecclesiastica, præsertim ad consecrandum Eucharistiam, cæteraque conficienda Sacramenta.*

Si quis objecerit definitionem hanc cæteris infra diaconatum Ordinibus non convenire, ut pote qui, juxta probabiliorem sententiam, nec sint Sacramenta, nec a Christo instituta, reponemus consuetum esse apud Theologos rem secundum potissimam sui partem definire.

Si quis autem exquisierit generaliorem definitionem, quæque inferioribus Ordinibus convenerit, Ordinem describemus ritum a Christo vel Ecclesia institutum, quo quis certa munia ecclesiastica exercendi potestatem accipit.

Duo veniunt hic expendenda 1°. an a Christo institutus fuerit Ordo hierarchicus, seu status quidam Ministrorum ecclesiasticorum a statu Laicorum distinctus. 2°. An actio qua constituuntur illi Ecclesiæ Ministri, seu Ordinatio, sit Sacramentum. Utrumque negavit Lutherus, lib. de Captiv. Babyl. tom. 3. de Ordine, ubi ait Sacramentum Ordinis *ab Ecclesia Christi ignorari, inventum que esse ab Ecclesia Papæ.....omnes nos æqualiter esse Sacerdotes, hoc est, eamdem in verbo et quocumque Sacramento habere potestatem: verum non licere quemquam hac*

ipsa

ipsa uti, nisi consensu communitatis aut vocatione majoris. Quibus patet inde natum esse Lutheri errorem quod jurisdictionis ecclesiasticæ conferendæ potestatem Fidelium societati, non primis Pastoribus concessam existimaverit. Quod quidem perniciosum principium non obscuris verbis renovavit Richerius Tractat. de Eccl. et civili potest. c. 1. 2.

Lutherum secuti sunt Illyricus, Kemnitius et alii communiter ejus Discipuli. Quidam tamen ejusdem sectæ Defensores Ordinationis Sacramentum agnoscunt.

Calvinus quamvis multis in locis duo tantum cum Luthero Sacramenta recenseat, Baptismum nempe et Eucharistiam, lib. tamen 4. Institut. c. 14. de Ordine tanquam de Sacramento loquitur. Calvini ea de re variationes imitati sunt ejus Discipuli.

Quamvis divinam sacræ hierarchiæ institutionem invicte probaverit, qui Sacramenti Ordinis existentiam demonstraverit, utrumque Hæreticorum errorem perspicuitatis causa sigillatim hic refellemus.

PROPOSITIO I.

Status Clericorum id est, virorum ad sacra obeunda dispensandaque Fidelibus Sacramenta deputatorum, a statu Laicorum divina institutione distinguitur, ac proinde existit sacra hierarchia.

Prob. 1°. *ex veteri Testamento.* In antiqua Lege Tribus Levi a Deo specialiter destinata est ad functiones ecclesiasticas exercendas, exclusis aliis. Hinc Core, Dathan et Abiron, terra dehiscente, absorpti sunt, quod cum essent ex alia Tribu, sese rebus sacris immiscere voluerint. Cum itaque sacerdotium novæ Legis veteri sit infinite præstantius, multo magis debuit a statu plebeio distingui.

Prob. 2°. *ex novo Testamento.* Act. 20. v. 28. *Attendite*

Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Eph. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas.....in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*

Heb. 5. v. 1. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus prohominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.....nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron; sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret.*

Prob. 3°. *ex Traditione.* S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos sic loquitur: *Cuncti revereantur Diaconos ut mandatum Dei Jesu Christi, et Episcopum ut eum qui est figura Patris, Præsbyteros autem ut consessum Dei et ut conjunctionem Apostolorum: sine his Ecclesia non vocatur.*

Omissis aliis bene multis, eximiam Constantini Imperatoris ad eos, qui adversus Coepiscopos opem implorabant, responsionem adjungemus: *Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit judicandi; et ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis ab eo judicari.*

Prob. 4°. *ex propositione sequenti,* ubi ostendemus Ordinationem Sacramentum esse certo statui proprium non omnibus commune.

Prob. 5°. *ex Concil. Trid.* sess. 32. can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divino ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris et Ministris, anathema sit..*

In Tractatu de Sacramento Eucharistiæ, ubi de Ministro, solvimus difficultates ex Scriptura et Traditione, quas Hæretici adversus præsentem propositionem urgere solent.

PROPOSITIO II.

Ordo seu Ordinatio verum est novæ Legis Sacramentum.

Prob. 1°. *ex Scripturis.* Ad verum novæ Legis Sacramentum

Sacramentum tria requiruntur & sufficiunt, fatentibus Hæreticis, videlicet 1°. ut sit ritus sensibilis, 2°. ut ritus ille habeat vim producendi Gratiam, 3°. ut a Christo sit institutus permanenter ac præceptus: atqui tria hæc in Ordinatione reperiuntur.

1°. In Ordinatione reperitur ritus externus et sensibilis nempe manuum impositio, ut constat de Ordinatione Diaconorum, act. 6. v. 6. *Orantes imposuerunt eis manus;* de Ordinatione Præsbyterorum act 14. v. 23. *Cum constituissent illis Præsbyteros*, græce, *Keirotonaisantes*, id est, manus imponentes; de Ordinatione Episcoporum act 13. *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt eos*, nempe Paulum et Barnabam.

2°. Ritus ille seu manuum impositio vim habet producendi Gratiam 1 Timoth. 4. *Noli negligere Gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum præsbyterii.* 2 Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

3°. Ritus ille a Christo institutus est ad conferendam Gratiam; quia, concedentibus Hæreticis, ex solo Deo Gratiæ producendæ vim habere potest. Aliunde Ordinem a Deo esse institutum ac præceptum constat ex variis Scripturæ locis, act 13. *Segregate mihi Saulum et Barnabam.* 1 Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi.* Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios vero Pastores et Doctores.*

4°. Institutus ac præceptus est permanenter, cum in Ecclesia constanter Diaconi Præsbyteri et Episcopi per manuum impositionem ordinati sint, ut constat ex Annalibus ecclesiasticis.

Prob. 2°. ex Conciliis. Chalcedonense œcumen. can. 2. *Si quis Episcopus propter pecunias Ordinationem fecerit et non venalem Gratiam vendiderit..... .....de proprio gradu in periculum veniat.* Sacerdotium igitur Gratiam habet sibi annexam, quam vendere nefas est, ac proinde Sacramentum est.

Idem

Idem habent Conc. Bracarense an. 572, can. 3, Toletanum 8. an. 653. capitulo 3.

Prob. 3°. *ex S. Pontificibus.* Innoc. I. Epist. 18. cap. 3. in Ordinatione *Spiritus Sancti plenitudinem* dari affirmat.

S. Leo Epist. 11. alias 81. ad Dioscorum Alex. cap. 1. ait: *Volumus ut jejunis et a jejunantibus benedictio sacerdotalis conferatur.....ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.*

Greg. Magnus, lib. 4. in 1. Regum c. 5. *Qui in culmine* (sacerdotii) *ponitur, sacra suscipit Unctionis. Quia vero ipsa Unctio Sacramentum est, is qui promovetur bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboratur.*

Prob. 4°. *ex SS. PP.* S. Ambrosius, Lib. de Dignitate sacerdotali, c. 5. *Homo imponit manus, Deus largitur Gratiam.....Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem.*

S. August. lib. 2. contra Parmenionem, c. 13. contra Donatistas: *Ipsi explicent*, inquit, *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti. Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur?*

Eamdem doctrinam tenent Cyrillus Alexand. lib. 12. in Joan. Hieronym. contra Luciferianos, et alii Patres.

Prob. 5°. *argumento præscriptionis.* Nimirum antequam Lutheras suos errores disseminaret, Ecclesiæ universæ Ordinem Sacramentis accensebant. De Occidentalibus id demonstrant Libri rituales antiquissimi, suffragantur ipsi Pseudo-reformati qui doctrinam hanc ipsis in crimen ac prævaricationem vertunt. Imo eamdem Fidem tenuisse illos ipsos, qui plus novitatem inhiabant, nempe Valdenses, Viclefum, Joannem Hus, Fratres Bohemos, invicte ex ipsis Protestantibus ac eorum Fidei professionibus demonstrat illustrissimus Bossuetius, lib. 11. Variationum. Nec minus certum est Græcos omnes et Orientales sive Catholicos sive Hæreticos aut Schismaticos,

maticos, videlicet Nestorianos, Jacobitas, Cophtos, Armenos, Æthiopes, habere Episcopos, Presbyteros, Diaconos, &c. Septem Sacramenta illos admittere, ac inter ea Ordinationem temporibus Lutheri collocasse ac etiamnum collocare, constat ex repetitis orientalium Patriarcharum declarationibus, diversarum Synodorum Decretis ac Documentis, græcorum Theologorum Scriptis, Librisque ritualibus ac pontificalibus omnibus, qui ubique in istis Regionibus exstant.

Tanta porro concordia in tot Ecclesiis, tamque diversis sectis ac factionibus luculentissimum argumentum est Fidem hanc ab Apostolis, ac consequenter ab ipso Christo descendere, et sic de manu ad manum ad nos usque fuisse transmissam. Si quid enim in Ecclesia v. g. Romana ea de re fuisset innovatum, reclamassent tot sectæ quæ odio capitali illam insectabantur, neque profecto ab ea novum istud Dogma recepissent.

Prob. 6°. *ex Concil. Trid.* sess. 23. can. 3. *Si quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo institutum..... anathema sit.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Ordinatio, ex dictis, posita est in manuum impositione. Porro Christus illam non usurpavit, cum Apostolos fecit Sacerdotes. Neque enim manus eis imposuit, cum Luc. 22. dedit eis potestatem suum corpus consecrandi, *hoc facite in meam commemorationem;* neque cum Joan. 20. contulit eis potestatem dimittendi peccata, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis,* &c. Igitur Ordinatio non fuit a Christo instituta.

R. 1°. multa a Christo fuisse peracta quæ in Scripturis non leguntur. Quamvis ergo non legatur in Scripturis Christum cum Apostolos Sacerdotes fecit, manus eis imposuisse, inde consequens non est id ab eo non fuisse factitatum. *R.* 2°. potuisse

R. 2°. potuisse Christum, nullo observato ritu externo, adeoque sine Sacramento, Apostolos ordinare Sacerdotes, et tamen præcipere ut in posterum non crearentur sive Episcopi sive Presbyteri aliter quam per ritum externum, v. g. manuum impositionem, cui Gratiam sacramentalem alligavit. Sic autem a Christo fuisse demandatum abunde demonstrat Ecclesiæ Traditio. Sic quamvis idem Christus peccatricem sine Sacramento absolverit, voluit tamen ut per Pœnitentiæ Sacramentum Peccatores in futurum absolverentur.

Inst. Impositio manuum nunquam fuit signum sacramentale, sed cæremonia quædam communis qua Apostoli Judæorum more passim utebantur, sive cum morbos curabant, sive cum veniam pro Peccatoribus postulabant, sive etiam cum suffragium alicui dabant, v. g. ut eligeretur ad Magistratum.

R. ex ista argumentatione colligi quidem posse non omnem ab Apostolis usurpatam manuum impositionem, fuisse sacramentalem, idque lubenter fatemur. Verum non inde consequens est manuum impositionem in Ordinatione Ministrorum Ecclesiæ ab Apostolis usurpatam, non esse sacramentalem; imo cum certo noverimus sive ex Scripturis sive ex Traditione huic manuum impositioni annexam esse Gratiam, nullum dubium est quin illa sit verum Ecclesiæ Sacramentum. Sic licet pleræque Judæorum ablutiones seu Baptismata utique a Christo et Apostolis observata meræ forent cæremoniæ, non audent ex eo colligere Pseudo-reformati Baptisma quo initiantur Christiani, verum non esse Sacramentum.

Obj. 2°. Gratia, quæ 1. ad Timoth. 4. dicitur data per manuum impositionem, non est Gratia sanctificans quæ per Sacramentum confertur, sed Gratia gratis data, ut constat 1°. quia non exprimitur nomine *karis*, quo Gratia sanctificans exprimi solet; sed nomine, *karisma*, quo gratis data significatur. 2°. Quia dicitur data per *prophetiam*, id est, in prophetiam, in illuminationem Fidelium.

Gratiam

R. Gratiam, que Timotheo collata legitur, fuisse sanctificantem. Paulus enim 2. Timoth. 1. Gratiam explicans quæ Timotheo per impositionem manuum data esset, illam appellat *spiritum virtutis & dilectionis.* Gratia autem dilectionis est Gratia sanctificans per Spiritum Sanctum diffusa in cordibus nostris.

Ad 1. Nomen charismatis, quamvis frequenter apud Paulum significet Gratiam gratis datam, non tamen ita raro apud eumdem accipitur ad significandam Gratiam sanctificantem, eoque sensu nuncupari debet Rom. 6. v. 23. *Gratia* (charisma) *Dei vita æterna.* Ita etiam 1 Cor. 7. v. 7.

Ad 2. Tametsi concederetur Gratiam gratis datam Timotheo tunc fuisse collatam, non inde sequeretur ei datam non fuisse Gratiam sanctificantem. Etsi enim Apostoli in die Pentecostes acceperint dona Spiritus Sancti, dona linguarum, prophetiæ, miraculorum, non inde colligi potest eos Gratiam sanctificantem non accepisse.

Addo communiorum ac veriorem, ut videtur, interpretationem esse, per prophetiam hic non significari effectum Ordinationis, sed causam propter quam Paulus Timotheum ordinavit, nempe revelationem ei factam ut Timotheum in Episcopum consecraret, adeo ut sensus sit, *noli negligere Gratiam quæ data est tibi per prophetiam*, id est, est, secundum prophetiam seu revelationem mihi factam.

Objec. 3°. Sacramentum quodcumque, præceptum ex parte Dei de certo ritu in perpetuum exercendo requirit: atqui nullum hujusmodi, quantum ad Ordinem, Dei mandatum exstat. Ergo, &c.

R. 1°. mandatum istud, si non in Scripturis, saltem exstare in Traditione, quæ non potest Ordinationem inter Sacramenta recensere, nisi divinum mandatum exprimat.

R. 2°. mandatum istud æquivalenter in Scripturis exstare. Christus enim Gratiam impositioni manuum annectere non potuit, quin vellet illum ritum observari. Licet igitur expresse non dixerit

in

in Scripturis, *imponite manus*, id tamen dixit æquivalenter, huic manuum impositioni Gratiam alligando.

Quædam alia objici solent, sed hæc diluimus in Tractatu de Eucharistia, ubi de Ministro Eucharistiæ disseruimus.

CAPUT SECUNDUM.

De numero Ordinum.

SEPTENARIUM Ordinum numerum in Ecclesia latina receptum damnarunt Lutherani et Calviniani, contra quos sit.

PROPOSITIO.

A primis Ecclesiæ temporibus septem sunt apud Latinos Ordines, nempe Præsbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, et hi majores dicuntur; Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, et hi minores appellantur.

Prob. 1°. testimoniis Veterum, qui conjunctim septem hos Ordines recensent.

Cornelius S. Pontifex versus medium sæc. 3. Epist. ad Fabianum Antioch. apud Euseb. lib. 6. Hist. c. 43. edit. Valesii, asserit suo tempore Romæ fuisse Præsbyteros 44. Diaconos 7. totidem Subdiaconos, Acolytos 44. Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52.

Synodus Carthag. 4. eosdem Ordines distincte enumerat, eorumque Ordinationes sigillatim describit.

In Sacramentario Greg. Magni referuntur varii Ritus singulorum illorum Ordinum, nempe *Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Præsbyteri.*

Isidorus

Isidorus Hispalensis, lib. 7. Originum, c. 12. *Generaliter*, inquit, *Clerici nuncupantur omnes qui in Ecclesia Dei deserviunt, quorum gradus et nomina hæc sunt, Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Præsbyter et Episcopus.*

Alcuinus Lib. de divinis Officiis, cap. 34. de ecclesiastico Ordine, septem Ordines prædictos recenset.

In Ordine Romano, tom. 10. Bibliothecæ Patrum totidem enumerantur, Idem docent Amalarius, Fortunatus, Isidorus Mercator, Rabanus Maurus, & alii multi quos citat Vitassius in Tractatu de Ordine.

Prob. 2°· auctoritate illorum qui Ordinum eorum aliquos aut plures commemorant. Ut enim Sacerdotes & Diaconos pretermittamus de quibus Scripturæ loquuntur.

1°· Subdiaconos et Acolytos ævo suo jam fuisse in Ecclesia refert Cyprian. Epist. 24. 28. 78. 79. edit. Rigaltii.

2°· Concil. Tolet. 1. can. 4. Subdiaconos, Ostiarios, Lectores memorat.

Exorcistæ leguntur in Epist. Firmiliani ad Cyprian. inter ejusdem Cypriani Epistolas, in Conc. Carthag. 4. can. 90. apud Hilarium Lib. de Synodis, Hieronym. in c. 2. ad Titum.

De Lectoribus mentionem faciunt Tertullian. Lib. de Præscriptionibus hæret. c. 41. Cyprianus Epistol. 24. et 34. Concil. Carthag. 3. can. 19 Bracarense, can 11.

Qui alia testimonia voluerit, adeat Vitassium modo laudatum.

Prob. 3°· *ex Conc. Trid.* quod post Eug. IV. septenarium quoque Ordinum numerum recenset: *Consentaneum fuit*, inquit sess. 23. c. 2. *ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent Ministrorum Ordines qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina atque uniuscuiusque*

cujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris et Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.

Notandum est tamen, Concilium quidem septem Ordines commemorare, non definisse vero an sint duntaxat numero septem, nec plures nec pauciores, ne videlicet damnaret Græcos qui tantum quatuor, vel quosdam Scholasticos qui plures quam septem Ordines admittunt. Unde id unum ad Fidem pertinet quod can. 2. definitum est, nempe præter sacerdotium alios esse in Ecclesia Ordines et majores et minores.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Plures ex supra laudatis Auctoribus, Cornelius Pontifex, Gregor. Magnus, Isidorus Hispalensis, Alcuinus & alii, septem prædictis Ordinibus Episcopatum addunt. Ergo non sunt tantum septem Ordines ecclesiastici.

R. 1°. eo loci a nobis refelli Hæreticos; qui numerum Ordinum minuunt, nec septenarium esse volunt. Quod si octo cum quibusdam Theologis vel Canonistis esse velis, multo potiori jure septem erunt, ac proinde causa cadunt Hæretici.

R. 2°. triplicem esse Theologorum opinionem circa præsentem quæstionem. 1. eorum est qui volunt episcopatum non esse Ordinem distinctum a præsbyteratu, sed meram sacerdotii extensionem, adeo ut uterque ille gradus potestate quidem differat, sed unum tamen Ordinem contineat. Patet in ea sententia septem esse tantum Ordines. Ii Theologi laudatos in objectione Patres, non de Ordinibus diversis, sed de variis Ecclesiæ Ministrorum gradibus explicant; & quidem eo verisimilius quod quidam inter illos de gradibus expresse loquantur. 2. opinio eorum est qui episcopatus Ordinem distinguunt a sacerdotali, & octo Ordines cum Doctoribus canonicis admittere non dubitant. 3. quæ nobis videtur

videtur probabilior opinio, eorum est qui episcopatus Ordinem a sacerdotali cum Patronis secundæ sententiæ distinguentes, unum tamen ex episcopatu et præsbyteratu generice Ordinem conficiunt, quamvis specie sint diversi. Nempe, inquiunt, sacerdotium est quoddam genus cui præsbyteratus et episcopatus tanquam species subjacent, ac proinde sacerdotium generatim spectatum constitutit septimum Ordinem, qui quidem septimus Ordo postea dividitur in presbyteratum qui est illius initium, et episcopatum qui est illius perfectio. Nimirum, ut explicat Bellarminus, Ordines sumuntur ab habitudine ad Eucharistiam, et quia summa circa Eucharistiam potestas, est potestas eam conficiendi, ideo primus ordo est Sacerdotum seu eorum qui Eucharistiam conficere possunt. Quia tamen potestatem hanc diversimode participant, et Præsbyteri qui corpus Christi consecrant, et Episcopi qui consecrant et potestatem consecrandi aliis dare possunt, inde duæ sunt species Sacerdotum qui unum genus Ordinis seu unum Ordinem constituunt, quia summa ac præcipua potestas iis communis est.

Obj. 2°. S. Ignatius Martyr, Hieronymus et alii permulti Psalmistis seu Cantores inter Ordines ecclesiasticos recensent. Ergo plures sunt quam septem Ordines.

R. dist. Cantores recensentur inter ecclesiasticos Ordines improprie dictos, seu ut officium ecclesiasticum, *conc.* inter Ordines proprie dictos, *neg.* Id patet 1°. ex Concilio Carthag. 4. Postquam enim Clericos omnes recensuit eorumque Ordinationes descripsit, Cantoris addit officium ; sed monet illud sine Ordinatione esse. Ubi autem non est Ordinatio, ibi nullus est Ordo ecclesiasticus. Officium vero ecclesiasticum, cum totum pendeat ex arbitrio Superioris ecclesiastici, potest esse sine Ordinatione. Idem constat 2°. ex Rabano qui recenset quidem Psalmistas ; sed satis indicat eos cum Laicis fuisse permixtos.

Obj. 3°. Fossarii, seu qui humandis defuncto-

rum corporibus operam ex officio dabant, inter Clericos numerantur a S. Hieronymo Epist. 49. et a multis aliis Veteribus.

R. dist. Fossarii numerantur inter Clericos, quatenus exercebant officium peculiare, vel etiam forte certis Clericis annexum, *conc.* quasi exercentes Ordinem distinctum ac proprie dictum, *neg.* Responsio patet 1°. ex eo quod nulla apud Veteres aut Recentiores legatur eorum Ordinatio. 2°. Quia nunquam Concilia aut S. Pontifices eos recensuerunt inter Ordines episcopatui vel præsbyteratui necessario prævios. 3°. Notat Gotofredus ad Legem de lustrali contagione illos privilegiis Clericorum non esse potitos.

Obj. 4°. Tonsura est Ordo. Ergo, &c.

R. n. ant. Est enim tantum dispositio ad Ordines, ut postea videbimus. Et vero Ordo est actio sacra qua cuipiam tribuitur spiritalis potestas certa quædam et determinata munia ecclesiastica exercendi. Porro tonsuræ nulla est potestas, nulla functio. Confert tantum potentiam passivam suscipiendi Beneficia ecclesiastica, sed ad verum Ordinem talis potestas non sufficit. Ad vero requiritur potentia activa obeundi quædam munia ecclesiastica.

Obj. 5°. Canonici Juris Interpretes novem Ordines admittere solent.

R. 1°. Canonistas inter se de numero Ordinum non consentire, ut videre est apud Joan. de Turrecremata ad distinctionem 23. canone, *Psalmista.*

R. 2°. Præ Canonistis audiendos esse Theologos qui solent esse accuratiores, et ad quos proprio quodam jure pertinent quæcumque spectant ad Sacramenta, aliasve quæstiones theologicas.

Obj. 6°. Falsum est SS. Patres admisisse septem Ordines. S. Hieronymus in cap. 19. Isaiæ, tres tantum constituit Clericorum Ordines, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, quibus adjungit Fideles et Catechumenos.

Ambrosueaster in cap. 4. Epist. ad Eph. quinque Ordines recenset, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Lectorum et Exorcistarum.

Optatus

Optatus Milevitanus, lib. 2. contra Donatistas tres tantum Clericorum Ordines, commemorat, nempe Episcopos, Præsbyteros, Diaconos, quibus Fideles addit.

R. ad 1. S. Hieronymus hic recenset Christianorum, non Clericorum statum, ut patet ex eo quod Episcopis, Præsbyteris et Diaconis adjungat Fideles et Catechumenos. Quis enim crediderit catechumenatum seu statum non baptizati, inter Ordines a S. Hieronymo numerari?

His addo S. Hieronymum, ut non pauci alii Patres, per Diaconos intellexisse eos cunctos qui altaribus ministrant, quos ipse alibi sigillatim appellat. Sic Epist. 91. Subdiaconos memorat, Epist. 2. Acolytos; Commentario autem in cap. 2. Epist. ad Titum. Exorcistas Lectores et Ostiarios.

Ad 2. Ambrosiaster quinque Ordinum eo loci tantum meminit, quia ipsius institutum non postulabat ut de duobus aliis Ordinibus loqueretur. Non definit autem alios præterea non esse Ordines.

Ad 3. Optatus Milevitanus Hieronymum sequitur eodemque modo debet intelligi.

Cæterum cum inter præfatos Ordines quidam ab Ecclesia, non a Christo fuerint instituti, ut postea videbimus, hinc non semper obtinuerunt omnes in omnibus Ecclesiis. Hinc quidam omittuntur a nonnullis Patribus, quia eos tantum recensebant qui frequentabantur in locis ubi degebant. At non negabant aliis in locis alios Ordines obtinere.

Quæres 1°. an idem apud Græcos et Orientales, quam apud Latinos, fuerit Ordinum ecclesiasticorum numerus?

R. e septem memoratis Ordinibus quatuor tantum a Græcis et Orientalibus observari, nempe Præsbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum et Lectorum. Id constat quia in omnibus Euchologiis Græcorum et Orientalium ab octingentis annis usitatorum memorantur quidem Lectorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Præsbyterorum, Episcoporum Ordines, eorumque ritus describuntur; in iis vero prætermissi

prætermissi sunt Acolyti, Exorcistæ et Ostiarii. Quis vero crediderit tres illos Ordines in istis Libris constanter fuisse prætermissos, si apud Græcos aut Orientales obtinuissent?

Dices 1°. Dionysius Areopagita Lib. de Eccles. Hier. tres duntaxat agnoscit Ordines, scilicet Episcoporum, Præsbyterorum, Diaconorum. Igitur ex ipsis Auctoribus græcis quatuor non fuerunt olim apud Græcos Ordines.

R. S. Dionysium hic recensere tantum Ordines hierarchicos, seu qui annexum quemdam habent in Plebem christianam principatum; non vero singulos Ordines. Porro fatemur tres tantum esse Ordines hierarchicos, nempe episcopatum, præsbyteratum et diaconatum, prout definitum est a Concil. Trid. sess. 24. can. 6.

Dices 2°. S. Ignatius Epist. ad Antiochenos sic loquitur: *Saluto sanctum præsbyterium, Diaconos Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Confessores, Virgines, Viduas.* Quibus patet græcos Patres numerari plures quâm quatuor Ordines.

R. 1°. hanc Epistolam sub nomine Ignatii fuisse suppositam, ut fatentur Eruditi omnes.

2°. Ostiarii et Exorcistæ hic quidem memorantur. At non licet inde concludere illos habitos fuisse ut Ordines proprie dictos, nisi pariter concludatur Virginum ac Viduarum que eo loci quoque commemorantur, propriam ac veram fuisse Ordinationem. Ibi igitur promiscue memorantur tum Ordines proprie dicti, tum Ordines improprie dicti, seu ministeria quædam exerceri solita etiam a mulieribus, quæ quidem officia citra Ordinationem proprie dictam conferebantur, quamvis tamen interdum benedictiones quædam etiam cum manus impositione in iis constituendis adhiberentur.

Eodem modo intelligi debent tum S. Epiphan. in expositione Fidei c. 21. tum can. 24. Concilii Laodic. ubi diversa officia ecclesiastica præmixtim cum variis Ecclesiæ Ordinibus recensentur.

Dices 3°. Joannes VIII. in Epistola ad Imperatores

tores Græcorum meminit acolytatus: *Volumus*, inquit, *ut promovendus ad Episcopatum sit primum Lector, deinde Acolytus, postea Diaconus, tum Præsbyter, posthæc Episcopus.* Ergo inter Græcos erant Acolyti.

R. S. Pontificem per acolytatum ibi intelligere subdiaconatum, cujus officia pleraque suis Acolytis Græci committebant. Summus enim Pontifex, prætermisso subdiaconatu, secundo loco ponit acolytatum. Quis porro crediderit Ordinem sacrum apud Græcos omnium sæculorum disciplina notissimum a Joanne VIII. velut inutilem fuisse prætermissum ut in ejus locum subrogaretur acolytatus apud eos inusitatus, cujus conferendi ritum silent prorsus eorum Euchologia.

Dices 4°. Gabriel Philadelphiensis in Lib. de Sacramentis, septem Ordines recenset.

R. nullam esse illius auctoritatem, eumque Latinos cum Græcis conciliari volentem ab antiquo suæ Ecclesiæ usu recessisse. Aliunde nequidem cum Latinis consentit, cum Janitorum et Acolytorum eumdem Ordinem faciat, Acolytos infra Exorcistas, et Exorcistas infra Lectores collocet, episcopatumque septimo loco reponat.

Quædam alia objici solent, sed ex iis quæ modo dicta sunt facile diluuntur.

Quæres 2°. quomodo Ordines nunc in Ecclesia latina dividantur?

R. illos dividi in majores seu sacros, et minores seu non sacros. Inter Ordines majores seu sacros collocantur præsbyteratus, diaconatus et subdiaconatus: inter minores vero seu non sacros quatuor alii recensentur. Cur Ordines sacri sic appellentur, in hunc modum exponit S. Th. in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. *Ordo*, inquit, *dicitur sacer dupliciter: non modo secundum se, et sic quilibet Ordo est sacer...alio modo ratione materiæ circa quam habet aliquem actum; et sic Ordo sacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Sic sunt tres tantum Ordines sacri, scilicet*

Sacerdos et Diaconus qui habent aliquem actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et Subdiaconus qui habet actum circa vasa consecrata; et ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti et mundi sint qui sancta tractant.

Ideo autem iidem Ordines dicuntur majores, quod nobiliores sint ac majoris dignitatis eorum functiones, cum ad sacra mysteria propius accedant.

CAPUT TERTIUM.

An quilibet Ordo sit Sacramentum?

De præsbyteratu nulla potest esse difficultas. Cum enim de Fide sit Ordinem esse Sacramentum, id saltem de præsbyteratu debet intelligi, ac revera quæcumque antea retulimus sive ex Scripturis sive ex Traditione argumenta, ut ostenderemus Ordinationem esse unum e septem Sacramentis, directe ac præcipue ad sacerdotium spectant. Igitur Dogma est Fidei a Catholicis omnibus admissum rationem Sacramenti sacerdotio competere. At non consentiunt inter se Theologi utrum eadem ratio Sacramenti conveniat aliis Ordinibus, nec desunt inter illos qui solum præsbyteratum e septem Ordinibus verum esse Sacramentum contendunt. Quid certum magis nobis esse videatur, in sequentibus propositionibus aperiemus.

PROPOSITIO I.

Episcopatus est verum ac proprie dictum Sacramentum.

Ita vulgo Theologi contra Hugonem a S. Victore, Alensem, Bonaventuram, qui contendunt Ordinationem episcopalem non esse Sacramentum, sed tantum sacramentale aliquid characterem nullum

lum imprimens, qui sit a charactere sacerdotali distinctus. Confitentur tamen Ordinatione episcopali dignitatem ac potestatem præsbyterali majorem conferri, idque ex institutione Christi.

Prob. 1°. quia pleraque ex iis argumentis, quibus antea demonstravimus Ordinem esse Sacramentum, ad Ordinationem episcopalem spectant.

2°. Sacramentum, ex toties dictis, ritus est exterior, Gratiæ conferendæ vim habens, a Christo institutus permanenter: atqui talis est Ordinatio episcopalis. 1°. In Ordinatione episcopali ritus est exterior, nempe manuum impositio 2 Timoth. 1 *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 2°. Ritus ille vim habet conferendæ Gratiæ, ut manifeste patet ex eodem textu. 3°. Fuit a Christo institutus permanenter, cum in Ecclesia constanter Episcopi per impositionem manuum ordinati fuerint, ut constat Historia omnium sæculorum, utque infra videbimus, ubi de materia Sacramenti Ordinis.

3°. Episcopatum Sacramentum appellarunt Tertul. Lib. de Præscript. cap. 40. Africani Præsules in Epist. ad Marcellinum cap. 2. num. 68. S. Leo Epist. 11. ubi Ordinationem S. Pauli Barnabæ vocat benedictionis Sacramentum, Gregorius Magnus lib. 4. in 1 Reg. c. 5. ubi benedictionem Episcoporum pluries Sacramentum appellat.

4°. Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, et alii quos citat Vitassius, episcopali Ordinatione Gratiam conferri docent. Porro asserere Ordinationem episcopalem producendæ Gratiæ virtutem habere, idem est ac asserere illam esse Sacramentum.

5°. Concil. Trid. sess. 23. cap. 3. probat Ordinationem esse Sacramentum ex istis Pauli verbis ad Timotheum Episcopum; *Admoneo te ut resuscites Gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Nisi autem Ordinatio episcopalis verum sit Sacramentum, necessario consequitur mancum esse ac prorsus nullum supra dicti Concilii argumentum quod tamen Catholicorum nemo dixerit.

6°.

6°. Constat insuper ex innumeris SS. Patrum testimoniis potestatem Ordinis in episcopali consecratione receptam, indelebilem esse, adeo ut nec depositione nec degradatione nec schismate possit auferri. Unde non magis potest iterari Episcopi Ordinatio quam Præsbyteri vel Diaconi. Atqui non alia fuit hujus disciplinæ causa, nisi quia semper creditum est per episcopatum characterem episcopalem infigi. Ita Auctor de re sacramentaria.

Quæres an episcopatus sit Sacramentum a præsbyteratu distinctum?

1°. *Respondent nonnulli* episcopatum non esse Sacramentum natura & speciali charactere a præsbyteratu distinctum, sed characterem episcopalem meram esse sacerdotalis extensionem. In ea sententia episcopatus non differt a præsbyteratu nisi eo modo quo res perfecta ab eadem re imperfecta & inchoata differt: ut puer generare impotens, ait Mussonius, crescente ætate vir factus & generationi idoneus, alter a se ipso non evasit, sic Præsbyter episcopali consecratione ad Præsbyteros generandos, aliosque Ecclesiæ Ministros factus est idoneus.

R. 2°. verisimiliorem esse sententiam eorum qui dicunt episcopatum esse Sacramentum specie a præsbyteratu distinctum, qui diversum imprimat characterem, cui tamen præsbyteratus necessario præexistere debet, ut ædificio fundamentum.

Prima ratio est, quia si episcopatus dicatur tantum sacerdotalis characteris extensio, pari jure præsbyteratus dici poterit characteris diaconalis diffusio, nec ab eo diversus erit natura.

Secunda ratio est, quia diversi sunt episcopatum & præsbyteratum conferendi ritus, & diversæ utriusque Gratiæ: cum aliæ Episcopis, aliæ Præsbyteris necessariæ sint. Diversæ insuper potestates; cum Episcopus possit ordinare, confirmare, non autem simplex Præsbyter. Nihil est igitur cur episcopatus mera dicatur Præsbyteratus extensio.

Solvuntur

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Si episcopatus sit Sacramentum quoddam peculiare, plura erunt quam septem Sacramenta. Atqui, &c.

R. neg. maj. Quamvis enim diaconatus, imo & alii Ordines, juxta eos ipsos qui episcopatum Sacramentum esse inficiantur, Sacramenti rationem sibi vindicent, non ideo tamen augetur Sacramentorum numerus; nec igitur simili jure dici potest eum numerum augeri in sententia eorum qui contendunt episcopatum esse Sacramentum a præsbyteratu distinctum. Ratio a priori est, quia Sacramentorum multiplicitas desumitur non ex signorum materialiter sumptorum multiplicitate, sed ex diversitate finis & effectus ad quem ordinantur illa signa. Porro sacerdotium in quo ex antea dictis episcopatus & præsbyteratus tanquam duæ species in uno genere continentur, diaconatus, sicut subdiaconatus & alii Ordines ad eumdem finem, puta confectionem & administrationem corporis Christi, referuntur; ac proinde licet singuli Ordines sibi rationem Sacramenti vindicarent, ut placet nonnullis, unum tamen Sacramentum constituerent; ii tamen diversi sunt Ordines eo quod diversimode ad corporis Christi confectionem spectent.

Obj. 2°. Si episcopatus esset Sacramentum characterem a præsbyterali distinctum imprimens, foret ille character præsbyterali præstantior. Atqui nullus est character præstantior præsbyterali, qui potestatem præbet Christi corpus conficiendi, Ergo, &c.

R. neg. min. Nam procul dubio character episcopalis adæquate sumptus præstantior est charactere præsbyterali, cum includat sacerdotium perfectum, cumque habeat quicquid inest præsbyteratui, et præterea aliquid amplius, nempe potestatem Fideles baptizatos confirmandi, Præsbyteros ipsos consecrandi, &c.

Obj.

Obj. 3°. Si episcopatus sit Sacramentum a præsbyteratu distinctum, potest quis non Præsbyter in Episcopum valide consecrari; quæ enim a se invicem distinguuntur, possunt seorsim existere. Atqui, &c.

R. neg. maj. Character enim episcopalis essentialiter et ex institutione divina præsupponit characterem presbyteralem, ut ex Traditione compertum habemus. Sic ædificium in physicis non potest esse sine fundamento, nec in ipsis rebus sacramentariis character confirmatorius sine baptismali potest existere.

Nec dicas præsbyteratum posse sine diaconatu conferri, ac proinde simili ratione episcopatum dari posse sine præsbyteratu. Nam ratio disparitatis est, quia functiones Sacerdotis non pendent a charactere diaconatus, character vero episcopalis præsbyteralem, Deo ita instituente, necessario præsupponit.

Obj. 4°. Ordinum distinctio oritur ex habitudine quam habent ad consecrationem Eucharistiæ: atqui episcopatus hac in parte nihil addit præsbyteratui; ergo non est Sacramentum ab eo distinctum.

R. n. min. Nam Præsbyteri Eucharistiam consecrant, Episcopi vero præterea illam consecrandi potestatem communicant.

Obj. 5°. Non magis episcopatus est Sacramentum a præsbyteratu distinctum, quam archiepiscopatus ab episcopatu.

R. nullam esse paritatem. Episcopatus enim, licet non det potestatem alterius generis a præsbyteratu, confert tamen potestatem alterius speciei ab eodem præsbyteratu. Archiepiscopatus vero ampliorem quidem quam Episcopus potestatem ratione subditorum et jurisdictionis habet, sed intra eamdem prorsus speciem. Præterea neque ex Scripturis neque ex Traditione colligi potest archiepiscopatum esse Sacramentum; ergo nulla comparatio.

PROPOSITIO.

PROPOSITIO II.

Dioconatus seu Ordinatio Diaconi verum est novæ Legis Sacramentum.

Ita communiter Theologi contra Durandum, Cajetanum, Maldonatum.

Prob. ex eo quod in diaconatu reperiantur conditiones ad verum Sacramentum requisitæ.

1°. Est ritus sensibilis, Nam act. 6. ubi de Ordinatione septem Diaconorum, sic legitur *Orantes imposuerunt eis manus.*

2°. Ritus ille Gratiæ conferendæ virtutem habet, ut constat 1°. quia Apostoli act. 6. orationem ac manuum impositionem ad constituendos Diaconos adhibuerunt. Ea autem oratio non fuit otiosa et sterilis, sed producendæ Gratiæ efficax, ut videre est in aliis similibus Scripturæ locis. 2°. Quia Stephanus post acceptam diaconi Ordinationem dicitur *plenus Spiritu Sancto, sapientia et fortitudine*, 3°. Episcopus, ut patet ex omnibus Ritualibus, in Ordinatione Diaconi, ait: *accipe Spiritum Sanctum.* Quæ verba vana ac sterilia esse non possunt. 4. Conc. Chalcedonense can. 2. docet *Episcopum qui propter pecuniam Episcopos, Præsbyteros, aut Diaconos ordinat, vendere Gratiam pretio inæstimabilem.* Ergo æstimabat Gratiam Ordinatione Diaconi conferri.

3°. Ritus ille a Christo est institutus. Nam 1° si non esset a Deo institutus, Gratiæ conferendæ vim non haberet. 2°. Similis est Ritui quo Episcopi et Præsbyteri ordinantur : atqui divinæ institutionis sunt Ritus in utroque illo ordine observari soliti. 3°. Credibile non est Apostolos in Ministris Ecclesiæ constituendis aliter egisse quam ipsis mandasset Christus. 4°. Diaconos esse a Christo institutos docent SS. Patres. *Cuncti*, inquit Ignatius Martyr, Epist. ad Trallianos num. 3. *revereantur Diaconos ut mandatum Jesu Christi :* vide insuper Clem. Rom. Epist. 1. ad Corinthios, Hieronymum Epistol. ad Evagrium

Evagrium, et alios. 5°. Denique Conc. Trid. sess. 23. c. 6. sic habet: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam; divina Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris et Ministeris, anathema sit.* Per Ministros autem intelligit Diaconos. Diaconatus igitur a Christo institutus est.

4°. Ritus in Ordinatione Diaconorum adhibitus in Ecclesia fuit constans ac perpetuus. Constat enim ex innumeris Auctoribus ac monumentis ecclesiasticis ab ipso Ecclesiæ exordio per manuum impositionem et orationem ordinatos fuisse Diaconos, ut suum ministerium Sacerdotibus celebrantibus impenderent.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Act. 6. Diaconi dicuntur constituti ab Apostolis, nec proinde a Christo. Insuper ibidem dicuntur constituti ad ministerium mensarum: quod sane mere profanum est. Ergo diaconatus non est Sacramentum.

R. ad 1. Diaconos quidem ab Apostolis fuisse electos, constitutos, ordinatos, ab iis vero non fuisse institutum diaconatum; cum a nobis probatum sit hunc Ordinem fuisse a Christo institutum, licet ille Diaconos nec ordinaverit nec elegerit. Sic Extremam Unctionem instituit, licet nunquam illud Sacramentum administraverit.

Ad 2. *dist.* Diaconi ab Apostolis constituti sunt ad ministerium mensarum quæ etiam erant sacræ, *conc.* ad ministerium mensarum communium, *subdist.* Tanquam ad munus secundarium, *conc.* primarum, *neg.* Itaque mensæ, ad quarum ministerium electi sunt Diaconi, non erant tantum mensæ vulgares, sed etiam mensæ sacræ: nimirum mores erat Apostolorum temporibus cum agapis et conviviis charitatis sacraficii celebrationem et panis eucharistici distributionem conjungere, ad exemplum Christi

qui

qui paschalem cœnam eucharisticæ cœnæ conjunxit. Id patet ex 1. Cor. 11. et aliis Scripturæ locis. Porro utrisque illis mensis Diaconi presidebant. Sacrum igitur erat eorum ministerium. Præterea si ad ministerium mere profanum ii fuissent constituti, tot dotes in primis Diaconis non fuissent requisitæ; nec enim in Ministris qui prandia cœnasve pararent, necessarium fuisset ut essent boni ac veri *testimonii*, nec *pleni Spiritu Sancto et Sapientia*. Nec insuper in iis instituendis usurpati essent ritus, ut in cæteris inaugurationibus religiosis, oratio scilicet cum manuum impositione. Tandem Diaconi ex Actibus Apostolorum baptizarunt et verbum Dei annuntiarunt: quæ profecto munera non possunt inter profana recenseri. Demum idem constat ex eo quod olim Diaconi consueverant sacram Eucharistiam distribuere Fidelibus, ut legitur in Actis S. Laurentii, et apud S. Cyprianum serm. 5. de Lapsis, Justinum apol. 2. &c.

Nec dicas probabile non esse sacras Diaconorum functiones, si ii ad illas exercendas creati essent, a Scripturis omissas esse secundariasque tantum minusve nobiles fuisse descriptas. Quamvis enim in loco objecto non describantur sacra Diaconorum munera, alibi tamen referuntur, nempe act. 8. Philippus Eunuchum baptizat, illique Isaiam explicat, &c.

Inst. Chrysost. Theophilactus, Œcumenius, Synodus Quini-sexta seu Trullana an. 602. versiculos præfatos act. 6. non referunt ad ministerium sacrum, sed tantum ad eleemosynas Fidelium pauperibus ab Apostolis impertiendas. Ergo nulla responsio mox allata.

R. 1°. Canones Concilii Trullani magni non esse ponderis in Ecclesia Romana, a qua non fuerunt recepti.

R. 2°. peculiarem hanc fuisse Patrum istorum opinionem, quæ cæteris longe pluribus Patribus minime probata est. Diaconis enim sacrorum altarium Ministros in Actis c. 6. recenseri constans est,

inquit Vitassius, cæterorum omnium et ipsius Ecclesiæ sententia, ut liquet ex Cypriano Epist. 65. Synodo Neocesariensi cap. 1. Hieron. Epist. 85. Beda ad hunc locum, et aliis innumeris Ecclesiæ latinæ Doctoribus, imo et ea vetu istissimis Ecclesiarum orientalium ritualibus Libris.

R. 3°. præfatos Patres potuisse sentire de Diaconis quales nunc habemus, in cap. 6. Actuum mentionem non fieri, et tamen credere eos ad sacras functiones, jubente Christo, fuisse ab Apostolis constitutos; cum alia non pauca divinæ eorum originis Scriptores sacri suppeditent argumenta. Neque id gratuito asserimus, cum S. Chrysostomus Homil. 14. in Acta, unde objectio desumitur, reipsa sacrum fuisse Diaconorum primarium ministerium agnoscat.

Obj. 2°. S. Cyprianus Epist. 65. ad Rogatianum sic habet: *Meminisse autem Diaconi debent quoniam Apostolos, id est, Episcopos et Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos, Apostoli sibi constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ Ministros.* Ibi S. Doctor Diaconorum electionem electioni Episcoporum opponit in eo quod isti sint a Christo, illi vero ab Apostolis constituti. Ergo &c.

R. S. Doctorem hoc unum velle, nimirum Episcopos ab ipso Christo fuisse electos ac constitutos, Diaconos autem ab Apostolis fuisse electos ac ordinatos: quod quidem Episcopis maxime gloriosum est et S. Doctori occasionem præbuit Diaconi cujusdam arrogantiam retundendi. At ex eo quod Diaconi fuerint ab Apostolis constituti et electi, non inde consequens est diaconatum non fuisse a Christo institutum, quandoquidem non fuerunt nisi de mandato Christi ab Apostolis constituti et ordinati.

Obj. 3°. Hieronym. Epist. 85. ad Evagrium, Diaconos vocat *mensarum Ministros.* Ergo. &c.

R. S. Doctorem ad frangendam eorum superbiam sic eos appellare a ministerio secundario seu ignobiliori; sed non ideo negat sublimiora eorum ministeria, siquidem ibidem eos comparat Levitis qui profecto

profecto fuerunt institutionis divinæ; et in aliis Operibus non raro eorum officia extollit.

Obj. 4°. Damasus Papa Epist. 5. *Ordines sunt duo tantum primi in Ecclesia, id est, Apostolorum et septuaginta Discipulorum.* Ergo, &c.

R. Dato duos esse tantum Ordines primos, nempe Episcoporum et Præsbyterorum, non inde consequens estalium non esse Ordinum qui non sit primus, sed qui eos Ordines subsequatur, qualis est diaconatus.

Obj. 5°. Quæcumque facit Diaconus, valide Laicus facere potest, ut Evangelium cantare, Eucharistiam distribuere: atqui ita non esset, si characterem imprimeret; character enim qui ab episcopatu vel præsbyteratu imprimitur, sic est necessarius ut sine illo nec licite nec etiam valide res fieri possit, v. g. Ordinatio conferri.

R. nihil vetare quominus, Deo ita volente, character imprimatur, ut res licite ac majori cum gratia fieri possint. Sic character in Confirmatione acceptus efficit ut quis magis intrepide Fidem profiteatur, quamvis fieri possit ut quis charactere Confirmationis non insignitus Fidem strenue profiteatur.

Quæres an de Fide sit diaconatum esse Sacramentum.

P. Gonetum, Vitassium, et quosdam alios asserere sententiam contrariam esse temerariam, imo erroneam. Verum asperior hæc censura videtur, 1°. quia multi non infimæ notæ Theologi, Durandus, Cajetanus, Maldonatus, Franciscus a Victoria eam opinionem tenuerunt. 2°. Quia non fuit expresse ab Ecclesia definitum diaconatum esse Sacramentum, quamvis a Concil. Trid. definitum sit divina Ordinatione institutum esse hierarchiam quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris et Ministris. 3°. Quia Theologi vulgo censent *probabile quidem esse Diaconorum Ordinationem esse Sacramentum, quamvis id certum non sit ex Fide.* Verba sunt Bellarmini.

PROPOSITIO

PROPOSITIO III.

Subdiaconatus non est Sacramentum.

Ita multi Theologi contra multos.

Prob. 1°. Quia neque in Scripturis neque apud SS. Patres priorum sæculorum fit mentio de Subdiaconis, dum tamen de præsbyteratu et diaconatu sermo sæpe in iis habetur. Atqui tamen si subdiaconatus esset a Christo institutus, Sacramentique rationem sibi vindicaret, verisimile non est nihil de eo dictum fuisse aut a Scriptoribus sacris aut a SS. Patribus priorum seculorum, qui tam sæpe de episcopatu, præsbyteratu et diaconatu locuti sunt.

2°. Concil. Carthag. 4. an. 398. can. 5. ait Subdiaconum, cum ordinatur, manuus impositionem non accipere. Idem habetur in omnibus antiquis ritualibus Libris. At vero ex dicendis Christus manuum impositionem pro materia Sacramenti Ordinis assignavit. Quapropter in aliis superioribus Ordinibus perpetuo adhibita est. Ergo, &c.

3°. Ambrosiaster apud Almarium lib. 2. de Officiis ecclesiast. ipse Almarius, Urbanus II. Innoc. III. Gratianus, Yvo Carnotensis, Hugo Victorinus diserte testantur subdiaconatum fuisse ab Ecclesia institutum.

4°. Concil. Trid. sess. 23. can. 4. probat sacram Ordinationem esse Sacramentum, quia in ea dicitur *accipe Spiritum Sanctum.* Hæc autem oratio in Ordinatione Subdiaconorum non dicitur, sed tantum in Ordinatione Episcoporum, Præsbyterorum et Diaconorum.

Dices. 1°. Concil. Florent. in Decreto Eugenii sic habet: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est istud, per cujus traditionem confertur Ordo sic præsbyteratus traditur per.....diaconatus per.....subdiaconatus per calicis vacui traditionem.* Ergo, inquiunt, subdiaconatus non minus quam diaconatus Sacramenti rationem ex Eugenio IV. sibi vindicat.

Eugenium

R. Eugenium IV. hic quidem docere Ordinem esse Sacramentum: quod quidem ut verum sit, sufficit unam Ordinationem ex iis quas recenset esse Sacramentum. Refert quidem, post recensitam diaconatus materiam, aliorum Ordinum inferiorum materiam. At referre materiam quorumdam Ordinum post materiam alterius Ordinis non est asserere illos Ordines ejusdem esse cum priore dignitatis.

Dices. 2°. Ex Clemente lib. 8. Constit. c. 21. legitur: *Cum Subdiaconum ordinas, Episcope, imponas ei manus, et dicas Domine ..... tribue ei Spiritum Sanctum, ut vasa ad ministrandum tibi facta digne attrectet.* Quæ forma profecto, inquiunt, sacramentalis est, cum Gratiam significet ac conferat. Insuper eodem modo Græci Subdiaconos ordinant, nempe cum manuum impositione et oratione.

R. ad. 1. supposititium esse illum Clementem. Insuper hæc verba sunt mera deprecatio, nec magis formam sacramentalem exhibent quam alia similia verba in eodem lib. c. 21. de Diaconissis.

Ad. 2. Falsum est ex Euchologiis Græcos, cum manus Subdiaconis imponunt, proferre relata verba quæ formam sacramentalem apud eos contineant; sed solum recitant orationem similem huic quam super Diaconissas olim proferebant cum pariter manus eis imponebant: quæ quidem verba ad consecrationem quamdam, non ad Sacramentum sufficere possunt.

Dices 3°. Subdiaconatus characterem imprimit, cum sit initerabilis; ergo Sacramenti rationem habet.

R. Ordinationem Subdiaconi, non jure divino propter characterem, sed jure tantum ecclesiastico, et quia est consecratio quædam, esse initerabilem, quomodo consecratio vasorum et templorum est initerabilis, quandiu vasa et templa integra manent.

Dices 4°. Subdiaconatui annexa est continentia, sicut præsbyteratui et diaconatui; ergo est Sacramentum.

R. subdiaconatum apud Græcos annexam non habere continentiam, neque id semper habuisse apud Latinos, ut infra videbimus. Aliunde lex cœlibatus nihil habet commune cum ratione Sacramenti. Velle potuit Ecclesia ut Subdiaconi continentiam servarent, eo quod sacra mysteria contrectent, licet tamen subdiaconatus, non sit Sacramentum.

Dices 5°. Synodus Trid. sess. 23. cap. 2. docet subdiaconatum ad majores Ordines a Patribus et sanctis Conciliis referri. Ergo est Sacramentum.

R. subdiaconatum inter sacros et majores Ordines a Græcis non recenseri, nec apud Latinos nisi sæcul. 12. fuisse recensitum, ut patet ex Innoc. III. cap. *a multis de ætate.* Concil. Trident. habet quidem cum Patribus illum Ordinem ut sacrum, eo quod specialiter hominem Deo consecret, sed non asserit eum ab omni ævo inter sacros Ordines fuisse annumeratum, nec etiam illum esse Sacramentum.

PROPOSITIO IV.

Quatuor minores Ordines non sunt Sacramenta.

Ita multi contra quosdam.

Prob. 1°. cunctis argumentis quibus antea probatum est subdiaconatum Sacramenti rationem non sibi vindicare. Hæc enim minoribus Ordinibus potiori titulo conveniunt. Quod si subdiaconatus non sit Sacramentum, multo minus Sacramenta erunt inferiores Ordines.

Jam autem satisfactum est sive objectioni ex Concil. Florentino proponi solitæ, sive quibusdam aliis difficultatibus.

CAPUT.

CAPUT QUARTUM.

De materia et forma Sacramenti Ordinis

Quæstio non est eo loci de materia et forma singulorum Ordinum, de quibus in secunda parte hujus Operis opportunior erit dicendi locus; sed de materia et forma *Sacramenti* Ordinis, seu quatenus tribus solummodo competit Ordinibus hierarchicis, a Christo institutis, nimirum episcopatui, præsbyteratui et diaconatui.

Præsertim vero disputatur de manuum impositione et instrumentorum porrectione, nec non de verbis quæ Ritibus illis correspondent.

Prima sententia quorumdam est maleferiatorum in Jure canonico Dictorum, qui Ordinationem nulli fixo Ritui nullique verborum formulæ alligatam existimantes, crediderunt Episcopum vel Præsbyterum solis istis posse fieri Papæ verbis, *esto Episcopus, esto Præsbyter*. Error iste abunde confutatus manet ex Tractatu de Sacramentis in genere, ubi ostendimus Sacramenta omnia perfici rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma.

Secunda sententia eorum est qui contendunt Christum Ordinationis, non secus ac quorumdam aliorum Sacramentorum, materiam et formam generatim duntaxat instituisse, Ecclesiæ vero potestatem fecisse Ritus ad effectum sacramentalem idoneos pro judicio suo determinandi. Ex qua opinione facile intelligitur variam variis temporibus esse potuisse Ordinum materiam, impositionemque manuum, quæ sola apud Orientales observatur, ad consecrandos Sacerdotes apud eosdem sufficere; instrumentorum vero porrectionem apud Latinos manuum impositioni necessario esse adjungendam. Cum enim Ecclesia in ea opinione Sacramentorum materiam determinandi potestatem habeat, potuit Ecclesia orientalis de consensu Ecclesiæ latinæ, et vicissim Ecclesia latina, certam materiam sibi eligere. Verum

ium quamvis isthæc opinio ad præsentem controversiam dirimendam sit valde commoda, non ideo vera est, nec minus rejicienda, ut comprobatum est in eodem Tractatu de Sacramentis in genere.

Tertia sententia est Haberti in Opere cui titulus, *Origines ecclesiasticæ*, c. 20. qui contendit nullam materiam nec formam ad Ordinationem sufficere, nisi accesserit Ecclesiæ consensus. Unde vult Ordinationem numeris omnibus absolutam defectu approbationis Ecclesiæ nullam ac irritam fieri posse. Huic systemati suffragatur P. *Le Courayer*, part. 2. Dissert. de Validitate Ordinat. Anglic. c. 15.

Quarta sententia fuit Harduini viri omni sensu singularis, qui in Dissertatione de successione Episcoporum Anglic. contra P. *Le Courayer* docet Ordinationis materiam a Christo institutam fuisse, aliam quidem ad usum Occidentis quæ Petro tradita sit, videlicet chrismationem et instrumentorum porrectionem; aliam vero ad usum Orientis, quæ data sit Paulo post manuum impositionem Idem censet Scriptor ille de forma materiæ illius Sacramenti correspondente.

Quinta sententia eorum est qui manuum impositionem simul et porrectionem instrumentorum Ordinationis materiam esse volunt, formam vero orationes utrique illi actioni correspondentes. Isti vero non eodem modo rem explicant. Quidam enim manuum impositionem distinguunt ab ipsa actione qua porriguntur instrumenta, alii vero confundunt; alii porrectionem instrumentorum a Christo institutam esse existimant, alii autem non a Christo, sed ab Ecclesia, juxta potestatem ei concessam, invectam esse opinantur.

Sylvius manuum impositioni ac instrumentorum porrectioni, capitis ac manuum unctionem apud Latinos probabiliter adjici posse decernit.

Sexta sententia pro essentiali Ordinationis materia solam agnoscit instrumentorum porrectionem, ac pro forma voces ei correspondentes.

Septima tandem sententia statuit solam manuum

impositionem

impositionem Ordinationis esse materiam, solamque orationem esse illius formam. Instrumentorum vero porrectio cum verbis correspondentibus, in ea opinione, Ritus est accidentalis, vel ad summum integrans, quo significantius exprimitur illius Sacramenti effectus.

PROPOSITIO I.

Ordinatio legitimo Ritu confecta per defectum approbationis Ecclesiæ non fit irrita.

Prob. 1°. Quia illud systema prorsus in Ecclesia inauditum fuit, ac simul in lucem prodiit, totam Theologiam commovit. Quid vero sentiendum, in re gravissima ad Sacramentum spectante, de systemate hactenus ignoto?

2°. Idem judicium ferendum est de Ordinatione ac de Baptismi Sacramento, ut fert ista D. Augustini in Libris contra Donatistas sententia: *Utrumque Sacramentum est, utrumque eodem modo datur, istud cum baptizatur, illud cum ordinatur, neutrum iteratur.* Atqui Baptismi valor ab Ecclesiæ approbatione non pendet. Idem igitur de Ordinatione dicendum est, eaque valet a quocumque characterem habente, etiamsi nulla donetur jurisdictione, conferatur.

3°. Ecclesia nihil approbat ex iis quæ fiunt a Schismaticis vel Hæreticis qui publice ab ea recesserunt. Atqui tamen ut validas habuit Ordinationes ab eis rite peractas, nec eas iteravit. Unde constanter viguet ea Lex Patrum Concil. Carthag. 3. can. 38. loquentium de Ordinationibus atque Baptismatibus Donatistarum: *Non licet fieri rebaptizationes et reordinationes.*

4°. Favet illud systema errori Protestantium Antonii de Dominis, et aliorum Novatorum, qui totam Ordinis rationem in mera ad functiones ecclesiasticas deputatione reponunt.

5°. Nedum hæc opinio commoda habeat quæ sibi promittit.

promittit Habertus, e contrario multa secum importat incommoda. Vel enim ut Ordinatio quæpiam invalida sit, totius Ecclesiæ improbatio requiritur, vel sufficiet particularis Ecclesiæ dissensio. Si primum, igitur singulis diebus interrogandæ erunt Ecclesiæ omnes, ut resciatur an hunc vel illum Sacerdotem approbent. Id porro ridiculum est ac perpetuas pariet controversias. Insuper quid de Ordinatione sentiendum erit, si Ecclesiæ pars una improbaverit, altera vero comprobaverit? Si secundum, 1°. incertum erit an Græci ullos habeant Sacerdotes, cum Ecclesia latina forte eorum Ordinationes non approbet; imo disputari poterit de validitate Ordinationum quæ fiunt apud Latinos, cum forte Latinorum Ordinationes a Græcis improbentur. 2°. Si quis in loco suæ Ordinationis improbatus ad aliam Ecclesiam privatam se transferat ubi approbetur, in uno loco Sacerdos erit, in alio Laicus; quod absurdum est ac sæculorum omnium Fidei adversum.

Dices. S. Leo Epist. 2. ad Rusticum Narbonensem, c. 1. expressis verbis asserit Ordinationem firmam vel infirmam fieri *ex Præsidentium Ecclesiæ consensu vel dissensu.*

R. S. Leonem hoc unum velle Ordinationes ex consensu vel dissensu Præsidentium validas aut invalidas fieri, quantum ad usum et exercitium, non vero quantum ad substantiam.

PROPOSITIO II.

Singularis opinio Harduini, qui duplicem materiam et formam, aliam pro Occidente, alteram pro Oriente excogitavit, omnio rejicienda est,

Prob. 1°. Quia illud systema, licet in re maximi momenti et quæ ad Sacramentum pertinet, ante Harduinum prorsus in Ecclesia incognitum fuit; unde ipsa sua novitate refellitur.

2°. Quia nec Scripturarum nec SS. Patrum, nec Conciliorum

Conciliorum auctoritate, nec ullo alio fundamento fulcitur.

3°. Quia male consulit Ecclesiæ unitati quæ postulare videtur ut Fideles omnes sive Occidentis sive Orientis unum sint sive in Fide, sive in Sacramentis, adeo ut *unus adversus alium non infletur*, nec dicat *ego sum Cephæ, ego autem Pauli*. 1. Cor. 4.

4°. Ex novitate Harduini sequeretur Ecclesiam Antiochenam, quæ a S. Petro fundata est, Ritum eidem Petro divinitus præscriptum sequi debuisse. Idem dicendum est de Ecclesia Alexandrina a S. Marco Petri Discipulo instituta, ac de cæteris omnibus Ecclesiis utrique illi Apostolo subjectis. Atqui istæ omnes Ecclesiæ constanter servaverunt ac etiamnum servant eumdem Ritum quem cæteræ Ecclesiæ orientales, ac diversum a Ritu Occidentalium quem S. Petro traditum asserit Harduinus.

PROPOSITIO. III.

Nec instrumentorum porrectio, nec capitis aut manuum unctio pro essentiali Ordinationis materia debent haberi.

Prob. 1°. Quia nec Scriptura nec Traditio, ubi de sacris Ordinationibus agitur, de iis cæremoniis ullam mentionem faciunt. Atqui tamen si Ritus illi formam Ordinationis essentialem constituerent, procul dubio Scriptura et antiqua Traditio constanter de iis non siluissent.

2°. Quia illorum Rituum usus nec est hodie apud Græcos, nec etiam apud Latinos per decem priora Ecclesiæ secula fuisse deprehenditur. De illis Ritibus silent antiqui Scriptores ecclesiastici. Unde si Ritus illi forent sacræ Ordinationi essentiales, dicendum esset nullas unquam fuisse apud Græcos Ordinationes, ac easdem apud Latinos per decem priora sæcula fuisse invalidas. Id tamen nemo Catholicorum dixerit.

3°. Partes Sacramenti essentiales debent esse constantes

constantes nec ab Ecclesia mutari possent, uti ostendimus in Tract. de Sacramentis in genere, satisque constat ex. Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. ubi declaratur *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret.* Atqui tamen si porrectio instrumentorum, unctiove capitis et manuum esset Ordinationi essentialis, materia seu pars istius Sacramenti essentialis non esset constans nec immutabilis, cum per decem sæcula non fuerit apud Latinos usitata, nec unquam apud Græcos obtinuerit.

Quamvis autem instrumentorum porrectio cum verbis adjunctis non sit pars Ordinationi essentialis, sedulo tamen retinenda est ac observanda, cum sit Ritus illius Sacramenti integrans, aut saltem summa veneratione dignus, à septingentis ad minus annis apud Latinos usitatus, in Ordine romano et cunctis ritualibus Libris contentus, ad significandum uniuscujusque Ordinis finem et effectum aptissimus.

Si quis vero sciscitatus fuerit qui prima sit apud Latinos illius Ritus origo, dicam cum Arcudio, Hallerio, Morino, difficile admodum esse tempus præfigere quo Ritus ille manuum impositioni superadditus fuerit. Notat Martenius, lib. 1. de antiquis Ecclesiæ Ritibus, cap. 8. art. 9. n. 17. *hanc instrumentorum traditionem præscriptam reperiri in Pontificali Rabdodi Noviomensis Episcopi, cujus character accedit ad annos octingentos.*

PROPOSITIO IV.

Manuum impositio, et quidem sola essentialis est Sacramenti Ordinis materia; forma vero, oratio ei correspondens.

Prob. I. *pars.* 1°. Ex Scripturis quæ manuum super Ordinandos impositioni Gratiam adscribunt.

Admoneo

Admoneo te, inquit Paulus 2 Tim. *ut resuscites Gratiam Dei quæ est in te per impositionum manuum mearum.* Unde sic arguo: ille Ritus est materia Ordinationis, qui vim habet in eo Sacramento producendi Gratiam: atqui talis est manuum impositio ex S. Paulo; ergo, &c.

2°. Ex concordi omnium Ecclesiarum loquendi consuetudine. Qua enim de causa, inquit Vitassius, tum apud Græcos et Orientales, tum apud Latinos ab omni ævo invaluit ut *impositionis manuum et keirotonias nomine* sacra Ordinatio vocaretur, quemadmodum olim monuimus, nisi quod ex Apostolis et apostolica Traditione didicissent in ista manuum impositione Ordinationem esse collocandam?

3° Ex testimoniis SS. Patrum, qui Gratiam ac potestatem in Ordinatione receptam impositioni manuum adscribunt.

S. Ephrem. de Sacerdotio sic habet: *O potestas ineffabilibis quæ in nobis dignitata est habitare per impositionem manuum sacrarum Sacerdotum!*

S. Ambrosius, Lib. de Dignitate sacerdotali: *Homo manus imponit, et Deus largitur Gratiam.*

S. Hieronymus in cap. 5. Isaiæ, ait *per manus impositionem impleri seu confici Ordinationem.*

S. August. serm. 2. *Cæteri non aderant Ordinationi ejus, quando manus ei imposita est.*

S. Gregorius Magnus, Hom. 17. in Evangelia, dicit *per manuum impositionem Spiritum Sanctum cœlitus dari.*

5°. Ex Concil. Trid. quod sess. 14. exponens quinam sint Ministri Extremæ Unctionis, ait esse Sacerdotes ab Episcopis *ordinatos per impositionem manuum præsbyterii.* Igitur manus impositio Ordinationem constituit.

6°. Ex consensione omnium fere Theologorum. Iis et aliis similibus testimoniis motus Habertus in observatione 2 ad Pontificale Græcorum, graviter carpit Scholasticos qui in problema verterunt an manus impositio sit essentialis in Ordinatione, *quod*, inquit, *nunquam tolerari debuerat.*

Prob. 2. pars, nempe solam manuum impositionem Ordinationis esse materiam. 1°. Quia nihil aliud est cui vel Apostoli vel Patres Gratiam Ordinationis attribuant. 2°. Quia Orientales nullam aliam ad hunc usque diem materiam in Ordinationibus adhibuerunt præter manuum impositionem, ut constat pro antiquis temporibus ex silentio omnium omnino Auctorum ecclesiasticorum, pro temporibus vero recentioribus ex omnibus Orientalium ritualibus Libris. Porro Latini nunquam eorum Ritum quasi nullum et irritum reprobarunt, ut patet ex Concil. Lugdunensi et Florent in quibus cum iis pax inita est. 3°. Eadem pars probatur ex aliarum opiniorum confutatione.

Addidimus autem formam Ordinationis esse orationem, eam videlicet quæ manuum impositioni correspondet. In eo nulla est difficultas; si enim manuum impositio sit Ordinationis materia, consequens est orationem correspondentem ejusdem Sacramenti esse formam, cum cuilibet materiæ debeat correspondere forma, ut olim a nobis dictum est in Tractat. de Sacramentis in genere, idque in confesso est apud omnes.

Solvuntur Objectiones contra duas propositiones præcedentes.

Obj. contra 3. *propositionem.* 1°. Ex silentio Veterum concludi non potest instrumentorum porrectionem antiquis temporibus in Ordinatione non fuisse usitatam, cum veteres Scriptores Infidelibus Religionis nostræ mysteria occultare studuerint. Nutat igitur argumentum ex eo silentio antea deductum.

R. porrectionem instrumentorum nihil sacratius habere ut occultetur, quam manuum impositionem. Cum itaque Concilia, Sacramentaria, et veteres Auctores ecclesiastici manuum impositionis frequentissime mentionem fecerint, de porrectione instrumentorum, si foret pars Ordinationis essentialis

ST. BASIL LIBRARY

tialis, perpetuum profecto silentium non servavissent.

Obj. 2°. Christus Luc. 22. v. 17. Apostolos ordinavit Sacerdotes per porrectionem calicis. Idem refert Concil. Trid. sess. 22. c. 1. Ergo et nunc sacerdotes instituuntur per instrumentorum porrectionem.

R. 1°. *n. ant.* Falsam est enim, et a Veterum sensu alienum, Christum per porrectionem calicis instituisse Sacerdotes. Constat enim ex. c. 22. S. Lucæ, Christum ordinasse Apostolos, dicendo, *hoc facite in meam commemorationem.* Tunc enim ipsis contulit et potestatem et mandatum conficiendi sui corporis, quæ primaria est sacerdotii functio. Sed tunc ordinavit Apostolos sine ulla instrumentorum porrectione; prius enim ipsis quidem tradiderat panem et vinum, sed in Communionem tantum, non in collationem sacerdotalis Ordinis quem ipsis dedit tantum subsequentibus verbis, *hoc facite.*

Insuper una est omnium sententia Apostolos sine Sacramento seu sine ullo signo exteriori et sola Christi voluntate fuisse ordinatos Præsbyteros et Episcopos. Ergo Christus eos per porrectionem instrumentorum non ordinavit.

Obj. 3°. Eugenius IV. in Instructione Armenorum, approbante Concilio Florentino, exponens quæ sit vera Ecclesiæ Romanæ doctrina circa Sacramentum Ordinis, pro illius materia solam porrectionem instrumentorum assignavit his verbis: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut præsbyteratus traditur per calicis cum vino et patena cum pane porrectionem; diaconatus vero per Libri Evangeliorum dationem.* Ergo, &c.

Respondent nonnulli Decretum illud Græcis absentibus esse latum, nec proinde habere auctoritatem totius Concilii, sed solius Papæ. Verum, ut observat Arcudius, lib. 6. de Sacramento Ordinis, c. 5. *tuta non est illa responso.* Quamvis enim quædam in Concil. Florentino peracta sint, postquam Græci

Græci discesserant, cum tamen, ipsis consentientibus, unio Arminorum subsecuta fuerit, censetur illa totius Concilii nomine confirmata. Unde in ipso Decreto dicitur, sacro approbante Concilio, data Armenis instructio, &c. Insuper licet hæc instructio solius esset S. Pontificis, vim maximam apud Catholicos omnes sibi vindicare debet, cum totius Concilii consensu firmata sit ac probata.

Aliter igitur respondeo, videlicet Eugenium voluisse solum assignare materiam Ordinis accidentalem, accessoriam, vel integrantem, seu Ritum quo voluit Ecclesia Romana variorum Ordinum effectum eorumque discrimen expressius explicare. Hunc autem Ritum Armenos edocet Eugenius, quia illo carebant, ipsique postulaverant Ecclesiæ Romanæ Ritus sacramentales edoceri, ac promiserant se Ritus illos esse observaturos Minime vero necesse erat ut de manuum impositione verbum ullum faceret, quia hæc in usu tunc erat apud Armenos. Hinc illam non indicat Eugenius, nisi implicite, remittendo, quantum ad Ordinum formam adeoque quantum ad materiam respondentem, ad Pontificale romanum, in quo, inquit, late continetur. Eugenium vero hisce sui Decreti verbis noluisse statuere porrectionem instrumentorum essentialem esse Ordinationis materiam liquet 1°. ex eo quod in ipso Concilio Florent cui præfuit ille Pontifex, rata probataque fuerit Græcorum Ordinatio, quos constabat sola manuum impositione, nec ulla adhibita instrumentorum porrectione, esse consecratos. 2°. Ex eo quod Concilium Tridentinum Florentino sane non adversum, nedum hancce instrumentorum porrectionem ut materiam Ordinationis necessariam habuerit, quin diserte docet sess. 14. cap. 3. de Extrema Unctione Præsbyteros per manuum impositionem ordinari, nulla facta mentione traditionis instrumentorum.

Inst. Docet Eugenius Ordinem per hanc instrumentorum traditionem conferri; ergo definit in eo Ritu positam esse materiam ejus essentialem.

R. neg.

R. neg. conseq. Quamvis enim stricte loquendo per solam manuum impositionem conjunctamque orationem conferatur Ordinationis Sacramentum, improprie tamen et ex quodam vulgari loquendi more Sacramenti vis et efficacia Ritibus omnibus aliquando tribuitur, quia ii omnes Ritus ad Ordinationem præparatorii sunt, vel potestatis jam collatæ explicationem important. Quod aliorum Sacramentorum exemplo illustrari facile posset, nisi planum ac facile foret.

Obj. 4°. In Pontificali romano Pontifex tradens cuilibet initiando calicem cum vino et patenam cum hostia ait: *Accipe potestatem offerre sacrificium. Deo Missasque celebrare.* Hæc autem verba, cum porrectione instrumentorum conjuncta, significant characterem sacerdotalem per ejusmodi Ritum conferri. Ergo, &c.

R. His verbis, *accipe potestatem offerre*, quæ profert Episcopus tradendo calicem, non conferri potestatem sacerdotalem, sed datam significari. Sic in omnium sententia Præsbyter, dum Episcopus, ungendo eum, profert hæc verba, *per istam unctionem et nostram benedictionem quæcumque benedixerint manus istæ, benedicantur, et quæcumque consecraverint, consecrentur*, non accipit potestatem benedicendi et consecrandi, quia potestas benedicendi et consecrandi pars est potestatis sacerdotalis quæ unctione, fatentibus omnibus, minime confertur.

Inst. Ejusdem Pontificalis romani rubrica sic habet: *Moneat Episcopus ordinandos ut instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant.*

R. 1°. rubricam hanc nec antiquam nec universalem esse, sed a privato quodam fuisse Pontificali insertam. Certe in vulgatis editionibus non exstat; in antiquioribus vero Præsbyteri supponuntur consecrati, cum hæc instrumenta tangunt. Vide Martenium cap. 8. art. 9. n. 16.

R. 2°. Electi tandiu censentur *ordinandi*, quandiu circa eos completi non sunt Ordinationis Ri-

tus, qui ad ejus integritatem spectant: seu saltem ille loquendi modus Scriptoribus ecclesiasticis familiaris est.

Obj. 5. Temerarium est a sententia omnium Theologorum recedere, cum id in Ecclesia præstet eorum consensus: quod olim præstitit Patrum Ecclesiæ consensus: atqui sententia, quæ porrectionem instrumentorum ut materiam Ordinationis essentialem admittit, recepta fuit apud omnes Theologos per plura sæcula. Ita olim opinati sunt Hugo a S. Victore, Magister Sententiarum, S. Thomas, &c.

R. 1°. *n. min.* Nec enim defuere e veteribus Theologis qui porrectionem instrumentorum habuerint, non ut Ritum quo imprimitur character Sacerdotalis, sed duntaxat ut signum quo declaratur illum characterem fuisse impressum. Ita Magister Sent. Hugo Victorinus, S. Thomas et alii multi quos citat Vitassius.

2°. *Responderi potest* Theologos, qui pro traditione instrumentorum decertant. suam sententiam proponere tantum ut opinionem scholasticam, nec illam Scripturis aut Traditioni SS. Patrum communire: porro sententia quæ traditur ut mera opinio in scholis agitata, neque Scripturarum aut SS. Patrum auctoritate communitur, nunquam assurgere potest in Dogma a quo recedere non liceat.

Inst. Gabriel Philadelphiensis, quamvis græcus, in Opusculo de Sacramentis, materiam Ordinationis sacrorum vasorum traditionem esse statuit.

R. hunc esse Græculum recentiorem, qui hæc hauserat e scholis Latinorum, inter quos diu commoratus est, illumque in eo a doctrina cæterorum Græcorum sive antiquorum sive recentiorum deviasse.

Obj. 6°. *contra* 4. *propositionem.* Innoc. III. cap. *Pastoralis,* extravag. *de Sacramentis non iterandis,* et Gregorius IX. ibidem cap. *Præsbyter,* dicunt *iterandam non esse Ordinationem factam sine manus impositione*

impositione, sed supplendum esse quod omissum est. Addit Gregor. IX. impositionem manuum esse Ritum ab Apostolis introductum. Atqui tamen si impositio manuum essentialis esset Ordinationis materia iteranda foret tota Ordinatio facta sine ea manus impositione, nec illa foret Ritus ab Ecclesia introductus, sed Ritus a Christo institutus.

R. ad 1. *neg. min.* Si enim in Ordinatione aliquid essentiali fuerit omissum, v. g. manuum impositio, revera sufficit supplere id quod omissum est, ut volunt præfati Pontifices, nec necessum est totam Ordinationem iterare, vel accidentalia rite peracta repetere. Sic in Baptismo invalide collato non iterantur Exorcismi, sed essentialia tantum.

Ad. 2. Manus impositio fuit Ritus ab Apostolis introductus, eo sensu quod primi de mandato Christi illum usurpaverint in Ordinationibus, non autem eo sensu quod illum instituerint.

Obj. 8°. Materia singulorum Sacramentorum debet illis esse propria, specialesque illorum effectus designare: atqui manus impositio Ordinationis Sacramento non est propria, nec specialem illius effectum determinat, cum sit Confirmationi communis, Hæreticisque reconciliandis inserviat.

R. n. maj. Forma quidem singulorum Sacramentorum effectus speciales designare debet, materia vero est quid in essentia Sacramentorum generalius. Hinc eadem materia multiplici Sacramento potest esse communis. Sic Unctio, juxta multos Theologos, est materia Sacramenti Extremæ Unctionis, simul et Confirmationis.

Quæres quænam manuum impositio sit Ordinationi essentialis?

R. 1°. procul esse rejiciendam opinionem eorum qui manus impositionem confundunt cum actione manus instrumenta porrigentis, 1°. quia Veteres per illam manus impositionem intellexerunt *adumbrationem expansionem, extensionem* super capita confirmandorum vel ordinandorum. 2°. Quia ridi-

culum

culum videtur actionem qua porriguntur instrumenta, nomine impositionis manuum appellare. 3°. Quia, cum, ex dictis, instrumentorum porrectio Ordinationi sit accidentaria, sequitur actionem qua porriguntur instrumenta non eam esse manuum impositionem quæ sit Ordinis Sacramento essentialis.

R. 2°. triplicem aliam in Ordinatione distingui posse manuum impositionem. Prima fit ab Episcopo silente. Secunda ab eodem fit, sed sine ordinandorum contactu, eique manuum impositioni adjungitur oratio. Tertia fit post Communionem et per contactum capitis, cum his verbis, *accipe Spiritum Sanctum, &c.* Rectius forte loquuntur qui duplicem tantum distinguunt, cum secunda non nisi prioris videatur esse continuatio, ut videre est apud Martenium.

R. 3°. postremam non esse essentialem, 1°. quia non est apud Orientales usitata. 2°. Quia nec apud Latinos semper fuit in usu. Nec enim in Libris ritualibus, nec in Conciliis, nec in Scriptis eorum qui de divinis Officiis et Ordinationibus disseruerunt, ullum illius vestigium invenitur.

R. 4°. primam, si a secunda dividatur, non esse essentialem, 1°. quia Ecclesiis orientalibus ignota est. 2°. Quia nec in antiquis ritualibus Libris nec aliis Scriptis antiquis comparet.

R. itaque solam secundam essentialem esse, et primam si ut secundæ initium spectetur: quod quidem, ex dictis, manifeste consequitur.

CAPUT QUINTUM.

De Auctore seu Institutore Sacramenti Ordinis.

Cum, ex antea dictis, Fide certum sit Ordinationem esse Sacramentum, inde colligi potest Christum esse illius Institutorem: quandoquidem solus Deus potest Sacramentum instituere, seu Gratiæ sanctificantis producendæ vim rebus sensibilibus alligare.

ligare. Merito igitur sic definit Conc. Trid. sess. 23. can. 1. *Si quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo institutum, anathema sit.*

Christus autem Sacerdotes instituit tum quando Joan. 20. dixit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* tum quando Luc. 22. post ultimam cœnam his verbis Apostolos allocutus est, *hoc facite in meam commemorationem.* Quantum ad alios Ordines sacerdotio inferiores qui a Christo fuerunt instituti, censent vulgo Theologi eos fuisse pariter in ultima cœna institutos, quia referuntur ad Eucharistiam quæ tunc instituta est, ac eminenter in sacerdotio continentur

CAPUT SEXTUM.

De Ministro Sacramenti Ordinis.

Observandum est duplicem distingui posse Ordinis Ministrum, ordinarium qui ex officio et institutione Christi, extraordinarium qui ex delegatione Ecclesiæ confiscit Ordinationem.

Hic movetur quæstio de Ministro tum ordinario tum extraordinario sive sacrorum sive inferiorum Ordinum: utrum nempe solus Episcopus ita jure divino sit Minister Ordinationis institutus, ut Præsbyteri nunquam ad id muneris deputari possint.

Lutherani et Calviniani contendunt jus non tantum eligendi, sed etiam instituendi atque ordinandi quoscumque Ecclesiæ Ministros, penes Populum aut politicum Magistratum esse. Unde si manus Ministris Pastores eorum imponunt, non autem tota multitudo, id fit non defectu auctoritatis in Populo, sed ut confusio devitetur. Contra Catholici omnes asserunt solos Episcopos ordinarios esse sacræ Ordinationis Ministros.

De Ministro extraordinario disputatur inter Theologos. Alii negant posse simplici Sacerdoti concedi licentiam conferendi valide Ordines sive

sacros

sacros sive inferiores. Alii vero contendunt simplices Præsbyteros, ex commissione Ecclesiæ posse conferre non tantum inferiores sed etiam sacros Ordines, excepto tamen episcopatu.

PROPOSITIO I.

Solus Episcopus Ordinationis sacræ Minister est ordinarius, seu ex officio.

Hæc propositio ad Dogma pertinet.

Prob. 1°. *ex Scripturis.* Ille solus est ordinarius sacræ Ordinationis Minister, cui soli in Scripturis tribuitur Ordinationis conferendæ potestas: atqui soli Episcopo eam potestatem assignant Scripturæ. Sic act. 6. Apostoli Diaconos a multitudine electos ordinarunt.

Act. 14. v. 22. Paulus et Barnabas Præsbyteros per singulas Ecclesias constituisse leguntur. 1 Timoth. 4. v. 14. Paulus Timotheo Episcopo manus imposuisse legitur.

Quam autem potestatem soli Apostoli exercuisse leguntur, solis Episcopis a se constitutis exercendam commendarunt, ut Paulus 1 Timoth. 5. *Manus cito nemini imposueris.* Et Tit. cap. 1. *Reliqui te Cretæ.....ut constituas per Civitates Præsbyteros, sicut et ego disposui.*

Prob. 2°. *ex Tradit.* 1°. Auctor Constitut. Apostol. lib. 3. c. 11. *Potestatem non damum,* inquit, *nomine Apostolorum Præsbyteris ordinandi Diaconos, vel Lectores vel Ministros.....sed solis Episcopis.*

2°. Canon apostolicus 1. *Episcopus,* inquit, *a duobus aut tribus Episcopis ordinetur, Præsbyter ab uno Episcopo, item Diaconus et reliqui Clerici.*

3° Concil. Alexandrinum 4. sæculo habitum Ischyram S. Athanasii accusatorem verum Præsbyterum non fuisse probat quod a Colluto simplici Præsbytero, non Episcopo, fuisset ordinatus.

4°. S. Hieronymus Epist. 85. ad Evagrium sic ait: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Præsbyter non faciat?*

Prob.

Prob. 3°. ex consensu omnium Ecclesiarum, et cunctis Latinorum Ritualibus et Græcorum Euchologiis, ubi Ordinationis officium solis Episcopis commendatur.

Prob. 4°. ex eo quod inter Hæreticos semper recensiti fuerint quicumque doctrinam contrarium tenuerunt. Ita. 4. sæc. Aerius, cujus errorem in hac parte refellit S. Epiphanius hær. 75.

5°. ex Eugenio IV. in Decreto ad Armenos, in quo de Sacramento Ordinis ait: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti, est Episcopus.*

6°. ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 4. ubi. sic legitur: *Sacrosancta Synodus declarat.....Episcopos ordinare Ministros Ecclesiæ, atque alia pleraque agere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Idem habetur. *can.* 7.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. S. Paulus 1 Timoth. 4. *Noli negligere Gratiam quæ..... data est tibi cum impositione manuum præsbyterii.* Igitur Apostolorum ætate Præsbyteri manus Episcopis imponebant.

R. Præsbyterium, id est, concessum Seniorum a S. Paulo usurpari pro cœtu Episcoporum, uti S. Chrysostomus, Theophilactus, Œcumenius in hunc locum observarunt: videlicet nomen Præsbyteri, seu Senioris, tunc Episcopis et simplicibus Sacerdotibus commune erat. Unde præsbyterii vocabulum significat Senatum Seniorum qui vel ex solis Episcopis constabat, ut nonnulli existimant, tuncque nulla est omnino difficultas nobis opposita: vel ex Sacerdotibus simplicibus simul et Episcopis coalescebat, ut placet aliis; nihilque ex eo potest inferri, quia simplices Sacerdotes manus non imponebant, sed soli Episcopi; vel si cum Episcopis manus imponebant, ut nunc fit in Ecclesia Romana, factumque est a tempore Concilii 4. Carthag. hæc manuum impositio ad validitatem Sacramenti mini-

me

me pertinebat, sed mera erat cæremonia accidentaria, ut nunc habetur apud Latinos, apud quos adhibetur in signum fraternitatis ac societatis quam cum Præsbyteris de novo consecratis ineunt Sacerdotes prius inuncti.

Obj. 2°. Concilium Nicænum 1. in Epist. synodica apud Theodoretum lib. 1. c. 9. simplicibus Sacerdotibus, modo tamen a schismatis vel hæresis labe fuerint immunes, concedet jus ordinandi, *prokeizestai;* ergo tunc temporis eam potestatem habebant.

R. vocem græcam, *prokeizestai*, immerito hic translatam fuisse per vocem *ordinare*, illamque ibi nihil aliud significare quam designare, eligere, promovere aliquem ut ab Episcopo ordinetur: quod quidem jus eligendi Meletianis Præsbyteris in Pœnam schismatis eripitur, Catholicis vero in Fide constantibus relinquitur.

Inst. Eadem vocula græca in eadem Epistola ac in aliis Synodus dicitur de iis qui ab Episcopis ordinati fuerunt. Ergo veram Ordinationem significat.

R. vocem illam generatim idem significare ac promovere. Duplici autem modo potest aliquis ad dignitatem ecclesiasticam promoveri nimirum per electionem et Ordinationem. Hinc mirum non est quod illa vox aliquando pro electione, aliquando pro Ordinatione fuerit usurpata. Ex subjecta autem materia interpretationem accipere debet.

PROPOSITIO II.

Simplex Sacerdos, nequidem accidente Ecclesiæ vel summi Pontificis consensu, hierarchicos Ordines, id est Episcopatum, Præsbyeratum et Diaconatum, Conferre potest; nec proinde illorum Ordinum est Minister extraordinarius.

Prob. 1°. Nam Primi Episcopi, Præsbyteri vel Diaconi a solis Episcopis in Scriptura leguntur ordinati. Nec etiam ex Historia Ecclesiæ ullum afferri

afferri potest exemplum quo ostendatur aliquos Episcopos, Præsbyteros aut etiam Diaconos a simplicibus Sacerdotibus fuisse consecratos. Atqui tamen, si simplicibus Sacerdotibus facultas Episcopos Præsbyteros, aut Diaconos ordinandi, posset ab Ecclesia concedi, exemplum aliquod ejusmodi privilegii in Scripturis vel in Historia ecclesiastica occurrere deberet; cum Christus Ecclesiæ suæ potestatem aliquam non reliquerit ut otiosa permaneret, cumque frequenter occasio seu potius necessitas sese offerre debuerit privilegium, de quo agitur, simplicibus Præsbyteris concedendi, præsertim iis temporibus quibus Episcopi Imperatorum paganorum Edictis a Sedibus suis deturbati latebant in antris, in necem quærebantur, in exilium mittebantur, aut in carceres conjiciebantur.

2°. SS. Patres nunquam sive in suis Scriptis sive in Canonibus Conciliorum a se editis, licet copiose de sacris ordinibus scripserint, observarunt istos a simplicibus Præsbyteris posse conferri aut fuisse collatos. Atqui tamen si simplices Sacerdotes possint ex Ecclesiæ concessione istos Ordines conferre, fieri non potuit, aut saltem vix fieri potuit, ut SS. Patres nunquam illud in suis Scriptis observaverint.

3°. Ex testimoniis Patrum in propositione præcedenti laudatis patet plerosque ex illis Patribus sacram Ordinationem conferendi potestatem sic Episcopis attribuere, ut nullum casum agnoscant, in quo jus illud ad simplices Sacerdotes transferri possit; *Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod non faciat Præsbyter?* inquit S. Hieronymus.

4°. Gelasius Papa Epist. 9. cap. 6. tom. 4. Conc. c. 6. asserit quidem aliquos Ordines posse a simplicibus Præsbyteris dari, sed intra subdiaconatum hæret, nec altius assurgit. Quare autem, nisi quia superiores Ordines nequidem ex concessione Episcoporum a simplicibus Præsbyteris conferri possunt?

5°. Sive in Libris ritualibus Latinorum, sive in Euchologiis Græcorum ac omnium Orientalium, superiores Ordines conferendi officium solis Episcopis præscribitur. Unde porro ille consensus inter Ecclesias in pluribus aliis dissidentes, nisi quia Traditione antiqua didicerunt privilegium Episcopos, Præsbyteros, ac etiam Diaconos ordinandi solis Episcopis posse competere?

Quæres an ea quæ in propositione præcedenti dicta sunt, ad Fidem pertineant?

Respondet Auctor de re sacramentaria propositionem præcedentem in iis quæ ad præsbyteratum spectant, licet non sit Fidei, certissimis tamen Fidei Dogmatibus esse accensendam. Hæc autem multo magis dicenda sunt de episcopatu quem a simplicibus Sacerdotibus conferri posse nemo Catholicorum unquam asseruit.

Quantum ad diaconatum, hunc Ordinem posse a simplicibus Sacerdotibus conferri visum est quibusdam Theologis, inter quos Vasquesius, Gamachæus, Ysambertus, Verum salva quæ his Theologis debeter reverentia, potior ratio habenda est Scripturæ sacræ, certissimæ Traditionis, SS. Patrum testimonii, sanctæ Ecclesiæ usus et consuetudinis quibus exploratum est nobis cuicumque non Episcopo delegari non posse hierarchicos Ordines conferendi potestatem.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Synodus Ancyrana can 53. in Codice Dionysii apud Justellum sic habet: *Chorepiscopis non licet Præsbyteros ut Diaconos ordinare, sed et Præsbyteris Civitatis sine præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque Parochia.* Ergo Præsbyteris Civitatum cum bona Episcoporum venia licitum erat Præsbyteros et Diaconos ordinare.

Respondet. 1°. *Vitassius* fidem non esse hanc versionem ac forte mendosum esse hunc canonem, et hoc modo supplendum: *sed nec Præsbyteris Civitatis*

Civitatis sine litteris Episcopi in unaquaque Parochia aliquid agere.

R. 2°. Præsbyteros Civitatis, de quibus hic sermo est, fuisse ex istis Chorepiscopis qui characterem episcopalem ad sublevandos Episcopos susceperant, quique valide ordinare poterant, nec tamen licite, nisi de consensu Episcoporum.

Obj. 2°. Chorepiscopi leguntur primævis temporibus Præsbyteros ordinasse: atqui erant Præsbyteri; ergo, &c.

R. inter Chorepiscopos, ut alibi dicimus non nullos fuisse qui characterem, episcopalem susçeperant: hi porro potuerunt Præsbyteros ordinare.

Obj. 3°. Refert Eutychius 3. Eccles. sæc Alexandriæ Patriarcha, in Chronico arabice scripto, quod latine reddidit Joannes Seldenus, hanc fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ consuetudinem ut Præsbyteri undecim unum ex se ipsis electum consecrarent in Epicopum.

R. Eruditos hanc narrationem ut commentitiam habere. Sufficiat hic annotare in eadem narratione referri per ducentos annos primævis Ecclesiæ sæculis nullum in Ægypto fuisse Episcopum: quod aperte falsum est, ut constat tum ex Socrate lib. 1. Hist. cap. 6. tum ex S. Athanasio qui sic in Apologia loquitur: *ex Egypto et Lybia et Pentapoli Episcopi propemodum centum.*

Obj. 4°. Cassianus collat. 4. c. 1. narrat. *Danielem a B. Paphnutio solitudinis ejusdem Præsbytero ad diaconii Officium fuisse prælatum, ac deinceps ad præsbyterii honorem esse provectum.*

R. hæc non insignificare Paphnutium per se ac immediate Danielem suum Discipulum consecrasse, sed tantum destinasse seu elegisse ad diaconatum et præsbyteratum, atque curavisse ut ab Episcopo consecraretur.

Idem responderi debet ad multa alia exempla quæ Blondellus ex SS. Epiphanio, Cypriano, Philostorgio, Gregorio Turonensi collegit.

Obj.

Obj. 5°. Eujenius IV. in Decreto ad Armenos ait Episcopum esse Ordinis Ministrum ordinarium: atqui eo ipso statuit Præsbyterum Ministrum esse Ordinis extraordinarium. Sic ex eo quod idem Eugenius et Patres Tridentini declaraverint Episcopum Confirmationis Ministrum esse ordinarium, rite colligunt Theologi Præsbyteros esse ejusdem Sacramenti Ministros extraordinarios.

R. 1°. *n. min.* Eugenius enim declaravit Episcopum Ordinis Ministrum esse ordinarium, ne videretur damnasse plures Canonistas ac etiam quosdam veteres Theologos, qui Sacerdotes a Sacerdotibus aliquando consecrari posse existimarunt, non autem quod ipse crederet Præsbyterum a Præsbytero revera posse ordinari.

R. 2°. *dist.* Atqui eo ipso statuit Præsbyterum esse Ordinis Ministrum ordinarium, quantum ad aliquos Ordines, subdiaconatum et quatuor minores, *conc.* quantum ad Ordines hierarchicos, de quibus nunc disputamus, *neg.* Alioquin dicendum foret a simplici Præsbytero posse ipsum Episcopum ordinari, quod nemo Catholicorum dicere, ausus est.

Ad probationem resp. paritatem a nobis non negari. Sicut enim Præsbyter catholice dici potest extraordinarius Confirmationis Minister, sic etiam dici potest Ordinis Minister extraordinarius saltem quantum ad aliquos Ordines, uti modo videbimus.

Obj. 6°. Innoc. VIII. an. 1489. Abbatibus Cisterciensibus Diaconos ac Subdiaconos sui Ordinis consecrandi potestatem concessit. Bullam hanc laudant Morinus. Vasquesius qui testatur similem Bullam Abbatibus Benedictinis fuisse concessam, et Henriquez qui affirmat illud privilegium Prælatis Franciscanis in India fuisse collatum.

R. 1°. *cum Hallerio, Sylvio et aliis multis Theologis* privilegium Cisterciensibus Abbatibus concessum esse fictum ac suppositum, nec quidquam aliud simile a Sede apostolica emanasse. Id constat

stat. 1°. quia, ut annotat Hallerius sect. 5. de Ordin. art. 2. par. 2. Cistercienses Abbates saltem in Galiis nunquam tali privilegio, nec nostra ætate nec patrum nostrorum memoria, usi sunt; quod incredibile est, si revera concessum ipsis fuerit. 2°. A nemine huc usque authenticum Bullæ illius exemplar proferri potuit, nec in Bullario Romæ edito nec in publicis monumentis invenitur, in quibus S. Pontificum Constitutiones referuntur. 3°. Qui eam Bullam laudant non sibi ipsis consentiunt. Alii enim, ut Victoria in Summa 355. testantur de solo subdiaconatu et inferioribus Ordinibus in ea mentionem fieri. Alii vero asserunt ipsius diaconatus conferendi potestatem in ea concedi. 4°. Pius V. rogatus ab Abbatibus Præmonstratensibus ut ipsis Subdiaconos ordinandi licentiam faceret, absolute recusavit, ac in diplomate ad eos misso privilegii Cisterciensibus concessi memoriam faciens, de solo subdiaconatu loquitur.

R. 2°. Si privilegium hoc revera concessum est, in eo positum est quod Abbates Cistercienses Litteras dimissorias suis Monachis dare possint ut consecrentur a quolibet Episcopo catholico nulla Diœcesium aut Provinciarum habita ratione, idque declararunt eminentes Cardinales Concilii Tridentini Interpretes an. 1592. imo Clemens VIII. in Bulla ad Cistercienses directa.

PROPOSITIO III.

Simplex Præsbyter, accedente Ecclesiæ vel summi Pontificis consensu, conferri potest Tonsuram, minores Ordines, imo Subdiaconatum, ac proinde illorum omnium Minister est extraordinarius.

Nota hic quæstionem esse tantum de Ministro extraordinario. Nam ex iis quæ dicta sunt propositione prima satis constat Epicopum omnium omnino Ordinum Ministrum esse ordinarium.

Prob. propositio. 1°. Tonsura, minores Ordines

et ipse subdiaconatus ex sola Ecclesiæ institutione suam ducunt originem, ut alibi ostendemus, satisque constat ex eo quod ne vel minima illorum omnium fiat in Scripturis mentio, nec doceat Traditio eorum institutionem ad Christum pertinere. Porro quemadmodum Ecclesia potuit hæc instituere, sic habuit potestatem eorum administrationem cui voluerit committendi.

2°. Gelasius Papa Epist. 9. tom. 4. Concil. p. 607. sic de Præsbyteris loquitur: *Meminerint sibi nulla ratione concedi sine S. Pontifice Subdiaconum aut Acolytum jus faciendi.* Poterant igitur ex Pontificis licentia illos Ordines conferre, ac proinde alios qui non sunt nobiliores.

3°. Synodus 7. generalis can. 14. sic habet: *Lectoris manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio Monasterio solummodo faciendi..... dum constet illum esse Præsbyterum.*

4.°. Multa sunt hujus concessionis exempla. Privilegium enim Subdiaconos ordinandi Benedictinorum et Cisterciensium Abbatibus concessum fuisse testantur Franciscus Victoria in Summa n. 235. Navarrus lib. 5. Pius V. in Bulla qua jus idem Abbati Præmonstratensi denegat.

5°. Concil. Tridentinum sess. 23. jus tonsuram vel minores Ordines conferendi antea latissime pervagatum restringit ad Abbates regulares respectu subditorum suorum. Igitur agnoscit jus illud simplicibus Præsbyteris posse indulgeri.

6°. Idem probatur auctoritate S. Thomæ et omnium Theologorum, si paucos exceperis, qui præsertim subdiaconatum solis Episcopis reservatum esse volunt.

Satisfit quibusdam quæstionibus circa Ministrum Ordinis.

Quæres. 1°. quinam sit Episcopus a quo unusquisque ordinari debeat?

R. Ordines, quamvis a quolibet Episcopo etiam hæretico,

hæretico, deposito, excommunicato valide conferantur, uti infra, ubi de effectu illius Sacramenti, demonstrabitur, non possunt tamen licite suscipi nisi a proprio Epicopo. Unde sic statuit Concil. Nicænum 1. can. 17. *Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in suam Ecclesiam, cum non habeat consensum Episcopi ipsius a quo recessit Clericus. irrita sit ejusmodi Ordinatio*, scilicet quoad exercitum. Ita habent multa alia Conciliorum ac summorum Pontificum Decreta quæ Trid. Synodus sess. 23. de Reform. c. 8. his verbis renovavit: *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur: si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum Ordinum per antione, quandiu propriu Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Qæres. 2°. quisnam sit proprius Episcopus?

R. 1°. variam fuisse ea de re disciplina, sive quantum ad Laicos, sive quantum ad Clericos.

Laici poterant olium, etiam inconsulto in cujus Diœcesi nati erant Episcopo, a quovis alio ordinari qui cum Ecclesia catholica conjunctus esset. Sic Origenes, Hieronymus, Paulinus Burdigalensis, Martinus, Augustinus, et alii innumeri in Diœcesibus in quibus nati non erant, fuerunt ordinati, uti constat ex eorum Historia.

Præterea Canones antiqui, cum vetant ne quis sibus non subdito conferat Ordines, de solis Clericis mentionem faciunt. Laicis igitur relative ad Ordinationem tunc nullus erat proprius Episcopos.

Alia autem prisis temporibus fuit Clericorum conditio. Illis enim proprius erat Episcopus a quo fuerant ordinati, et a quo proinde beneficium accepissent; exceptis enim quibusdam insolitis casibus, nullus ordinabatur quin simul aliquo titulo donaretur et Ecclesiæ cuidam adscriberetur. *Alienum Clericum*, inquit Concil. Carthag. 3. can. 21. *nisi concedente ejus Episcopo, nemo audeat retinere vel promovere in Ecclesia sibi credita.*

R. 2°. a sæculo 13. mutatam fuisse hanc disciplinam

plinam, triplicemque in Ecclesia nunc distingui Episcopum proprium a quo possit aliquis ordinari, nempe originis, domicilii, et beneficii. Ita statuit, ineunte sæc. 14. Bonefacius VIII. ut videre est cap. *Nullus*, de tempore Ordinationis, in-6°.

Quæres. 3°. Si quis in una Diœcesi natus sit, in altera baptizatus, a quonam Episcopo debeat ordinari ?

R. jure veteri proprium originis Episcopum eum fuisse in cujus Diœcesi quis baptizatus fuerat, ut constat ex Concil. Eliberitano, can. 24. et Carthag. 3. can. 44.

Jure autem novo proprius originis Episcopus is est in cujus Diœcesi quis natus est, sine cujus licentia nullus aut Laicus aut Clericus ordinari potest. Ita Bonifacius VIII. mox citatus, Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1657. communisque Ecclesiarum usus ac praxis. Unde minus sana nobis videtur quorumdam opinio, qui existimant Episcopum proprium nunc eum esse, in cujus Diœcesi quis baptizatus est seu spiritualiter natus.

Quæres 4°. utrum Episcopus loci, in quo quis natus est, semper originis Episcopus censeri debeat ?

R. quasdam esse exceptiones, quas Innoc. XII. sic explicat in Bulla, *Speculatores*, an. 1694 data : *Subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit accidenti occasione, nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ seu permanentiæ ejus in illo loco ; quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis origo erit attendenda.*

Hinc ex lege et usu apud nos receptis si quis negotiorum causa apud exteros Principes fuerit a Rege missus, ibique ex uxore secum transeunte filios habuerit, proprius eorum Episcopus ex paterna civitate, non vero ex loco civitatis censendus est.

Quæres

Quæres 5°. quis sit Episcopus domicilii?

R. eum esse in cujus Diœcesi domicilium aliquis constituit cum animo ibi perpetuo commorandi, quique res suas seu fortunas ibidem collocat. Ita domicilium definit jus civile, a quo minime recessit jus canonicum. Porro ad tempus requisitum ut acquiratur jus domicilii alii decennium cum Synodo Mediolan. 4. ann. 1576. et Aquensi an. 1585. exegerunt: alii triennium sufficere opinantur. Verum cum jus illud domicilii pendeat ex animo commorandi in aliquo loco, probatio acquisiti veri domicilii non tantum habetur ex spatio temporis quo quis in eodem loco manet, sed aliis nonnullis circumstantiis. Hinc Innoc. XII. in prædicta Constitutione jus domicilii non tantum ex tempore habitationis, sed ex adjunctis æstimat. *Subditus ratione domicilii*, inquit, *ad effectum suscipiendi Ordines, is duntaxat censeatur qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper, per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibi manendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.*

Ex iis patet illos qui Republicæ aut studiorum causa in aliis regionibus commorantur, in his locis verum non acquirere domicilium, etiamsi per decennium ibi manerent, quia nempe animum non habent in iis locis perpetuo manendi.

Quæres 6°. an aliquis nunc in Galliis ab Episcopo dhmicili licet possit ordinari?

R. 1°. licere etiamnum in Galliis Episcopo Ordinibus sacris addicere *familiarem sibi non subditum, modo per triennium cum eo fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat*, prout sancitum est a Concil. Trid. sess. 23. c. 9. cujus verba retulimus. Privilegium autem istud

istud non extenditur ad Episcopos titulares seu in partibus Infidelium, ex eod. Concil. sess. 14. de Reform. c. 2. Porro ille familiaris alicujus Episcopi censetur qui intra domum Episcopo inservit et ejus impensis alitur. Triennium vero servitii debet esse 1°, continuum : 2°. completum ; 3°. personale, adeo ut a prædecessore ad successorem non extendatur, tum quia privilegia ut odiosa restringi debent, tum quia non est per triennium familiaris meus, qui est alterius. Ita Sambovius, Colletus, Collator Andegavensis.

Cæterum merito notant Theologi perplures post Barbosam, Episcopum non posse ab interstitiis familiarem suum dispensare, nisi postquam ei contulit beneficium, quia tunc fit ei subjectus. Non potest autem solo titulo familiaritatis, quia Concil. Trid. a quo familiarem ordinandi privilegium tenet, dispensationem ab interstitiis ad solum titulum familiaritatis non extendit ; privilegia autem ultra verborum tenorem non sunt extendenda.

R. 2°. Quantum ad alios omnes qui non sunt alicui Episcopo familiares, Episcopi Gallicani gravissimis de causis multorumque incommodorum vitandorum causa an. 1655. inter se convenerunt solius Episcopi originis, non vero domicilii, in Ordinationibus habendam esse rationem, *pour l' Ordination, l'on n'aura egard qu'a l'Eveque de la naissance.* Unde usus in Galliis invaluit ut nullus sive tonsura clericali sive Ordinibus nisi ab Episcopo originis initiaretur.

Quæres 7°. utrum valeat titulus beneficii, seu utrum quis possit ordinari ab Episcopo in cujus Diœcesi beneficium ecclesiasticum possidet ?

R. 1°. jure communi ac in iis Ecclesiis in quibus nunc viget Bonifacii VIII. jam laudata Constitutio, cap. *Nullus*, posse quempiam ratione beneficii ab alieno Episcopo ordinari. Oportet autem 1°. ut beneficium non sit in spe tantum etiam proxima, sed actu possessum. 2°. Ut, detractis oneribus, sufficiat ad congruam vitæ sustentationem ; quia alioquin esset fraudis suspicio. Ita contra

tra Barbosam et quosdam alios Collator Andegavensis post Innoc. XII. qui ita sancivit in Constitutione an. 1694. data. 3°. Nihil interest an idem beneficium sit in commendam, aut aliter residentiam postulet, an non, quidquid cum aliis nonnullis dicat Pontasius; quia nimirum nec Bonifacius VIII. nec Innoc. XII. nec ulla Lex distinguunt. Ubi autem Lex non distinguit, nec distinguere debemus. 4°. Oportet ut beneficium non conferatur in fraudem, seu ad Clericum e sua Diœcesi extrahendum. Ratio est quia *nemini fraus patrocinari potest*, ex axiomate Juris. Sacra Congregatio Concil. Trid. Interpres ann. 1662. Declaravit Clericum ratione beneficii in fraudum collati esse suspensum a suis Ordinibus, *ac si in susceptis Ordinibus ministraverit irregularitatem contrahere.*

R. 2°. Cum Clerici beneficia sæpe in multis Diœcesibus possiderent, nec sæpe eorum mores dignoscerentur ab Episcopis locorum in quibus beneficia obtinebant, Innoc. XII. ut huic malo et aliis multis occurreret, in Bulla jam laudata an. 1694. statuit *Clericum non posse ab Episcopo ratione cujuscumque beneficii in illius Diœcesi obtenti ad Ordines promoveri nisi ante eorum susceptionem litteras testimoniales proprii Episcopi tam Originis quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus, vita obtinuerit, eosque Episcopo ordinanti, in actibus illius Curiæ conservandas exhibuerit.*

R. 3°. Clerum Gallicanum in Comitiis generalibus ann. 1657. ad vitandas frequentes fraudes multaque mala, ordinasse neminem sine consensu Episcopi originis esse tonsuræ vel sacris Ordinibus addicendum. Unde titulus beneficii jam nunc in Galliis Episcoporum consensu et consuetudine videtur abrogatus, si forte quosdam casus necessitatis excipias.

Quæres 8°. an possit Episcopus suos subditos in aliena Diœcesi ordinare?

R. negative, quia Ordinatio Ministrorum est officium pontificale. Porro non licet Episcopis in aliena

aliena Diœcesi sine Ordinarii loci licentia munia pontificalia exercere. In statutum est a Concilio sub nomine Apostolorum can. 36. a Concil. Antiocheno. ann. 341. can. 22. nec non a Concil. Trid. sess. 14. c. 2. de Reform. ubi Episcopi in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii Ordinantes declarantur in ipso jure suspensi ab exercitio Pontificalium, et Ordinati ab executione suorum Ordinum, quod quidem Decretum vim habet in Galiis, ut constat ex Comitiis generalibus. ann. 1655.

Notat Collator Andegavensis nequidem tonsuram et minores Ordines posse Diœcesi aliena conferri, quia hæc pertinent ad munia pontificalia quæ a Concil. Trid. sub pœna depositionis in aliena Diœcesi prohibentur. Censet tamen Hallerius, p. 340. rem istam praxi et consuetudine locorum dijudicandam esse.

Quæres 9°. an qui rescripta a S. Pontifice obtinerunt ut ab alienis Episcopis consecrentur, possint ordinari sine licentia proprii Episcopi?

R. negative. Præsules enim Gallicani in præfatis Comitiis Litteras ad Pontifices scripserunt, insuper, Epistolam encyclicam ad omnes Ecclesiæ Gallicanæ Præsules miserunt ut ab iis Ordinationibus abstinerent. Cæterum de potestate S. Pontificis in hac et in aliis multis diximus, tom. 2. de Ecclesia, quæ consuli possunt.

Quæres 10°. quis sit proprius Regularium, relative ad Ordines, Episcopus?

Antequam respondeamus, notandum est Regulares alios esse Novitios, alios esse jam Religionem professos: ex Professis vero alios certæ domui in perpetuum esse alligatos, ut Benedictini nonnulli qui in Congregatione non vivunt: alios vero e Monasterio in Monasterium transeuntes, ut Mendicantes et alii multi. His positis.

R. 1°. Novitios a suo ante ingressum in Religionem Episcopo aut ex ejus Litteris dimissoriis ordinari debere; quia nimirum nullo jure a sui Episcopi jurisdictione sunt immunes, et insuper possunt ad sæculum regredi, meritoque præsumuntur eo regressuri unde venerant.

R. 2°.

R. 2°. Regulares cuidam Monasterio alligatos ab Episcopo loci in quo situm est Monasterium esse ordinandos, prohibitumque esse ne Superiores Litteras dimissorias Religiosis suis ut a quocumque alio ordinentur concedant. Ita sancitum est in Concilio Burdigalensi an. 1624. ac in multis aliis Conciliis, nec non in Comitiis generalibus Cleri Gallicani, an. 1625. 1635. 1645.

Notandum est autem ipsosmet Regulares exemptos et S. Pontifici immediate subjectos ab Episcopis intra quorum Diœcesis fines existunt, esse ordinandos, non obstantibus quibusvis privilegiis, ut constat sive ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 10. sive ex eodem Clero Gallicano ibidem.

R. 3°. Clerus Gallican. an. 1645. ea de re sic statuit: *Nuls Eveques ne recevront aux Ordres aucuns Religieux, quelques privileges, exemptions et possessions immemoriales qu'ils puissent alleguer, si, outre l'attestation de leurs Superieurs, ceux qui ont stabilite dans certains Monasteres, n'apportent encore des Lettres dimissoires de l'Eveque dans le Diocese duquel ils resident; et ceux qui n'ont point de demeure fixe et permanente, n'apportent attestation comme l'Eveque dans le Diocese duquel ils ont leur Obedience, ne donne pas les Ordres.* Idem jam antea ann. 1596. declaraverant sacra Congregatio Concilii Trident. Interpres de mandato Clem. VIII. et Concilium Burdigalense, ann. 1624. celebratum.

Quæri potest a quo dari debeat attestatio quæ fidem facit absentiæ Episcopi Diœcesani, seu Ordinationis ab eo non faciendæ: Concil. Burdig. modo laudatum sanxerat non a Superiore regulari sed ab ipso Episcopo Diœçesano vel ejus Vicario generali illam esse dandam. Verum usus invaluit ut ab ipsis Regularibus daretur, eoque conduxerunt verba Cleri Gallicani modo relata, quibus quidem illa attestatio deferenda jubetur, sed nec ab Episcopo nec a Vicario generali danda præcipitur.

Dixes. Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium*, de-

 clarat

clarat Mendicantes a quocumque Episcopo posse ordinari, licentia Ordinarii loci minime requisita. Ergo falsa sunt quæ in responsionibus præcedentibus asserta sunt.

R. Gregorium XV. eam Bullam revocasse et ad terminos tum Juris communis tum Conc. Trid. reduxisse in sua Constitutione quæ incipit, *In tanta rerum.*

Quæres 11°. an Abbates regulares possint quosdam Ordines suis Religiosis conferre?

R. 1°. Abbates Sacerdotes ac Benedictos ex antiquo Jure in Synodo Trident. sess. 23. c. 10. renovato, posse tonsuram et minores Ordines *Religiosis sibi subditis* conferre, non autem alios superiores Ordines. Ibi ex Ordinibus quos conferre possint Abbates, soli minores recensentur, nec proinde tutum est alios superiores Ordines ab ipsis conferri. Imo hoc privilegium Abbatum minores Ordines impertiendi fere hisce temporibus exolevit, vixque reperiuntur qui eo utantur.

R. 2°. vetitum esse præfatis Abbatibus quantumvis exemptis tonsuram ac minores sibi non subditis ad se accedentibus, etiam cum Litteris dimissoriis proprii Episcopi, conferre, et si secus fiat incurri suspensionem tum ab Ordinatis tum ab Ordinantibus. Valent tamen tonsura et Ordines sic collati. Ita Benedictus XIV. lib. 2. de Synodo diœcesana. Ita etiam definivit sacra Congregatio, approbante Urbano VIII.

Notandum est Cardinales Præsbyteros episcopali benedictione inunctos privilegio consuetudine confirmato gaudere tonsuram ac minores Ordines suis familiaribus conferendi.

Quæres 12°. an liceat aliquando Ordines ab Episcopo alieno suscipere?

R. id aliquando licere, si proprius Episcopus per Litteras dimissorias consensum dederit. Ita post multa Concilia Synodus Trid. sess. 7. de Reform. c. 10. sess. 14. c. 2. sess. 23. c. 8. Unde non sufficit testimonium Episcopi proprii, si non sit scriptum

scriptum. Si tamen Episcopus proprius sit suspensus eo quod Clericos sibi non subditos ordinaverit, prout fieri potest, ut modo videbimus, suspensioque sit publica ac notoria, potest quis ei subditus sine illius consensu ac illius Litteris dimissoriis Ordines ab Episcopo vicino licet alieno suscipere, ex Concilio Lugdunensi cap. 2. de temporibus Ordinat. in 6. Verum illud Statutum vix observari potest, Præsulesque Gallicani propter incommoda inde secutura in Comitiis an. 1645. universos Regni Episcopos rogarunt ne quem etiam in vim Rescripti romani sine dimissoriis et testimonialibus proprii Episcopi Litteris ordinarent.

Quæres 13°. quis largiri possit Litteras dimissorias seu Litteras quibus sibi subditum scriptis sigillatis dimittit ad alienum Episcopum, ut ab eo tonsuram vel Ordines suscipiat?

R. 1°. eas concedi posse ab Episcopo, nemine diffitente; non autem ab Archiepiscopo, nec ab ullis Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, si Sedes episcopalis occupetur, ut infertur ex cap. *Nullus* de tempore Ordinat. et sess. 23. cap. 10. Conc. Trid. de Reformat.

2°. A Vicario generali, modo specialem et expressam facultatem ab Episcopo receperit, non aliter, ex cap. *Cum nullus*, de tempore Ordinat. in 6. nisi forte a Diœcesi remotior sit Episcopus quam ut ei providere possit, *Episcopo in remotis agente*, inquit Bonifacius VIII.

3°. A Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, Sede vacante, sed solummodo post elapsum vacationis annum, ut expresse statuitur a Conc. Trid. sess. 23. cap. 10. de Reform. Intra tamen annum, ex eodem Concilio Litteræ dimissoriæ dari possunt a Capitulo iis qui *arctati* vocantur, quique intra annum ratione beneficii sui Ordines suscipere tenentur. Consentit in ea re cum Decreto Tridentino Ecclesiæ Gallicanæ usus.

Restrictio Juri Ecclesiarum Cathedralium a Trid. apposita locum habet respectu Episcoporum, qui, Sede

Sede aliqua vacante, jurisdictionem episcopalem vice Ecclesiæ Cathedralis exercent, ex eodem Trid. sess. 23. c. 10.

Quæres 14°· an Litteræ dimissoriæ vim habeant post mortem concedentis?

R. illas vim habere, ex cap. *Si gratiose*, de Rescriptis in-6. ubi Bonifacius ait: *Quia sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo gratia, nisi a successore fuerit revocata.*

Quæres 15°· utrum proprius Episcopus in foro exteriori cogi possit ut Ordines vel tonsuram conferat, aut saltem Litteras dimissorias largiatur illi in quo omnia laudabilia videntur, præsertim si beneficium habeat cui sit annexus Ordo superior?

R. teneri quidem Episcopum ex conscientiæ legibus eos ordinare Ministros qui debitis instructi sunt moribus, nullo tamen jure in foro exteriori ad id posse compelli. In Concil. Trid. sess. 21. c. 2. de Reform. ac præsertim sess. 14. legitur eum *cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen fuerit interdictus .....nullatenus contra ipsius Prælati voluntatem esse ordinandum.*

Ita sentiunt Barbosa, Fagnanus qui tamen in caput *Ex tenore*, addit in casu in quo Prælatus sua auctoritate abuteretur et sine causa eum ordinare recusaret, cujus beneficio annexus esset Ordo superior, *sacram Congregationem, re ad Gregorium XIII. delata, edidisse decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse Metropolitano vel viciniori Episcopo, ubi ab eodem Ordinario prius requirat cur recusaverit, quo causam legitimam non allegante, liceat ille eumdem recusatum ordinare.*

Quæres 16° ·quid Episcopi in concedendis Litteris dimissoriis observare debeant?

R. 1°· illos, quantum fieri potest, ac nisi sint ægritudine aut gravibus causis impediti, debere per se ipsos suis subditis Ordines conferre, ut monet Concilium

Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. de Reform. Atque ad id tenentur non tantum ex charitate, sed ex justitia, adeo ut sint restitutioni obnoxii Episcopi qui sine gravibus momentis causa sunt pecuniarum a suis subditis impensarum.

2°. Ab ipsis probandi ac examinandi sunt ii quibus Litteras dimissorias laudabili de causa largiuntur, neque id oneris in alienum Episcopum ab iis est rejiciendum.

3°. Quia sæpe facileque evenit ut mores hominum mutentur, Ordinibusque illi fiant indigni qui antea digni existimati fuerunt, Episcopi tempus præfigere debent quo valituræ sint illæ Litteræ, v. g. sex mensium vel unius anni, prout monet Clerus Gallicanus in Conciliis jam sæpe laudatis: quibus de causis sæpe contingit ut Episcopi vetustiores Litteras rejiciant, etiamsi nullum tempus præfixum habeant.

Quæres 17°. quæ pœnæ statutæ sint adversus eos qui alienis Ordines conferunt sine Litteris dimissoriis proprii Episcopi, vel contra eos qui sic ordinantur.

R. Concilium Tridentinum statuere cap. 2. de Reformat. ut contra *faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.* Qui vero, durante illa suspensione, suos Ordines exercere præsumunt, nemine dubitante, irregularitatem incurrunt.

Easdem pœnas incurrunt qui falsificatis Litteris dimissoriis Ordines susceperunt ac postea eos exercuerunt, uti colligitur ex cap. *Eos qui*, de tempore Ordinat. Ratio est 1°. quia nemini fraus patrocinari debet. 2°. Quia ii de quibus agitur, reipsa Litteras dimissorias nullas habent, nec ullum Ordinarii consensum.

Notandum tamen pœnas istas non incurrere nec Episcopos qui sibi minime subditos ad tonsuram promoverunt, nec eos qui ab Episcopis alienis tonsuram acceperunt; quia verba Concilii Tridentini ad solos Ordines restringenda sunt, tonsura autem

non est Ordo. Ita docet sacri Concilii Congregatio.

Cæterum Ordines ab Episcopo alieno valide conferuntur, licet illicite, ut jam notavimus. Imo ipsa tonsura clericalis sic data, licet illicite, valide quoque confertur, nec iteranda est, ut in terminis docet Benedictus XIV. lib. 2. de Synod. Diœces. num. 13.

CAPUT SEPTIMUM.

De subjecto Ordinationis.

PLURES erunt hujus capitis articuli. 1. De iis qui sunt Ordinationis percipiendæ capaces. 2. De dispositionibus ac conditionibus in Ordinandis ad Ordines legitime suscipiendos requisitis. 3. De obligationibus eorum qui Ordinibus initiantur, ubi potissimum de Cœlibatu.

ARTICULUS I.

De iis qui sunt Ordinationis percipiendæ capaces.

Constat 1°. solum hominem viatorem esse Ordinationis percipiendæ capacem, ut probatum est in Tractatu de Sacramentis in genere cap. 7. ubi de subjecto Sacramentorum.

Constat 2°. neminem posse valide ordinari, nisi prius Baptismum in re susceperit, ut videre est in nostro Tractatu de Baptismo cap. 2. art. 2. respons. ad quæsitum 2.

Theologi vero censent validam esse Ordinationem ab eo receptam qui Confirmationis Sacramentum non suscepit; cum Apostoli prius in ultima cœna fuerint

fuerint ordinati quam confirmati. At consentiunt omnes Confirmationem, ut ipsamet tonsura licite recipiatur, esse requisitam; cum id expressis verbis præcipiatur a Concil. Trid. cap. 4. de Reform. Nulla tamen ab iis, qui minime confirmati suscipiunt Ordines, contrahitur irregularitas; quia nullo jure inducta est.

His positis, quæstio hic movetur de mulieribus, infantibus, amentibus, invitis, Hæreticis, utrum videlicet isti omnes sint Ordinationis suscipiendæ capaces.

PROPOSITIO I.

Mulieres, jure divino, prorsus sunt sacræ Ordinationis incapaces.

Militat propositio contra nonnullos veteres Hæreticos, Montanistas, Collyridianos.

Prob. 1°. *Scripturarum auctoritate.* 1 Cor. 4. *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim eis permittitur loqui.....turpe est mulieri loqui in Ecclesia.*

1. Timoth. 2. v. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere mulieri non permitto.* At si mulieres nequidem in Ecclesia loqui possunt, quanto magis a sacro ministerio sunt arcendæ?

2°. Collyridiani, teste S. Epiphanio hær. 79. pro Hæreticis habiti sunt, eo quod mulieribus sacerdotium concederent.

3°. Mulieres esse sacerdotii prorsus incapaces docuerunt unanimiter SS. Patres, Auctor Constit. Apostol. lib. 3. c. 9. Tertullianus de velandis Virginibus c. 9. Augustinus de Hæresibus c. 27. et alii. Hinc S. Epiphanius eadem hær. 79. ait, *ex quo mundus creatus est, apud veræ Religionis cultores nullam unquam mulierem sacerdotio functam fuisse.*

Alios vero Ordines sacerdotio inferiores non posse a mu-

a mulieribus suscipi probatur 1°. ex praxi Ecclesiæ et consensu omnium Theologorum. 2°. quia multi ex illis Ordinibus, videlicet diaconatus, subdiaconatus, lectoratus, jus tribuunt docendi in Ecclesia. 3°. Quia Ordines universi quamdam habent sacerdotii participationem, cujus minime capaces sunt mulieres.

Dices 1°. Exstiterunt olim in Ecclesia Episcopissæ, Præsbyteræ, Diaconissæ, &c.

R. Episcopissas, Præsbyteras sic fuisse dictas, non ab aliquo Ordine quo nunquam fuerunt insignitæ; sed a viris suis, qui cum ad episcopatum vel præsbyteratum eligerentur, eas ex mutuo consensu derelinquebant in sæculo voto castitatis obstrictas, aut in monasterio solemniter professas, ut colligitur ex can. 21. Concilii Altissiodorensis: *Non licet Præsbytero post acceptam benedictionem in uno lecto cum Præsbytera sua dormire.*

Quantum ad Diaconissas, nec sacris Altaribus nec Eucharistiæ consecrandæ, nec ministrandæ, inserviebant, nec ullo Ordine proprie dicto fuerunt insignitæ; sed illæ fuerunt ab Ecclesia institutæ, 1°. ut muliebris sexus honestati consuleretur, nimirum cum fœminis dabatur Baptismus qui tunc per immersionem conferri solebat. 2°. Ut viduarum cura illis esset quodam modo communis cum Diacono, cui obedientiam præstare jubebantur. 4°. Rusticis et imperitis Fidei principia ac Baptismatis ritus exponebant, et alia similia munera exercebant. Viduæ sexaginta ad minus, virgines vero quadraginta annorum ad munia Diaconissarum eligebantur, castitatis votum emittebant. Earum dotes describit Apostolus 1 Tim. 5.

Inst. Centies apud Auctores ecclesiasticos, Auctorem Constit. Apostol. Tertullianum, Concil. Trullanum, Nicænum, legitur Diaconissas *ordinari* vel *Ordinationem suscipere.* Ergo mulieres sunt Ordinationis capaces.

R. dist. Diaconissæ dicuntur ordinari, Ordinationem suscipere, lato sensu, *conc.* proprie, *neg.* Non inficiamur

inficiamur Diaconissas olim oratione, manuum impositione, non secus ac Diaconos, fuisse consecratas, illosque ritus Ordinationis nomine fuisse appellatos; sed asserimus hæc omnia fuisse peracta ad nudum simplexque ministerium, neutiquam vero ad Ordinationem proprie dictam ut constat ex earum functionibus modo recensitis, quæ sacri nihil habebant. 2°. Ex Conc. Nicæno can. 21. ubi legitur *Diaconissas inter Laicos deputari.* 3°. Ex S. Epiphanio hær. 79. n. 3. ubi asserit *Diaconissas* constitui ad *solum ministerium mulierum,* reverentiæ causa, *ad Baptismum.*

Dices 2°. Fertur fœminam quamdam nomine Joannam Papissam, 9. Ecclesiæ sæculo, circiter per duodecim annos inter Leonem IV. et Benedictum III. Sedem Romanam occupasse. Narrant in suis Scriptis hanc historiam non tantum Hæretici, sed etiam Catholici, nimirum Marianus Scotus sæculo 11. et sequentibus sæculis Martinus Polonus, Sigebertus, Vincentius Bellovacensis, S. Antoninus, Platina. Addunt quidam Joannæ Papissæ effigiem Senis (a Sienne) inter Romanorum Pontificum statuas visam esse usque ad pontificatum Clementis VIII.

R. 1°. convenire Auctores omnes, hanc fœminam suum sexum esse ementitam, ut in Pontificem crearetur. Quamvis igitur vera foret hæc historia non inde consequens foret mulieres esse Ordinis capaces.

R. 2°. anilem fabulam esse eam de Joanna Papissa narrationem, idque nunc confiteri non tantum Catholicos, sed etiam ex Romanæ Communionis hostibus viros doctissimos, inter quos Blondellus in speciali ea de re dissertatione. Id autem constat.

1°. Quia a nullis Auctoribus coævis refertur hæc historia, sed ducentesimo tantum post Leonis IV. obitum anno vulgari cœpit a Mariana quem alii, multis additis circumstantiis, secuti sunt. Quis autem credat rem adeo singularem tanto silentio sepultam fuisse?

2°. Quia

2°. Quia Scriptores 9. et 10. sæculi unanimi ōre testantur Benedictum III. Leoni IV. immediate successisse. Ita Ado Viennensis, Anastasius Bibliothecarius, Annales Bertiniani, Hincmarus Rhemensis et plures alii.

3°. Quia Photius qui 9. sæculo Sedem Constantinopolitanam invasit, Ecclesiæque Romanæ fuit hostis infensissimus Benedictum III. Leonis IV. immediatum successorem agnovit, nec de Papissa verbum habet. At procul dubio si Pontificiam Sedem tenuisset, tantum Ecclesiæ Romanæ dedecus non prætermisisset.

Quantum ad Auctores in objectione appellatos, dicendum antiquiores quos alii secuti sunt, deceptos esse falsis rumoribus, quorum origo repetenda videtur ex nimia facilitate, ac quasi fœminea Joannis VIII. imbecillitate. Addunt nonnulli, multisque antiquis exemplaribus probant, hac in parte interpolatos esse Marianum Scotum, Martinum Polonum, Sigebertum; alios vero Scriptores opponi solitos, Antoninum, Platinam dubitanter hanc historiam referre, vel etiam satis innuere se pro fabula illam habere. Qui plura ea de re voluerit, adeat Baronium, Bellarminum, Leonem Allatium, Natalem Alexandrum, et alios plures.

Dices 3°. Mulieres non minus sunt Ordinationis quam jurisdictionis capaces. Atqui sunt jurisdictionis capaces, ut constat cap. *Dilecta*, de majoritate et obed. ubi Honorius III. indicat cuidam Abbatissæ potestatem esse datam Clericos sibi subjectos ab officio et beneficio suspendendi.

R. 1°. *plures negare maj. et parit.* 1°. Quia jurisdictio non est necessario annexa statui clericali, siquidem Laici ex speciali Romani Pontificis concessione censuras ferre possunt. 2°. Quia Ordinatio pertinet ad forum interius; jurisdictio autem ad forum exterius, in quo mulieres virorum concilio, sapientia ac animi fortitudine, dirigi possunt.

R. 2°. Honorium non definire Abbatissam habere potestatem decernendæ suspensionis proprie dictæ

dictæ, cujus infractio irregularitatem importet, sed improprie dictæ, quæ sit simplex ac mera prohibitio. Suspensionem vero a præfata Abbatissa latam non esse suspensionem proprie dictam, seu cujus violatio irregularitatem inducit, patet ex eo quod Honorius mandet Abbati cuidam, ut Clericos ad obsequium huic Abbatissæ debitum ecclesiastica censura compellat.

Idem dicendum est de potestate in Religiosos sui Ordinis Abbatissæ Fontis Ebrardi in Galliis concessa, quæ nihil aliud est nisi potestas præcipiendi, prohibendi, quæ nullam jurisdictionem ecclesiasticam importat.

PROPOSITIO II.

Probabilius est prorsus esse nullam Ordinationem infantibus, nondum rationis usum adeptis, vel amentibus datam.

Ita Durandus, Turnelius contra multo plures alios qui validam esse ejusmodi Ordinationem putant. Ex iis tamen nonnulli episcopatum excipiunt.

Prob. 1°. quia nec in Scripturis nec in toto Traditionis decursu ullum reperitur ejusmodi Ordinationis exemplum.

2°. Ad susceptionem alicujus Sacramenti requiritur propria intentio suscipientis, si sit adultus; vel aliena et interpretativa Ecclesiæ, nimirum si parvulus sit aut amens. Atqui in parvulo Ordines; suscipiente nec reperitur intentio propria, cum nondum rationis usum habeat; nec aliena aut interpretavita, cum Ecclesia nedum talibus Ordinationibus consentiat, potius contradicat ac reluctetur, ut patet variis Canonibus qui ætatem, scientiam, probitatem in Ordinandis requirunt. Ita ratiocinatur Turnelius post Durandum.

3°. Alterius opinionis Defensores, saltem plerique, ipseque D. Thomas, fatentur episcopatum non posse pueris valide conferri. Atqui nulla videtur

esse

esse ratio id potius de episcopatu quam de Præsbyteratu et aliis Ordinibus asserendi.

Dices 1°. Pueruli nondum rationem adepti Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam recipere possunt, quidni sacros Ordines?

R. neg. cons. et parit. 1°. Quia hæc a libera Dei voluntate pendent, in iis autem quæ a libera Dei voluntate pendent, non est ratiocinandum a pari. 2°. In tribus istis Sacramentis, cum ad salutem infantium conferant, intentio Ecclesiæ illorum puerorum voluntatem supplet: secus in Sacramento Ordinationis, quod non est ad salutem necessarium, nec infantibus conferre intendit Ecclesia, ut diximus.

Dices 2°. *cum Vitassio.* Innocentius III. cap. unic. *de Clerico per saltum promoto*, respondens Episcopo Bononiensi, qui ipsum consuluerat super aliquo Præsbytero, qui *ante annos discretionis* minoribus et subdiaconatu insignitus, adultam ætatem adeptus, sacerdotium, omisso diaconatu, receperat, solum jubet suppleri diaconatum. Censuit igitur valuisse inferiores Ordines infanti collatos.

R. 1°. lectionem illius textus in variis Decretalium editionibus esse diversam. Quid porro ex incerta alicujus textus lectione deprimi potest?

2°. Dici potest S. Pontificem non exegisse ut inferiores Ordines supplerentur, quia eos habuit ut cæremonias ab Ecclesia institutas, quæ ad diaconatum non sunt absolute ac necessario requisitæ.

PROPOSITIO III.

Nulla est Ordinatio quæ conferretur omnio invitis.

Prob. 1°. Non valet Baptismus, etiam quantum ad characterem, invitis datus, ut alibi vidimus: atqui eadem, imo potior ratio valet pro Ordine.

2°. Innoc. III. cap. *Majores*, de Baptismo, refellit eos qui dicunt *quod Sacramenta quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus est Ordo.....invitis et contradicentibus*

dicentibus, etsi non quantum ad rem, tamen quantum ad characterem conferuntur.

Dices. Sancti plures inviti prorsus in Præsbyteros aut Episcopos ordinati sunt. Ergo, &c.

R. neg. ant. Ex modestia quidem sacri ministerii Ordinationem refugiebant; verum tandem, quamvis non sine intimo doloris sensu, Superiorum mandatis cognitæque Dei voluntati sese subjiciebant. Unde penitus coactæ non erant eorum Ordinationes.

PROPOSITIO IV.

Valet quantum ad characterem Ordinatio Hæreticis, Schismaticis, improbis, secundum ritum a Christo institutum collata.

Propositio militat contra Viclefum, Joannem Hus, Antonium de Dominis.

Prob. 1°. Si valida non esset Ordinatio Hæreticis rite collata, non permisisset Ecclesia ut ii, quando ad gremium suum reversi sunt, Ordines in hæresi susceptos sine Ordinatione nova exercerent, suas Sedes servarent, ac in eodem gradu remanerent: atqui tamen id frequentissime permisit Ecclesia, nimirum id Novatiansi indulsit Concil. Nicænum I. can. 8. Donatistis Concil. Africanum can. 38. diversis Hæreticis Innoc. I. Synodus generalis 7. art. 1. Semper igitur Christianis persuasum fuit Ordinationis vim ex Christi meritis, non a sucipientium sanctitate metiendam esse.

Hinc cum in antiquis Canonibus legitur irrita esse Improborum vel Hæreticorum Sacramenta, intellige de licito usu officiorum Ordinibus annexorum, non vero de ipsa substantia Sacramenti. Hinc etiam cum legitur apud veteres Episcopos, *malo animo oppletos, esse falsos Episcopos, non a Deo promotos, esse lupos, non Sacerdotes* intellige non esse Sacerdotes quantum ad Dei intentum, et ad sanctimoniam vitæ: sicut dicitur noverca, non mater, quæ filios suos non curat: sicut dicitur

malum Principem non esse Principem sed tyrannum. At ideo non negatur ejusmodi Episcopos vel Sacerdotes characterem habere.

Nota. Diximus Ordinationem valere quantum ad characterem. Nam certum est Improbos, Hæreticos, aliosve similes nullam in Ordinatione gratiam percipere.

Cæterum de hocce argumento et objectionibus contra hanc postremam propositionem militantibus fusius dicturi sumus, ubi de charactere per Ordinem impresso.

ARTICULUS II.

De dispositionibus ac conditionibus in Ordinandis ad Ordines legitime suscipiendos requisitis.

Decem recensentur a Theologis, vocatio, vitæ et morum probitas, scientia, ætas, titulus, ut non fiat per saltum, interstitia, tempus statutum, locus, immunitas ab impedimentis. De vocatione, morum probitate et scientia in Clericis requisita, dicemus in Tractatu de variis statuum obligationibus. Superest ut de septem aliis dispositionibus aut conditionibus ad Ordines legitime suscipiendos requisitis quædam edisseramus.

Ætas.

Certa quædam ætas requiritur in iis qui ad Ordines promovendi sunt, ut sapienter monet S. Paulus his verbis: *Nemini cito manus imposueris*, quæ sic interpretatur S. Leo Epistol. 1. *Quid est autem manus cito imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ?*

Quæres quænam præcise ætas in Ordinandis requiratur?

R. 1. veteribus Ecclesiæ temporibus diversam ætatem fuisse requisitam. De iis vide Martenium aut Vitassium, part. 1. p. 406.

R. 2°.

R. 2°. quantum ad nostra tempora, nullam protonsura et minoribus Ordinibus ætatem a Concil. Trid. definiri, sed eam Episcoporum arbitrio ac prudentiæ determinandam relinquit De iis, qui prima tonsura initiandi sunt, hæc tantum statuit, sess. 23. c. 4. de Reform. *Prima tonsuram non initientur, qui Sacramentum Confirmationis, non susceperint, et Fidei rudimenta edocti non fuerint, quique et scribere nesciant, et de quibus probabile non sit eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.*

Synodi Diœcesane perplures requirunt ut qui ad tonsuram accedit prima Communione corporis Christi perfunctis sit, et annum vitæ 14. attigerit, atque hic est satis communis Ecclesiæ nostræ usus.

De minoribus autem Ordinibus hoc unum decernit Con. Trid. sess. 23. c. 11. de Reformat. *Minores Ordines iis qui saltem linguam latinam intelligant per temporum interstitia conferantur.*

R. 3°. Concil. Trid. de Ordinibus sacris, sess. 23. de Reform. c. 12. sic statuisse: *Nullus in posterum ad subdiaconatus Ordinem ante* 22. *annum, ad diaconatus ante* 23. *ad Præsbyteratus ante* 25. *ætatis suæ annum promoveatur.* Hæc autem de annis incœptis ex usu intelliguntur. Concilii Decretum ubique nunc observatur.

R. 4°. ex Concordatorum Lege, tit. 5. Gallis esse concessum ut episcopatus dignitate posset insigniri qui pervenerit, ad 27. suæ ætatis annum. Veteribus vero temporibus nemo ante annum ætatis suæ quinquagesimum ad supremum hoc honoris fastigium evehebatur.

R. 5°. illum qui ante legitimam ætatem ad sacros Ordines irrepserit, suspensum esse, non tantum quoad ætatem requisitam attigerit, sed indefinite, eumque fieri irregularem, si in eo statu officium exercuerit. Ita statuit Pius II. in Bulla, *Cum ex sacrorum*, cui concinit Synodus Mediol. 3.

Titulus

Titulus clericalis.

Requiritur titulus. Porro titulus ecclesisasticus est quædam boni ecclesiastici vel patrimonialis quantitas, qua Clericus honestam habeat in victu et vestitu sustentationem. Ea fuit Ecclesiæ disciplina per duodecim prima sæcula, ut Ordinibus nemo initiaretur sine aliquo beneficio, et nisi alicui addiceretur Ecclesiæ, vel alicui ministerio ecclesiastico, ex cujus proventibus vel oblationibus sustentaretur, ut constat ex Synodo generali Chalcedon. can. 6. et multis aliis Conciliis subsequentibus. Hæc autem Ecclesiæ praxis versus finem 12. sæculi mutata est, ususque deinceps invaluit Clericos ordinandi vel sub titulo ecclesiastico vel sub titulo patrimoniali.

Novam hancce disciplinam confirmavit Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de Reform. Reges nostri idem statuerunt. Sic habet Statutum Aurelianense art. 12. *Defendons a tous Prelats de promouvoir aucun a l' Ordre de pretrise, qu'il n'ait un bien temporel, ou benefice pour se nourrir et entretenir, lequel revenu temporel sera certifie sans fraude, pardevant le Juge ordinaire, de la valeur de cinquante livres tournois par an, au moins, par quatre bourgeois ou habitans du lieu, solvables, qui seront tenus fournir et faire valoir la dite somme.* Art. 13. Statuitur Episcopum qui hanc regulam infregerit, teneri Præsbyterum sine patrimonio ordinatum sustentare, donce competens ei beneficium contulerit: quod quidem Legibus Ecclesiæ consentaneum est. Quantum ad valorem patrimonii ad sacros Ordines requisiti, idem non est in variis Diœcesibus, Standum est locorum consuetudini aut Diœcesanis Statutis.

Ex his patet duplicem esse titulum, *beneficii et patrimonii*, sine quo Clerici sæculares ad subdiaconatum non sunt promovendi, nisi ob eorum virtutes, scientiam, et Ecclesiæ utilitatem Episcopus aliter judicaverit: alter *pauperitatis*, qui competit Religiosis qui solemuia paupertatis vota emiserunt.

Ut

Ut autem sufficiens sit ac valeat beneficii titulus, multa requiruntur.

1°. Ut beneficium actu habeatur. Unde non sufficit spes aut etiam certitudo illius possidendi.

2°. Ut beneficium canonice possideatur. Unde non inservit beneficium simonia obtentum, etiam ei qui simoniam ignoravit.

3°. Ut idem beneficium pacifice possideatur, id est, sine lite juris aut facti.

4°. Ut sit verum beneficium, non merum officium amovibile, seu ad nutum revocabile.

5°. Errant, ut observat Garcias, Lib. de Beneficiis, ii qui existimant quantulumcumque beneficium ad titulum sufficere; si enim proventus *taxam* non adæquet ab Episcopo præscriptam, supplere debet patrimonium.

In titulo patrimoniali non secus ac beneficiali multæ quoque requiruntur conditiones.

1°. Oportet ut valorem ab Episcopo præscriptum adæquet.

2°. Ut actu ab Ordinando possideatur. Unde nec sufficit spes, nec simplex promissio.

3°. Ut vere possideatur, non ficte aut sub conditione expressa vel tacita ut ejus proventus danti remittantur, sicut aliquando contingit.

4°. Titulus patrimonialis potest esse vel fundus proventum habens, vel mera pensio ad vitam super aliquem fundum assignata. Porro fundus in titulum datus vel ille super quem assignatur pensio, non debet esse minoris valoris quam requiritur et asseritur.

5°. Necesse est ut sit liber ab omni hypotheca et onere quod ejus valorem imminuat vel incertum reddat.

6°. Non valet titulus cum præjudicio legitimæ fratribus debitæ, nisi ii sint ejus ætatis in qua valide possint hanc donationem approbare.

7°. Titulus patrimonialis ex Statuto Aurelianensi, an. 1560. art. 12. atque ex pluribus Arrestis alienari non potest. Si tamen supervenerit postea

patrimonium aliud majus, vel beneficium æquivalens, poterit titulis alienari, saltem de consensu proprii Episcopi, imo in quibusdam locis sine illo consensu.

Ex his quisque facile deprehendet fraudes quæ in titulis admitti solent. Ex his facile etiam intelligitur, graviter peccare eos qui sine titulo vel cum titulo ficto sacris Ordinibus initiantur, etsi habeant unde vivere possint; legibus enim Ecclesiæ per regias sanctiones confirmatis reluctantur.

At difficilius est definire utrum qui sine titulo promoventur ad subdiaconatum, pœnam suspensionis antiquo jure latam incurrant. Non consentiunt ea de re Doctores. Ut solvatur difficultas, notandum triplici modo posse aliquem sine titulo ordinari. 1°. S. Ordinandus ante Ordinationem juret vel promittat Episcopo titulum non exigenti se ab eo nec victum nec alimenta petiturum. 2°. Si Ordinandus sub titulo insufficienti vel ficto, dolose, inscio prorsus Episcopo, ad Ordines promoveatur. 3°. Si Ordinandus Episcopo declaret se non habere titulum ad Ordinationem requisitum, et nihilominus ab eodem Episcopo sacris Ordinibus addicatur.

In primo casu *Ordinator a collatione per triennium, et Ordinatus ab Ordine sic suscepto donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit, noverint se suspensos.* Ita Greg. IX. cap. *Si quis ordinaverit*, de Simonia.

In secundo casu, communiori Doctorum calculo receptum est suspensionem ipso facto incurri virtute Canonis *Neminem*, et Canonis *Sanctorum*, quos Canones volunt a Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de Reform. post stabilitam beneficialis vel patrimonialis tituli necessitatem his vrrbis confirmatos, *antiquorum Canonum pœnas super his innovando.* Huic decisioni adhærendum esse judicamus, 1°. quia Fagnanus in cap. *Episcopus*, et alibi, refert Congregationem Cardinalium Conc. Trid. Interpretum an. 1610. definiisse Concilium illud verbis

modo

modo relatis suspensionem renovasse contra Clericos qui fictis titulis utuntur. 2°. Quia Urbanus VIII. eos declaravit suspensos in Constit. an. 1624. data, quæ incipit his verbis: *Secretis æternæ providentiæ.*

In tertio casu, in quo Oordinandus bona fide suam paupertatem notam facit, nec Episcopum ullo modo decipit, arbitramur cum bene multis nullam contrahi suspensionem, sacramque Synodum Trid. respectu eorum suspensionem a Canonibus, *Neminem* et *Sanctorum*, latam minime renovasse, quia sunt excusabiles; sed tantum confirmasse, respectu Episcoporum qui in eo casu sacros Ordines contulerunt, pœnam latam a Canonibus, *Episcopus* et *cum secundum;* quia tenebantur Episcopi eos alere ac sustentare quos sine titulo ad sacros Ordines promovebant. Addimus cum illius opinionis Defensoribus ad Clericos sic ordinatos respexisse Congregationem Cardinalium, a quibus ann. 1583. sic decisum est: *Ordinatus contra formam Concil. Trid. sine beneficio aut patrimonio, non est per hoc suspensus, nec aliquam pœnam incurrit, sed cogendus est Ordinarius ei providere, juxta caput, Cum secunduni, de Præbendis.*

Qui plura voluerit de titulo clericali, consulat Collatorem Andegavensem Tractat. de Ordine, vel Colletum speciali dissert. ea de re edita tom. 14. de Ordine.

Ordinatio non fiat per saltum.

Illicita est Ordinatio per saltum, seu illa qua quis ad Ordinem superiorem promovetur, inferiori prætermisso. Graviter enim ejusmodi Ordinatio prohibita est a Concil. Sardicensi, can. 10. Suessionensi ann. 853. Alex. II. dist. 52. cap. *Sollicitudo*, Innoc. III. cap. *Tuæ litteræ*, lib. 5. tit. 29. de Clerico per saltum promoto.

Quæres 1°. an qui per saltum ordinatus est, sit suspensus?

R. ex

R. ex communiori ac probabiliori sententia eum ab Ordine per saltum suscepto suspensionem incurrere, non tantum ferendæ, sed etiam latæ sententiæ. Id non obscuris verbis docent Alex. II. et Innoc. III. in locis mox citatis. Idem facile colligitur ex istis verbis Concil. Trid. cap. 14. de Reform. *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Ex quibus verbis sequitur 1°. eum qui fuit per saltum ordinatus, suspensionem contraxisse; alioquin dispensatione non indigeret. 2°. Sic Ordinatum irregularem fieri, si ministret in Ordine per saltum suscepto. 3°. Episcopum ex legitima causa posse sic Ordinatum absolvere a suspensione, eique Ordinem omissum conferre ut illum exerceat. Id vero Episcopus tantum potest, si promotus *per saltum non ministraverit*, nempe in Ordine per saltum suscepto: si autem ministraverit, opus est dispensatione summi Pontificis; quia contracta est irregularitas cujus absolutionem concedere non possunt Episcopi, nisi sit occulta, ut patet ex Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de Reform.

Diximus autem suspensionem ab Ordinibus *per saltum susceptis* incurri; quia suspensionem ad Ordines legitime susceptos non extendi sat clare indicat Alex. II. cit. cap. *Sollicitudo*, ubi hoc unum asserit, promotum per saltum suspendi ab exercitio Ordinis *male suscepti.*

His addimus promotum ad Ordines, non recepta prius tonsura, ab iis etiam esse suspensum; quia tonsura, licet non sit Ordo, est tamen Ordinum basis ac fundamentum. Ita definiit sacra Congregatio.

Quæres 2°. an valeat Ordo per saltum receptus?

R. affirmative, excepto tamen episcopatu. Id constat 1°. quia nihil habetur in Scripturis aut in Traditione aut in corpore Juris, quo vel tantillum appareat invalide conferri ejusmodi Ordines. 2°. Quia summorum Pontificum Decreta, quæ ad hanc rem attinent, unice præscribunt ut conferantur

Ordines

Ordines prætermissi, nusquam vero ut iterum recipiantur Ordines per saltum suscepti. 3°. Quia Jueninus dissert. 8. de Sacram. Ordinis, c. 4. multis exemplis ostendit in Ecclesia collatos fuisse superiores Ordines, omissis inferioribus.

Theologi vero episcopatum excipiunt, huncque a nemine, nisi sit Præsbyter, valide posse recipi existimant, 1°. quia Patres Concil. Sardicensis apud Theodoretum, lib. 2. c. 8. et Patres Alexandrinæ Synodi apud Athanasium Apol. 2. probant Ischyræ nullam fuisse Ordinationem, eo quod ab Arianis Episcopus esset creatus, licet necdum esset Præsbyter. 2°. Quia Episcopus frequentissime a Veteribus dicitur summus Sacerdos, porro ut quis sit summus Sacerdos, necesse est ut antea sit Sacerdos. 3°. Quia Episcopus qui in Sacerdotem non esset ordinatus, non haberet potestatem consecrandi, quæ per solam formam sacerdotio propriam datur, neutiquam vero per episcopatum; Episcopus proinde minus haberet potestatis quam simplex Sacerdos: quod a nemine unquam dictum est.

Interstitia.

Inter varios Ordines suscipiendos plurimorum annorum olim servanda erant interstitia, uti sanxerant Patres Sardicenses, Innoc. I. Epist. 4. ad Felicem, Siricius Papa, Zozimus Epist. ad Hesychium, S. Leo, &c. Instituta fuere illa interstitia ut ii qui ad Ordines sunt promovendi, eorum sanctitatem, dignitatem, officia, illos exercitando, cognoscant, animum ecclesiasticum altius imbibant, Ecclesiæ leges ac disciplinam ediscant, atque ut iis intervallis mores eorum, fides, pietas, doctrina probentur.

Concil. Trid. sess. 23. cap. 11. de minoribus Ordinibus sic statuit: *Minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.....Hi vero non nisi post annum a susceptione primi gradus minorum Ordinum ad*

ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.

De Subdiaconis, c. 13. sic. habet: *Promoti ad sacrum subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.*

Cap. 14. idem Concilium requirit ut Diaconi in suo Ordine ministrent *ad minus per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur.*

Ex quibus sequitur 1°. Ordines non nisi servatis interstitiis, quantum fieri potest, esse conferendos. 2°. Tempus interstitiorum inter minores Ordines non fuisse a Conc. Trid. determinatum, sed Episcoporum judicio relictum. 3°. Episcopum posse Diœcesanum suum ab illis interstitiis dispensare, sed solum cum id Ecclesiæ utilitas vel necessitas exposcit, id est, cum deficiunt Ministri, vel cum pauci sunt idonei, vel cum Ordinandus eximia virtute præditus, jam ætate provectus est.

Capitulum, Sede vacante, Vicarii generales, absente Episcopo, possunt ab interstitiis dispensare, in iis tamen casibus, in quibus sive Capitulum sive Vicarii generales facultatem habent Litteras dimissorias concedendi. Ita definivit sacra Congregatio Cardinalium, ut videre est apud Colletum, tom. 14. de Ordine.

Non possunt autem Superiores regulares hanc dispensationem suis Religiosis concedere, uti declaravit eadem Congregatio, testibus Quaranta de Ordine, et Barbosa, part. 2. *de officio et Potestate Episcopi*, allegat. 18. Ratio est, quia dispensatio hæc Episcoporum judicio relicta est. Abbates tamen qui minores Ordines conferendi jus habent, possunt illorum Ordinum interstitia contrahere, aut ab iis dispensare.

Ex dictis patet peccare graviter eos qui, non servatis interstitiis, nec obtenta dispensatione proprii Episcopi qui solus illam concedere potest, sacros Ordines suscipiunt. Nulla tamen censura ab iis incurritur

incurritur qui, neglectis interstitiis, Ordines receperint vel contulerint; quoniam nulla pœna in eo casu a jure lata est nisi a Sixto V. in Bulla contra Clericos male promotos, quæ in Galliis nunquam recepta est, quæque aliunde a Gregor. XIV. et postea a Clemente VII. revocata est.

Quæres an licitum sit plures Ordines eadem die suscipere?

R. 1°. morem invaluisse, saltem in Galliis, ut eodem die quatuor minores Ordines conferantur. Hæc consuetudo fundatur cap. *De eo*, de temp. Ordinat. Facultas dispensandi ab interstitiis inter illos Ordines servandis a Conc. Trid. Episcopis conceditur. Igitur licitum est quatuor minores Ordines uno die recipere si hæc praxis in aliqua Diœcesi vigeat. Ita declaravit Congregatio Cardinalium, teste Fagnano in cap. *De eo*, de temp. Ordinat.

2°. Vetitum est cap. *Cum Later, de eo qui furtive Ordin.* ne quatuor minores Ordines et subdiaconatus eodem die suscipiantur. Notat tamen Collator Andegavensis consuetudinem contrariam in quibusdam Diœcesibus introductam eos excusare qui aliter agunt.

3°. Jure prohibitum est, ac praxi universali contrarium, majores Ordines eodem die suscipere. At vero controvertitur inter Theologos, utrum qui sic ordinati sunt, ipso jure suspensionem incurrant. Affirmant Cabassutius, Gibert, Colletus, Collatur Andegav. tom. 3. de Casibus reservatis, quibus practice adhærendum esse censemus; cum non tantum probabilior sed et multo securior sit eorum sententia.

Tempus statutum.

Tempore ab Ecclesia statuto fieri debent Ordinationes.

Non videtur ullum tempus fuisse ab Apostolis observatum; sed verisimile est eos pro Ecclesiarum necessitate

necessitate aut opportunitate temporis constituisse Ministros. At postea statutum est in Ecclesia ut Ordines non nisi certis anni temporibus et diebus conferrentur. Quidquid sit præcise de temporibus quibus olim consecrarentur Ecclesiæ Ministri, usus invaluit jam a multis sæculis, ut Præsbyteri, Diaconi, Subdiaconi non ordinarentur nisi Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, et Sabbato Sancto, horis matutinis, ut fertur cap. *De eo*, de temp. Ordinat. Concil. Trid. nihil ea de re innovavit, sed antiquam consuetudinem quæ jam legis vim habet, sess. 23. c. 8. confirmavit his verbis : *Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus publice celebrentur.*

Non licet Episcopis sacros Ordines conferre aliis temporibus, nisi facultas iis fuerit a S. Pontifice concessa, prout aliquando contigit.

Possunt autem Episcopi, ex cap. *De eo*, ad minores Ordines promovere, modo dies Dominica sit, aut Festum duplex ; sed in mane tantum, ut addit Rubrica. Viget tamen in quibusdam Diœcesibus consuetudo serotinis horis inferiores Ordines conferendi pridie solemnis Ordinationis, ut die sequenti majori cum facilitate superiores Ordines conferantur. Servari potest illa consuetudo, ubi viget.

Quantum ad tonsuram, quolibet anni die et qua hora libuerit concedi potest, ut habetur in Pontificali.

Episcopatus quolibet tempore conferri potest ; modo id fiat die Dominica aut die Festivo.

Non est omnino certum an qui extra tempora jure statuta ordinantur, suspensionem ipso facto contrahant. Nec desunt Theologi qui Canonem, *Ordinationes*, dist. 75. Alexandrum III. in c. *Sane*, Urbanum III. in cap. *Cum quidam, de temp. Ordinat.* de suspensione ferendæ sententiæ interpretentur, Bullasque Pii II. et V. ubi pœna suspensionis ipso jure pronunciatur, in Galliis minime receptas asserant. Quidquid sit, si talis censura ipso facto incurratur, Episcopus ab ea solvere potest.

Locus.

Locus.

Majores Ordines conferri debent in loco sacro. *Ordinationes,* inquit Concil. Trident. sess. 23. de Reform. c. 8. *in Ecclesia Cathedrali, vocatis præsentibus ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur; si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior quantum fieri poterit, Ecclesia adeatur.* Aliunde cum Ordinationes majorum Ordinum fieri non possint nisi intra Missarum solemnia, necessario debent in loco sacro celebrari.

Quantum ad minores Ordines ac tonsuram, convenit quidem ut pariter in loco sacro conferantur; verumtamen in alio loco dari possunt, uti constat ex usu et Pontificali Romano, in quo legitur tonsuram et minores Ordines quocumque in loco, ubicumque posse conferri.

Immunitas ab impedimentis.

Denique multa sunt impedimenta quibus homines fiunt inhabiles ad Ordines licite recipiendos, ac consequenter ad eorum functiones obeundas. Ista impedimenta vocantur irregularitates, de quibus simul ac de censuris in decursu specialis Tractatus habebitur; ideoque nihil eo loci de iis disseremus.

ARTICULUS III.

De obligationibus eorum qui Ordinibus sive majoribus sive minoribus initiantur, ubi potissimum de Cœlibatu.

De variis Clericorum obligationibus in Tractatu de diversis statibus, c. 2. dicturi sumus. Nunc duo tantum occurrunt expendenda. 1°. Utrum Clerici sacris inititati vel beneficium possidentes divinum officium recitare teneantur. 2°. Utrum Clerici sacris Ordinibus inititati ad castimoniam servandam obligati sint.

PROPOSITIO I.

Clerici sacris Ordinibus initiati, vel Beneficium possidentes, ad divinum Officium recitandum sub gravi peccato tenentur.

Prob. 1. *pars.* Constat. 1°. ex cap. *de Celebrat. Miss.* quod desumptum est ex Consul. Agarhensi an. 506. celebrato, ubi sic legitur: *Præsbyter mane, matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ, videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque exsolvat.* 22°. Ex Concil. Basileensi sess. 21. quæ ante schisma celebrata est, cujus hæc sunt verba: *Quoscumque Beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet Synodus, &c.* 3°. Ex consuetudine dudum in Ecclesia tum occidentali tum orientali recepta, quæ proinde vim Legis habet.

2 *pars constat* 1°. ex duobus argumentis ultimis pro prima parte laudatis. 2°. Ex Concilio Lateranensi 5 sess. 9. ubi sic: *Statuimus et ordinamus ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii et temporis, sed eos fructus tanquam injuste perceptos, in Fabricam hujusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Quod Decretum confirmavit et explicuit Pius V. in Bulla, *ex proximo Lateranensi Concilio*, ubi post verba hæc, *pro rata omissionis*, sic addit: *Statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermisserit, omnes beneficii vel beneficiorum suorum qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam: qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat, &c.*

Quantum ad 2. quæstionem de castitate a Clericis servanda, notandum eos omnes ad eam teneri.

Nemo,

Nemo, ait Urbanus II. c. 12. dist. 32. *ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatæ sit castitatis.* Unde si grave sit in Laico contra castitatem peccatum, quanto gravius in Clerico. Clericus igitur fugiat turpes aspectus, voces obscœnas et ambiguas, et quæcumque violandæ castitatis occasionem ipsi præbere possunt. At Clerici in Sacris constituti multo magis quam alii, ut patet, ad servandam castimoniam obligantur; sed antequam eos qui sacris Ordinibus addicti sunt, teneri ad cœlibatum stabiliamus, quædam in antecessum historice sunt observanda.

Certum est 1°. antiquis temporibus Episcopis, Præsbyteris, Diaconis, Subdiaconis in Ecclesia græca licitum non fuisse uxores post Ordinationem ducere. Id constat 1°. de Episcopis, Præsbyteris ac Diaconis ex lib. 6. Constit. Apostol. cap. 17. ubi de illis dicitur: *Post Ordinationem, si uxores non habent, præcipimus ut non liceat amplius ducere.* 2°. Id constat de Præsbyteris, Diaconis ac Subdiaconis ex Novella Justiniani 123. cap. 14. *Clericis est permissum ut legitimas habeant uxores. Cantores et Lectores nuptias legitimas contrahere possunt; at Subdiaconi, Diaconi et Præsbyteri omnino id facere prohibentur.* 3. Idem sancitum est a Synodo Quini-sexta seu Trullana an. 692.

Verum est tamen Synodum Ancyranam an. 314. can. 9. *Diaconis in ipsa Ordinatione protestantibus se non posse manere cœlibes* permisisse ut post suam Ordinationem uxores ducerent. At vero Decretum illud nec ubique probatum est, nec in omnibus locis viguit, fuitque subsequentibus Conciliis ac Novella præfata Justiniani Imperatoris emendatum.

2°. Priscis temporibus in Ecclesia græca Episcopis non licuit nec etiam licet uti conjugio quod ante ordinationem contraxerint. Id constat ex Concilio Quini-sexto seu Trullano can. 22. ubi id expresse legitur.

Istam Legem etiamnum apud Græcos vigere, neminemque

neminemque ex eis, nisi sit virgo aut viduus, aut si uxoratus, continentiam perpetuam polliceatur, assumi in Episcopum certissime constat, idque se a Græcis fide dignis, cum Romæ degeret, accepisse testatur Vasquesius 3. part. disp. 248. cap. 1.

3°. Præsbyteris et aliis infra Ministris apud Græcos ab eodem Trullano Concilio can. 23. permissum est uxores ante Ordinationem legitime ductas retinere et cum iis vivere tanquam uxoribus: *Quoniam Romanæ Ecclesiæ pro Canone traditum esse cognovimus*, inquit illa Synodus, *ut promovendi ad diaconatum vel præsbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos; nos antiquum Canonem apostolicæ perfectionis Ordinisque servantes, hominum qui sunt in Sacris legitima conjugia deinceps quoque firma et stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes..... quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus vel Diaconus vel præsbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque ab eo Ordinationis tempore postuletur ut profiteatur se a legitima uxoris consuetudine abstenturum.*

Percelebris ille Canon etiamnun apud Græcos viget, ita ut tamen nupti Sacerdotes frontem gerant alba vitta succinctam, ut videre est apud Dugnetum, qui id multorum viatorum testimoniis probat in Collat. part. 2. p. 145. Ideo autem Episcopi, non autem Præsbyteri, a Græcis continentiæ devoventur, quia Episcopi fere soli sacra mysteria perficiunt, quibus raro vacant Sacerdotes. Unde existimarunt satis esse ut istis continentia, ad ministerii tempus, indiceretur.

Notandum est autem hanc Græcorum disciplinam ab Ecclesia Romana, quæ tamen aliam observat, tolerari; cum nusquam a Græcis, quando pax cum illis in Conciliis Lugd. et Florent. fuit ineunda, postulaverit Ecclesia Romana ut sacros suæ Ecclesiæ Ministros a suis uxoribus separarent.

4°. Quamvis Præsbyteris et aliis infra Ministris apud

apud Græcos a Synodo Trullana permissum sit uxores ante Ordinationem ductas retinere, antiquitus tamen et ex laudabili usu multis in locis non ubique observato, Ministri sacri ab uxoribus ante Ordinationem ductis abstinebant, ut constat ex can. 9. Concilii Ancyrani, ex Eusebio lib. 3. Demonst. Evang. c. 9. Origene Homil. 2. in Librum Numerorum.

5°. In Ecclesia latina jure antiquissimo obligato in perpetuum continendi ac proinde abstinendi ab uxoribus ante Ordinationem ductis Episcoporum, Præsbterorum, Diaconorum Ordini fuit annexa. Id constat 1°. ex Concilio Eliberitano in Hispania an. 305. can. 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Præsbyteris, Diaconis.....abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicumque vero aliter fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* 2°. Siricius Papa an. 395. in Epist. ad Himerium sic habet: *Sacerdotes omnes et Levitæ indissolubili lege adstringimus, ut a die Ordinationis nostræ sobrietati et pudicitiæ et corda nostra mancipemus et corpora.* Infiniti essemus, si hujus disciplinæ varia monumenta referre vellemus. Qui plura voluerit, adeat Thesaurum Coccii de Ordine, Bellarminum lib. de Clericis c. 19. Thomassinum de Disciplina ecclesiastica p. 1. lib. 2.

6°. In eadem Ecclesia latina Subdiaconi antiquissimis temporibus eidem continentiæ perpetuæ legi variis Conciliorum ac Pontificum Statutis devoti sunt. At quantum ad illos hæc disciplina quasdam varietatis perpessa est, nec fuit constans ac generalis in toto Occidente. S. Leo continentiam perpetuam illis imposuit. S. Gregorius in Epist. 42. exeunte sæculo 6. indulsit ut Subdiaconi Siciliæ qui matrimonio essent conjuncti, cum uxoribus ad prolem manerent; sed in eadem Epist. vult ut dicatur omnibus Episcopis nullum facere Subdiaconum, nisi qui se victurum caste promiserit. Tandem sæculo 11. post Decretum Urbani II. in Concilio Claromontano lex ubique in Ecclesia latina viguit

ut Subdiaconi continentiæ perpetuæ subjicerentur.

His prælibatis, nunc nobis probandum incumbit Clericos in Sacris constitutos in Ecclesia latina ad perpetuam continentiam teneri. Negant Protestantes qui contendunt illam legem esse injustam juri naturali ac divino contrariam. Contra illos sit.

PROPOSITIO II.

Clerici sacris Ordinibus initiati, videlicet Subdiaconi, Diaconi, Præsbyteri et Episcopi in Ecclesia latina tenentur ad cælibatum seu ad perpetuam et omnimodam continentiam, eaque juste, pie ac sapienter Ecclesiæ Ministris imposita est.

Prob. 1. *pars, nimirum majores Clericos ad hanc legem teneri.* Etenim Clerici majoribus Ordinibus initiati ad hanc legem tenentur quam ipsis antiquitus Ecclesia injunxit infinitiesque confirmavit, ac sub diversis pœnis nimirum suspensionis, excommunicationis, ipsiusque carceris renovavit: atqui Ecclesia latina Clericis majoribus perpetuæ continentiæ legem antiquitus injunxit, infinitiesque confirmavit, ac sub diversis pœnis modo memoratis renovavit. Id probatur sive ex Decretis Concilii Eliberitani et Siricii Papæ, et aliis quæ modo citavimus; sive ex Conciliis innumeris a septimo sæculo celebratis, nempe Toletano 8. an. 653. can. 5. 6. Toletano 9. Arvernensi 2. can. 4. Romano sub Nicolao II. Claromontano 1095. Lateranensi 1. 1123. can. 3. Londinensi 1125. can. 13. Lateranesi 2. can. 6. Rhemensi 1148. Lateranensi 3. an. 1179. can. 11. Idem sanxerunt SS. Pontifices qui a decem sæculis Petri Cathedram occupaverunt, inter quos Zacharias, Nicolaus I. Leo IX. Gregorius VII.

Et vero constat neminem ad sacros Ordines promovendum, nisi tacite castitatis votum emiserit, seu promiserit *se in castitati victurum, ut habetur dist.*

dist. 28. *cap. Nullum. Episcopi nullum facere præsumant Subdiaconum, nisi qui se victurum caste promiserit.* Atque de hac promissione ab Episcopo moneri debent qui subdiaconatus Ordinem suscepturi sunt.

Denique eamdem legem confirmavit Conc. Trid. sess. 24. de Matrimonio can. 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos.....posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica.....anathema sit.* Hinc etiam sess. 23. de Reform. cap. 13. sic habet: *Subdiaconi et Diaconi ordinentur...qui sperent, Deo auctore, se continere posse.*

Prob. 2. *pars. nimirum legem istam juste, pie et sapienter fuisse sacris Ministris impositam.* Nam 1°. lex quæ millies a sanctis Ecclesiæ Doctoribus repetitisque Conciliorum Decretis commendata est, non nisi justa, pia ac sapiens esse potest: atqui talis est ex cœlibatis Ministris imposita; ergo, &c.

2°. Illa lex juste, pie ac sapienter instituta est, qua posita multo facilius multoque accuratius Ministri sacri possunt implere officia suis Ordinibus annexa: atqui, posita cœlibatus lege, Ministri sacri multo facilius, multoque accuratius implere possunt officia suis Ordinibus annexa. Nam præcipua Ministrorum sacrorum officia sunt sacrificare, orare, docere, Sacramenta ministrare, curam pauperum gerere, et alia id genus. Quis autem non videt hæc officia multo facilius competere viris perpetuæ continentiæ devotis quam conjugatis? Quia, ut ait Apostolus 1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt... Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.*

3°. Sacrorum Ecclesiæ Ministrorum est sacra contrectare, Christi corpus conficere vel administrare. Hæc autem sublimia ac sanctissima munera summam et angelicam puritatem ac proinde vitam cœlibem exigere videntur.

Solvuntur

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Lex continentiæ perpetuæ sacris Ministris imposita, juri naturali contraria est, ut patet ex naturæ propensione quæ singulis inest hominibus. Ergo, &c.

R. n. ant. Quamvis enim matrimonium consentanee ad legem naturæ et hominis propensionem institutum sit, non tamen illud lege naturæ præcipitur saltem pro omnibus et singulis hominibus; alioquin jus illud naturæ fuisset ab Elia, Jeremia, Joanne utroque violatum: quod nemo dixerit.

Præterea nativa hominis ad matrimonium proclivitas, seu potius ad carnis illecebras propensio, meritorie coerceri potest, nec ipsimet Pseudo-reformati ut juris naturalis violatores damnant eos omnes qui apud ipsos vitam cœlibem agunt. Igitur propensio illa præceptum naturale non importat.

Demum corrupta hominum inclinatio sæpe vehementius eos ad illicitas quam ad licitas voluptates impellit. Atqui tamen nemo inde concludet voluptates illicitas jure naturali præcipi. Ergo pariter ex eo quod hominibus insit ad matrimonium propensio, non licet inde concludere illam naturale præceptum maritandi pro omnibus et singulis hominibus importare.

Obj. 2°. Lex continentiæ saltem juri divino adversatur; cum Deus omnibus hominibus conjugium præceperit his Geneseos verbis, *crescite et multiplicamini.*

Respondent 1°. *nonnulli* verba illa, quæ etiam ad aves et pisces dicta sunt, magis benedictionem quam legem exprimere, cujus capacia non sunt animalia.

R. 2°. præceptum illud, si tamen ibi sit præceptum, ut mnlti volunt, referri ad mundi exordium, quo terra erat vacua. Ita Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustiuus.

R. 3°. dictum illud, si verum sit præceptum, saltem

saltem non dari pro omnibus et singulis hominibus, nec spectare ad illos qui ad sanctiorem statum vocantur, sed respicere tantum hominum communitatem, et illos qui vulgarem vitam agere volunt.

Obj. 3°. Saltem Deus permisit matrimonium, ut constat ex istis Matth. verbis cap. 19. *quod Deus conjunxit, homo non separet:* atqui id quod Deus permisit, Ecclesia prohibere non potest.

R. 1°. Ecclesiam nemini matrimonium prohibere, cum neminem ad Ordines compellat, sed multos potius ab iis removeat.

R. 2°. *dist.* Deus permisit matrimonium iis qui sibi illud non interdixerunt, *conc.* secus, *neg.* Porro sacri Ministri matrimonium sibi interdixerunt.

R. 3°. *dist.* Quod permisit Deus, Ecclesia non potest prohibere, sine Dei ipsius consensu, *conc.* cum ipsius consensu, *neg.* Porro consensit Deus ut ecclesiastica potestas, imo et civilis, multa prohiberet quæ ipse, utpote indifferentia, permiserat, præcepitque ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita foret.

Obj. 4°. S. Paulus 1 Cor. 7. sic habet: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.*

R. 1°. S. Paulum verba ista non dirigere ad solutos et virgines, quasi his conjugium præciperet; alioquin sibi contradiceret, cum in eod. cap. v. 7. declaret *non nuptis et viduis bonum esse, si sic permaneant.* Apostolus igitur ibi conjugatos alloquitur, eosque monet ut suis uxoribus ad vitandam fornicationem utantur. Responsionem probant 1°. hæc ejusdem Apostoli verba ibidem: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* 2°. Idem probant hæc alia ipsius verba 1. Cor. 5. *Ita ut uxorem patris aliquis habeat; quibus* patet *habere uxorem,* apud D. Paulum, esse ea uti, non vero eam ducere; cum nequidem inter Gentes liceret patris sui uxorem ducere.

2°. Responderi potest S. Paulum, si ad innuptos sermonem habeat, loqui duntaxat *secundum indulgentiam,*

gentiam, non secundum imperium seu præceptum, ut ipse ait v. 9.

Obj. 5°. Idem Paulus 1 Timoth. 3. et Tit. 1. vult Episcopum et Diaconum *esse unius uxoris virum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Id autem non præciperet, si matrimonium non esset necessarium.

R. id unum intendere S. Paulum, videlicet Bigamos non esse ad Ordines promovendos; nec vult teneri sacros Ministros unam saltem uxorem habere; alioquin ipse sacerdotii dignitatem induere non potuisset, cum fuerit innuptus secundum doctrinam constantem SS. Patrum, excepto Clemente Alexandrino, quem nemo secutus est.

Obj. 6°. 1 Timoth. 4. Apostolus ait *novissimis temporibus discessuros esse quosdam a Fide habentes doctrinam Dæmoniorum, prohibentes nubere.* Pestiferam igitur hæresim tuentur qui nuptias prohibent.

R. dist. Doctrina est Dæmoniorum prohibere nuptias ut in se malas ac omnibus exitiales, ut prohibuerunt postea Encratitæ et Manichæi, *conc.* prohibere nuptias iis qui sibi ex perfectioris vitæ studio easdem interdixere, ut prohibentur in Ecclesia Romana, quæ neminem ad cœlibatum cogit, sed conditionate tantum, si nimirum quis ad sacros Ordines promoveri velit, *neg.*

Inst. Loquitur Apostolus de doctrina novissimis temporibus proditura, ac proinde de doctrina Ecclesiæ Romanæ, non Encratitarum aut Manichæorum, qui primis temporibus ac statim post ætatem Apostolorum improbavere nuptias.

R. per novissima tempora intelligi posse tempus sæculi Paulini vicinum. 1°. Quia vox græca correspondens, non ea est qua consuevit Scriptura sæcula remotissima designare, bene vero qua solet tempus subsequens sed non ita remotum exprimere. 2°. Quia novissimum tempus aliquando significat tempus parum distans, imo venturum ante mortem eorum qui illa voce utuntur. Unde Joan, 1. Epist. 2.

2. ait: *Filioli, novissima hora est.* Nihil ergo vetat quominus verba Pauli intelligantur de Encratitis, aliisque ejusmodi nuptiarum execratoribus qui post ætatem Apostolorum prodierunt.

Plus autem dico, et contendo hæc novissima tempora reipsa quidem intelligi debere de ipso sæculo Apostolorum vicino, siquidem v. 6. Paulus Timotheum hortatur ut Dogmatibus horumce temporum invigilet, illaque proponat fratribus ad illos contra hæc ipsa præmuniendos.

Obj. 7°. Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus.* Porro si connubium sit honorabile in omnibus, ergo et in Præsbyteris.

R. hæc verba, *in omnibus*, non cadere in personas; alioquin honorabile foret inter fratrem et sororem. Sed vult Apostolus ut conjugium honestæ tractetur in omnibus occasionibus, in omnibus quæ matrimonii propria sunt. Ita SS. Patres et Interpretes omnes.

Obj. 8°. Ipsimet Apostoli conjugati fuerunt, ut patet 1. Cor. 9. ubi Paulus ait: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas?*

R. 1°. Quamvis, quod non arbitror, supponeretur singulos Apostolos fuisse conjugatos, conjugesque suas secum habuisse, hoc unum sequeretur conjugium non fuisse pro Ecclesiæ Ministris a Christo et Apostolis vetitum: quod multi confitentur. Cum vero postea sacris Ministris illud prohibitum sit ab Ecclesia cui, ita volente Christo, debetur obsequium, ideo non licet illis uxores ducere.

R. 2°. illos Apostolos qui uxores habuerunt, si tamen quidam habuerint, ab illis quoad thorum, postquam a Christo ad apostolatum vocati sunt, separatos vixisse, ut testantur Clemens Alex. lib. 3. Stromatum, Hieronym. lib. 1. adversus Jovinianum.

R. 3°. nullum ex Apostolis fuisse conjugatum communis

communis est Theologorum opinio post S. Hieronym. lib. mox citato adversus Jovinianum, ubi iis quæ modo ex ipso retulimus, addit mulieres quos secum ducebant Apostoli non fuisse eorum uxores, *sed mulieres sanctas, quæ juxta morem judaicum, ubique receptum, nihil proinde scandali invehentem, Magistris de sua substantia ministrabant, sicuti legimus ipsi quoque Domino factitatum.*

Ex his patet mulieres sorores quas secum ducebant Apostoli, vel fuisse fœminas pias quæ eos facultatibus suis alerent; vel si fuerint Apostolorum uxores, illis fuisse ut sorores, non ut conjuges.

Inst. S. Paulus Philip. 4. v. 3. sic ait: *Etiam rogo te et germane compar*, id est, juxta Græcum, *germana conjux* ut multi verterunt. Ergo S. Paulus fuit conjugatus.

R. neque hæc verba probare S. Paulum fuisse conjugatum. Vox enim græca, licet ambigua, aptius de masculino quam de fœminino sexu intelligitur. Hinc versionem masculinam græci Patres Chrysostomus, Theodor. Epiphianius admiserunt, eosque secuta est ipsa catena Genevensis.

Obj. 10°. Lex cœlibatus exitialis est multis Ecclesiæ Ministris, qui impudice vivunt cum ingenti Ecclesiæ dedecore et Populorum scandalo.

R. 1°. Clericorum castitatis leges violantium numerum a Protestantibus augeri. 2°. Nec rarum esse ut eorum Ministri, quamvis suas uxores habeant, cum Populorum scandalo alibi nefarias voluptates inquirant. 3°. Legem cœlibatus de se esse utilem, bonam, uberesque sanctitatis fructus producere, nec nisi per accidens ut culpa Ministrorum esse noxiam et ruinæ occasionem. Porro si tollerentur cunctæ res bonæ quæ per accidens et ex malitia creaturarum fiunt malæ, inde sequeretur cœlum et terram esse tollenda, cum multis plures Deos colendi præbuerint occasionem. Iusuper tollenda forent Decalogus et Sacramenta quibus tot homines abutuntur.

Obj.

Obj. 11°. Lex ecclesiastica de cœlibatu Sacerdotum adversatur 1°. Canoni Apostolorum sexto, ubi dicitur: *Episcopus aut Præsbyter uxorem propriam nequaquam obtentu Religionis abjiciat.*

2°. Canoni 13. Concilii sexti generalis, ubi Lex Ecclesiæ Romanæ de continentia sacris Ordinibus initiandorum expresse reprobatur.

3°. Canoni 3. Concilii Carthag. 5. quo Sacerdotes jubentur a suis uxoribus abstinere *in propriis terminis,* seu in ordine vicis suæ, ut vertunt Patres Trullani.

4°. Canoni, *Aliter* 14. dist. 31. ubi Stephanus Orientalium cum uxoribus cohabitantium morem non reprehendit.

5°. Textui Augustini relato, cap. unic. *Cum igitur,* ubi continentia Clericorum ad consilia perfectionis revocatur. Igitur lex sacris Ministris cœlibatum imponens a multis Conciliis rejicitur apud Latinos vim habentibus, et a multis Pontificibus et Patribus Ecclesiæ latinæ; nec proinde apud Latinos obligatoria est.

R. ad 1. Nihil aliud illo Canone significatur, nisi Episcopum et Præsbyterum teneri uxoribus quoad thorum relictis providere, victumque illis impendere. Ita interpretati sunt Patres Concilii Trullani et Turonensis 2. Aliunde Canones sub nomine Apostolorum ab illis non dimanarunt, ut alibi probatur,

Ad. 2. Canon ille non est Concilii 6. generalis a quo Canones nulli conditi sunt, sed Synodi Trullanæ quæ a Sergio Pontifice et a Latinis improbata est, quæque tamen Lutheranis non favet; cum solum Clericis sacris permittat cohabitare cum uxoribus ante Ordinationem ductis, ut nunc fit inter Græcos, non vero uxores post Ordinationem ducere.

Ad. 3°. Concilii Carthag. textus, qui latinus est quique non habet *in propriis terminis,* sed *secundum pirum statuta,* male a Patribus Trullanis qui græci erant, fuit conversus.

Ad. 4. Canon ille incerti est auctoris, nec in Stephani Operibus legitur; unde nullius est auctoritatis. Insuper non diffitemur aliquando, licet tarde Sacerdotibus orientalibus permissum fuisse ut conjugibus ante Ordinationem ductis uterentur, quamvis conjugia post Ordinationem nunquam ipsis permissa fuerint. Sed in nostra propositione de Sacerdotibus latinis, non de græcis, agitur.

Ad. 5. Verba objecta non sunt Augustini, sed Gratiani qui multa S. Augustini textibus de suo addidit. Aliunde dici potest continentiam Clericorum, sicut Monachorum, pertinere ad perfectionem conciliorum; quia Clerici, sicut Monachi, poterant sublimem hunc statum non eligere. Sed hoc non impedit quominus continentia eum statuni eligentibus præcepto fuerit injuncta.

Obj. 12°. Lex illa sacris Ministris injuste fuit a Latinis imposita, quam ut jugum gravius rejecit Concilium œcumenicum Christianis omnibus et etiam Latinis venerabile. Atqui lex cœlibatus, ut jugum Clericis gravius, rejecta est a Concilio œcumenico Christianis omnibus ipsisque Latinis venerabili, nimirum a Synodo Nicæna. Sic enim habet Socrates, lib. 1. Hist. cap. 11. *Quod cum visum esset Patribus Nicænis novam legem in Ecclesiam inducere, ut quicumque in sacram Ordinem allecti essent, id est, Episcopi, Præsbyteri et Diaconi, ab uxorum quas, cum Laici essent, matrimonii jure sociaverant, concubitu abstinerent, surgens in medio Episcoporum concessu Paphnutius (vir sanctitate et miraculis clarus) vehementer vociferatus est non esse imponendum Clericis et Sacerdotibus grave hoc jugum.....satis esse ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ tradtionem jam non amplius uxores ducerent, non tamen quemquam sejungendum esse ab ea quam antehac tunc cum esset Laicus, legitime duxisset.....cæterum universus Sacerdotum cœtus Paphnutii sermonibus assensus est.....singulorum arbitrio permisernnt ut ab uxorum*

uxorum consuetudine abstinerent, si vellent. Idem post Socratem referunt Sozomenus, Cassiodorus, Nicephorus, Gelasius, Cyzicenus, cujus meminit Photius cod. 15.

R. 1°. hanc Historiam rejici ut fabulosam a multis Eruditis, Baronio, Bellarmino, Arcudio, Thomassino, Valesio, Cabassutio. 1°. Quia res tanti momenti in actis Concilii non fuisset omissa; nullo tamen in exemplari memoratur, si codicem exceperis manu scriptum quem Spencius, lib. 1. de Continentia, c. 4. si vidisse testatur, quique, cum incertæ sit ætatis, contra reliquos Orbis universi codices fidem facere non potest. 2°. Quia incredible est illios Historiæ nullum Auctorem ecclesiasticum meminisse præter Socratem, qui primus omnium, centum post Concilii celebrationem annos, illam memorat. 3°. Quia hæc Historia prorsus contradicere videtur S. Epiphanio qui hær. 59. ait *quod si nonnullis adhuc in locis Præsbyteri, Diaconi et Hypodiaconi filios suscipiunt, illud ex Canonis auctoritate non fieri, sed propter hominum ignaviam.* Atqui tamen si verum esset Concilii Nicæni Statutum, egissent illi Præsbyteri *ex auctoritate Canonis,* non per ignaviam.

R. 2°. hanc Paphnutii Historiam non posse nobis a Novatoribus objici. Nam, supposita ejus veritate, Synodus Nicæna prohibuit ne Ministri sacri post suam Ordinationem uxores ducerent, idque prohibuit secundum antiquam Ecclesiæ legem. Cur igitur tot Ministri inter Protestantes, et ipse Lutherus Sacerdos, uxores duxerunt?

R. 3°. Ex narratione Socratis hoc unum consequi, videlicet continentiam Sacerdotibus jam nuptis a Synodo Nicæna non fuisse præceptam. Sed quamvis tunc Synodus Nicæna eam præcipere noluerit, potuit deinceps ab Ecclesia præcipi, cum sit res disciplinæ quæ mutari potest, cumque hæc Synodus minime vetuerit ne universalis Ecclesia aut etiam particulares Ecclesiæ, si id, attentis circumstantiis, necessarium judicarent, eamdem fixa

lege

lege præciperent. Cum itaque pro toto Occidente jam dudum consuetudine, innumeris Conciliorum ac S. Pontificum Decretis, solemnique Synodi Tridentiæ œcumenicæ Statuto lex cœlibatus Clericis in Sacris constitutis præcepta sit, sine crimine ab illis violari non potest.

Protestantes ac præsertim Centuriatores Magdeburgenses nobis opponunt exempla multorum Episcoporum sanctitate conspicuorum, qui ex uxoribus filios procreasse referuntur, inter quos recenset 1°. S. Gregorium seniorem qui jam factus Episcopus, ut ipsis videtur, Gregorium postea Nazianzenum filium habuit; 2°. Chæremonem de quo Eusebius, lib. 6. c. 34. 3°. Gregorium Nyssenum. Verum hæc exempla quæ Græcorum sunt tantum, non Latinorum, nullatenus astruunt legem continentiæ perpetuæ sacris Ministris consuetudine antiquissima, Consiliorum multorum Decretis, ipsiusque Synodi œcumenicæ judicio in Ecclesia latina impositam, vim non habere ac sine crimine posse infringi; sed ad summum probat vel nullam tunc exstitisse legem in Ecclesiis ubi ii aderant Episcopi, vel illam usu contrario fuisse abrogatam, vel uniuscujusque arbitrio fuisse relictam.

Quamvis hæc plene ad solvendam Pseudo-reformatorum difficultatem sufficiant, multi tamen addunt, et quidem merito, Gregorium seniorum ante episcopatum genuisse Gregorium postea Nazianzenum; alios vero Episcopos quorum exempla nobis opponunt, retinuisse quidem suas uxores post Ordinationem, sed illis non esse usos, pluresque eorem habuisse filios, sed ante Ordinationem.

Satisfit nonnullis quæstionibus.

Quæres. 1°. utrum Clerici in sacris Ordinibus constituti lege divina vel apostolica teneantur ad perpetuam continentiam?

R. cum multis Theologis contra quosdam alios cœlibatum sacris Ordinibus annexum, nec a Christo nec

nec ab Apostolis jussu Christi fuisse institutum, seu præceptum. Nihil enim in Scripturis aut Traditione reperitur, quo probari possit perpetuam continentiam sacris Ministris a Christo vel ab Apostolis jussu Christi fuisse impositam. Aliunde græcis Sacerdotibus uxorum, quas ante Ordinationem suam acceperant, usum jam a multis sæculis permisit Ecclesia, et etiamnum permittit, uti constat ex iis quæ antea diximus. Atqui Ecclesia dispensare non potest a lege per Christum vel ab Apostolis jussu Christi imposita.

Dicendum igitur est legem perpetuæ continentiæ sacris Ministris impositam, fuisse latam ab Ecclesia, seu ab Apostolis ut Ecclesiarum Rectoribus ac Ducibus, qui illam proposuerunt non ut divinam et immutabilem, sed ut legem ecclesiasticam, ut optimam Ecclesiæ administrandæ rationem, ut disciplinam sacris altarium Ministris convenientissimam.

Ex his patet legem cœlibatus esse simul ecclesiasticam et apostolicam, eo nimirum sensu quo rem modo exposuimus. Hinc S. Epiph. hær. 48. n. 7. ait legem istam *ab Apostolis honeste ac religiose* institutam esse. Nec aliter intelligendi sunt alii Patres qui dixerunt *Apostolos* illam legem *docuisse*, aut servavisse.

Dices. Tit. 1. *Oportet Episcopum esse continentem*. 1.Timoth. 4. *Exemplum esto Fidelium.....in castitate*. Et. c. 5. *Te ipsum castum custodi*. Ergo lex continentiæ divina est, cum ibi jussu Christi loquatur Apostolos.

R. Dato Apostolum hic jussu Christi esse locutum, dici posse castitatem quam hic commendat, non esse continentiam ab uxoribus ductis vel ducendis, sed continentiam ab omnibus illicitis voluptatibus, quæ etiam ab uxoratis servari debet. Cum tamen difficile admodum sit ut rebus sacris pertractandis liber sit, sicut oportet, vir uxoratus ac filios habens, idcirco sapientissime voluit Ecclesia, post Apostolos in eo ut Ecclesiæ Rectores agentes,

Ministros suos uxoribus carere, ac perpetuam profiteri continentiam.

Quæres 2°. an maritus nunc, vivente uxore et ea consentiente, possit Sacris initiari?

R. affirmative. Sed uxor in eo casu jure tenetur semoveri a marito, Religionemque profiteri, si juvenis sit aut de incontinentia suspecta; vel perpetuam in sæculo continentiam vovere, si sexagenaria sit.

Quæres 3°. utrum sacris Ordinibus initiati nunc invalide matrimonium contrahant, ac semper invalide contraxerint?

R. 1°. vetustissimis temporibus hæc matrimonia fuisse quidem prohibita, sed non invalida, ut constat ex Concil. Ancyrano, an. 314. can. 10. Aurelianensi 3. an. 538. can. 7.

R. 2°. jam a multis sæculis hæc matrimonia esse irrita prorsus ac invalidia, ut videbimus in Tract. de Matrim.

Quæres 4. an Clerici inferiores cœlibatus seu perpetuæ continentiæ lege teneantur?

R. Quidquid sit de veteribus temporibus, expræsenti Ecclesiæ latinæ disciplina Clericis inferioribus licitum esse suum ministerium abdicare et uxores ducere. Verum si duxerint, jam non habentur ut Clerici, nec Clericorum privilegiis potiuntur, eorumque beneficia, juxta Galliæ nostræ Jurisperitos, ipso jure, nulla Judicis sententia requisita, vacant.

CAPUT OCTAVUM.

De effectibus Ordinationis.

Duplex est Sacramenti Ordinis effectus, Gratia videlicet et Character.

1°. Sacramentum Ordinis Gratiam sanctificantem confert. Nam 2. Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites*

suscites Gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum. Aliunde Ordo est Sacramentum, uti antea demonstratum est: atqui quodlibet Sacramentum Gratiam sanctificantem confert; ergo, &c.

2°. Sacramentum Ordinis Gratiam sacramentalem producit. Evictum est enim in Tractatu de Sacramentis in genere, omnia Sacramenta Gratiam, producere sacramentalem, seu Gratiam singulis Sacramentis propriam.

Porro Gratia sacramentalis Ordinis et ipsamet Gratia sanctificans, copiosa et abundans, quatenus hominem inclinat ad munera ecclesiastica digne obeunda, et jus tribuit ad speciales Gratias actuales quibus rite functiones ecclesiasticæ exerceantur.

3°. Sacramentum Ordinis characterem imprimit, quo fit ut Sacramentum illud non possit iterari. Id constat ex iis quæ diximus in Tractatu de Sacramentis in genere, c. 5. art. 5. Unum addam Gregorii Magni testimonium ex Epist. 46, alias 32. desumptum: *Sicut baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est, semel in eodem iterum Ordine non debet, consecrari.* Idem docent Synodus Capuana an. 305. Carthaginensis 3. can. 38. S. Augustinus variis in locis, Synodus Toletana 8. Innoc. III. cap. *Majores*, Eugen. IV. in Decreto pro Armenis, Synodus Trid. sess. 7. can. 9. denique Theologi omnes.

Notandum est autem non singulos Ordines, sed solummodo Ordinem qui Sacramentum sit, imprimere characterem; quia character ut pote qualitas spiritualis per id solum produci potest cui Christus illius producendi virtutem indidit: atqui solis Sacramentis Christus hanc virtutem indidit, non autem ritibus institutis ab Ecclesia, quæ nullibi, nec in Scriptura nec in Traditione legitur hujusmodi characteris producendi potestatem accepisse.

Notandum insuper omnes et singulos Ordines qui Sacramenti rationem habent, imprimere characterem. Patres enim et Concilia, cum docent Ordinis

dinis Sacramento characterem imprimi, generatim absolute ac sine ulla distinctione de Ordine loquuntur.

4°. Certum est characterem in Ordinatione impressum remanere in improbis, simoniacis, degradatis, nec non in iis qui post Ordinationem in hæresim vel schisma prolapsi sunt; quia nimirum ille est indelebilis, ut alibi probavimus, ac contra Protestantes definiit Concil. Trid. sess. 7. can. 9. et sess. 23. can. 4. Insuper si character non remaneret in improbis, degradatis, &c. necessum fuisset istis omnibus novum characterem imprimere, quoties fuerunt ab Ecclesia restituti. Atqui tamen modo demonstrabimus eos sine novi characteris impressione non raro fuisse ab Ecclesia restitutos.

5°. Fatentur omnes illicitas esse Ordinationes ab improbis, simoniacis, intrusis, depositis, schismaticis, hæreticis collatas vel receptas, idque satis constat ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere.

Verum quæstio movetur utrum Ordinationes ab ejusmodi hominibus collatæ characterem imprimant, quod idem est ac quærere utrum validæ sint eorum Ordinationes. Nec nova est nec expers difficultatis illa controversia.

Morinus de sacris Ordinationibus exercit. 5. hoc argumentum fuisse tractat.

Docet 1°. Canonem 9. sess. 7. Conc. Trid. de charactere indelebili per Ordinem, Confirmationem et Baptismum impresso, esse intelligendum de Ordinatione catholica ac juxta Ecclesiæ Leges et Canones data.

Docet 2°. talem Ordinationem, eam nempe quæ juxta Leges Ecclesiæ datur, nunquam posse iterari.

Docet 3°. Ordinationes ab Episcopis hæreticis secundum Canones Ecclesiæ factas, si tamen ipsi primum juxta eosdem Canones ordinati fuerint, ratas et validas semper fuisse, nec iteratas.

Docet 4°. Ordinationes factas contra Ecclesiæ Canones

Canones, irritas esse ac nullas, quandiu Canones vigent, etiamsi juxta materiam et formam a Christo institutam factæ fuerint. Ratio ipsius est, quia Ecclesia, licet nihil possit in materiam et formam Ordinationis, tamen certas sive ex parte Ordinantis sive ex parte Ordinati statuere potest conditiones, sicut Matrimonio et Pœnitentiæ apposuit, quibus non observatis, irrita et nulla fit Ordinatio etiam quoad substantiam. Addit Ecclesiam nihil posse in substantiam characteris, nec eum semel collatum unquam auferri posse: usum vero illius characteris sic ab Ecclesia pendere, ut possit ab ea suspendi vel auferri. Unde fit ut Minister ab illo characteris exercitio vel usu suspensus nihil agat prorsus. Virtus igitur characteris impeditur ac hebescit per interdictum ac prohibitionem Ecclesiæ, quæ potest limites illi apponere quos ultra citraque non operabitur Ordinatio, quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ præstitit.

Hinc facile exponi posse existimat Morinus 1°. cur veteres Patres ac Scholastici usque ad sæculum 13. communi fere suffragio, ut ipsi videtur, de Ordinationibus Hæreticorum tanquam nullis ac irritis locuti sint, et cur Ordinationes nonnullæ fuerint iteratæ: *Nimirum*, inquit, *qui iterum ordinabant aut ordinandos contendebant, judicabant eos secundum Canones non fuisse ordinatos.* 2°. Commodam etiam affert rationem *cur varia Concilia lapsu temporis multos Clericos hæreticos ad Ecclesiam redeuntes cum suis Ordinibus et gradibus receperint, licet antea id non facerent, sed eorum Ordinationes prorsus irritas declararent. Variæ enim causæ politicæ, conservandæ scilicet pacis et extinguendi schismatis, id effecerunt. Nec mirum hoc alicui videri debet. Dato enim Ecclesiam conditiones Ordinationibus ponere posse, quibus omissis, Ordinatio invalida est et inanis, sane est in potestate Ecclesiæ has conditiones moderari, abrogare, minuere, ut pro utilitate Plebis christianæ æquum esse judicaverit.* 3°. Inde quoque rationem reddit cur Hæretici et Schismatici nova Ordinatione

Ordinatione nunc opus non habeant, sed sola reconciliatione: *Nimirum*, inquit, *quamvis hactenus nullo Ecclesiæ Decreto quæstio tam perplexa et obscura decisa sit*, consensus constans tam multorum Doctorum qui ab annis quadringentis Hæreticorum Ordinationes iterari nolunt, *nobis est instar legis quam dissensu nostro temerare, nec volumus nec debemus.*

Hyacinthus Sbaralea Ordinis Minorum S. Francisci in Libro Florentiæ edito an. 1750. ubi imprimis in præfatione Vitassium exagitat, Morino adhæsit; imo ultra progreditur, ac contendit eorum omnium qui aut dignitate dimoti sunt, aut extra Ecclesiam depulsi, aut qui intrusi aut invasores appellantur, nunc irritas esse Ordinationes.

Neutra sententia Theologis placuit, eorumque communis sententia est Ordinationes factas ab Episcopis hæreticis, schismaticis, simoniacis, degradatis, intrusis, ratas ac validas esse, ita ut, judice Hallerio *post communem Theologorum consensum, erroneum esset id jam negare.* Eadem censura sententiam negantem notant Auctor de re sacramentaria, Vitassius, Colletus, nimirum propter Traditionis auctoritatem, Ecclesiæ praxim et omnium Theologorum doctrinam.

PROPOSITIO.

Valide sunt Ordinationes secundum ritum a Christo institutum factæ ab Episcopis hæreticis, schismaticis, degradatis, depositis, excommunicatis, intrusis, invasoribus, simoniacis, uno verbo, improbis omnibus.

Hallerius, Vitassius, et alii id probant minutatim de singulis Ordinationum illarum speciebus. Hoc verò cum vix fieri possit sine crebris ac tædiosis repetitionibus, quibus non parum defatigatur Lectorum animus, cumque instituti nostri ratio postulet ut brevitati consulamus, argumentis generalibus insistemus

insistemus, quæ variis Ordinationum speciebus nullo negotio applicari poterunt.

Prob. propositio 1°. Sacramenta, juxta Decretum Eugenii IV. tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Hæc autem tria reperiuntur et a nobis supponuntur in Ordinationibus de quibus loquimur; nec hæresis, nec schisma, nec violatio Canonum contra quos fierent illæ Ordinationes, impedire possunt quominus in iis Ordinationibus tres illæ conditiones reperiantur. Ergo validæ sunt illæ Ordinationes, licet non licitæ.

2°. In Tractatu de Sacramentis in genere probatum est, idque ab omnibus admittitur Theologis, neque probitatem neque fidem in Ministro ad validam Sacramentorum confectionem requiri. Atqui tamen Ordinationes ab Hæreticis, Schismaticis, aliisve Improbis collatæ non possunt esse invalidæ, nisi in quantum probitas aut fides in Ministris ad Sacramentorum validitatem requirerentur.

3°. In eodem Tractatu ostendimus Baptismum ritu legitimo collatum ab Hæreticis, Schismaticis aliisve Improbis esse validum nec iterari debere: atqui eadem est ratio Ordinationis, sicut et Baptismi. *Utrumque Sacramentum est*, inquit S. Augustinus lib. 2. contra Parmenionem cap. 13. n. 28. *et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.*

4°. Fatetur ipsemet Morinus sententiam eorum qui asserunt validas semper fuisse Hæreticorum, Schismaticorum, Degradatorum, Simoniacorum Ordinationes, ab annis 400, *solam in scholis regnasse* Atqui consensus tam unanimis tam constans Theologorum omnium gravissimum profecto est momentum pro veritate alicujus sententiæ; nec videtur privatum Theologum posse ab eo recedere sine temeritate, imo errandi sine periculo, præsertim cum consensus ille Ecclesiæ usu et praxi roboretur, ut modo videbimus.

5°.

5°. Idem constat ex Traditione. Concilium Nicænum I. can. 8. jubet ut si Novatiani ad Ecclesiam catholicam aliquando venerint, *accipientes manus impositionem in Clero permaneant.* Ibi supponit Conc. Novatianos ante reditum ad Ecclesiam fuisse valide ordinatos. Quomodo enim in Clero permanere possent qui jam in Clero non essent? Eisdem verbis patet manus impositionem quæ hic imperatur, veram non esse Reordinationem, sed meram reconciliationem. Se enim Reordinatio fuisset necessaria, ut Novatiani ministerium ecclesiasticum exercerent; non dicerentur in Clero permanere. Ita Canonem hunc intellexit S. Hieronymus Lib. contra Luciferianos, ubi sic habet: *Synodus Nicæna omnes Hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni Discipulis; et quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, præsbyterii gradum servat.*

Synodus Alexandrina, teste S. Athanasio Epist. ad Rufinianum, *vult ut Arianis, non quidem ducibus et antesignanis, sed iis qui impietati patrocinati non sunt, et necessitate ac violentia tracti fuerunt, in Clero detur locus.* Hinc S. Hieronymus in eodem Dial. ait *in Synodo Nicæna octo Episcopos Arianos susceptos fuisse.*

Concilium Ephes. an 431. act. 2. decernit ut *Hæretici Messaliani seu Enthusiastæ qui hæresim anathematizaverint, si Clerici fuerint, maneant Clerici; si Laici, ad communionem admittantur.*

S. Augustinus Donatistarum, qui procul dubio suo tempore extra Ecclesiam ordinati fuerant, Ordinationes tamen ratas ac validas habet, non minus quam Baptismum, Epist. 185. num. 44. 47. et lib. 2. contra Parmenionem cap. 13. et aliis multis in locis.

S. Gregorius Magnus lib. 11. Epist. 67. *Nestorium cum Sequacibus suis anathematizent.....et absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra, servatis eis propriis Ordinibus, in suo cœtu suscipiat.* Porro si servati fuerint Nestorianis ad Fidem redeuntibus Ordines, igitur validæ fuerunt istorum Hæreticorum Ordinationes.

Sexcenta

Sexcenta hujus disciplinæ exstant monumenta quæ referuntur ab Hallerio, Vitassio et aliis Auctoribus, qui multa etiam commemorant exempla Ordinationum a Simoniacis, Degradatis, Invasoribus, Excommunicatis et aliis Improbis factarum, quas Ecclesia, quamvis eas improbaret, non declaravit invalidas, sed validas supposuit.

6°. Demum eadem propositio stabilitur ex agendiratione Ecclesiæ latinæ. Quamvis enim illa Græcos pro Schismaticis et Hæreticis habeat, nusquam tamen ab initio dissidii Græcos inter et Latinos exorti græcas Ordinationes ut irritas habuit; nec ullatenus, quoties pacis renovandæ via tentata est, ea de re disputatum est. Sed potius eas ratas habuere vel supposuere Innoc. IV. an. 1254. ad Ottonem Cardinalem in Regno Cypri Legatum rescribens, Alexander IV. in Constit. an. 1260. emissa, Patres Concil. Lugdunensis 2. generalis an. 1274. Florentini, Præside Eug. IV. an. 1439. Clemens VII. et VIII. Paulus V. Urbanus VIII. Benedictus XIV.

Solvuntur Objectiones ex Ordinationibus Hæreticorum petitæ.

Objicit. 1°. Morinus exempla Hæreticorum, qui cum suis gradibus olim in Ecclesia recepti sunt, non esse ad rem, 1°. quia ibi agitur de Hæreticis in Ecclesia secundum legitimum ritum ordinatis, quorum, fatentibus omnibus, Ordinatio nec amitti, nec iterari potest. 2°. Quia si agatur de Ordinationibus eorum qui Ordines vel dederant vel acceperant, cum jam essent Hæretici ratas ac validas Ecclesia non judicavit eorum Ordinationes, nisi quia revocaverat Canones per quos irritabantur eædem Ordinationes, *non enim irritæ istæ sunt, nisi quandiu vigent Canones.* At non inde sequitur ratas esse Hæreticorum Ordinationes, quando nec revocati nec suspensi fuerunt Canones quibus illæ Ordinationes prohibentur.

Ad 1 *resp.* 1°. Hæreticos, qui in Ecclesia cum

 suis

suis gradibus recipiebantur, communius fuisse viros ab aliis Hæreticis infectos et ordinatos, rarius vero eos qui in Ecclesia catholica ordinati essent, quales Donatus, Nestorius, Eutyches, quibuscum durius agebatur, quique vix cum suis Ordinibus in Ecclesia recipiebantur.

2°. Saltem negari non potest quin perplures ex illis Hæreticis qui cum suis gradibus in Ecclesia sine nova Ordinatione recepti fuerunt, in ipsa hæresi et ab Hæreticis ordinati fuerint. Tales fuerunt Donatistæ, de quibus loquitur S. Augustinus, Nestoriani de quibus Greg. Magn. Cum enim multum ii Patres jam ab initio illarum hæreseon distarent, non potuerunt eos ipsos cum suis gradibus recipere, qui a vera Fide ad hæresim deviaverunt, et a Catholicis ordinati fuerant; igitur, quantum ad eos, stat tota vis argumenti.

3°. Si Ordinatus in Ecclesia catholica characterem non amittit, et Fides docet, fateturque Morinus, nec etiam jus seu potestatem illum characterem aliis communicandi videtur amittere, cum potestas illa charactere fundetur, juxta S. Augustinum lib. 2. contra Parmen, cap 13. *Nulla ostenditur causa*, inquit, *cur ille qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi potest amittere.*

Ad 2. Profecto si Ecclesia Canones Ordinationum a quibusdam Hæreticis factarum irritatorios condidisset, ac eosdem Canones aliis legibus revocasset, quædam ejusmodi revocationis vestigia in Scriptis SS. Patrum, Auctorum ecclesiasticorum, vel Conciliorum actis superessent. Atqui tamen nulla exstant ejusmodi vestigia, nec leges istas assignare potuit Morinus, in quibus declaratum sit talem sectam tali sæculo Ordines valide esse recepturam, sæculo autem altero prorsus invalide.

Obj. 2°. Canon inter apostolicos 68. sic habet: *Qui ab Hæreticis baptizati et ordinati sint, ut Fideles et Clerici sint fieri non potest.* Ergo nulla est Hæreticorum Ordinatio.

R. 1°. Canones illos genuinam non esse Apostolorum

lorum prolem. 2°. Ibi agitur de Hæreticis qui Ordinationis sicut Baptismi formam adulterabant; alioquin dicendum foret istorum Canonum Auctorem rebaptizantium errorem admisisse, sicque non minus Adversariis quam nobis adversari.

Obj. 3°. Justinus in Responsis ad Orthodoxos n. 14. docet in Hæreticis qui revertuntur nihil manere intactum, *cum error sana doctrina, Baptismus unctione, Ordinatio manus impositione emendetur.*

R. 1°. hoc Opus non esse Justini. 2°. Istam manuum impositionem non esse novam Ordinationem, sed cæremoniam minime sacrementalem.. Nam eodem modo manus impositione ibi Ordinatio dicitur emendata, quo Baptismus unctione: atqui, fatentibus Adversariis, Baptismus non emendatur unctione sacramentali; ergo næc Ordinatio emendatur manus impositione sacramentali.

Obj. 4°. Canonem 8. Conc. Nic. antea laudatum, ubi jubetur ut Cathari seu Novatiani impositionem manus accipientes in Clero permaneant.

R. ex dictis inter probationes jam solvi illam difficultatem. Ibi enim annotatum est manus impositionem hic imperatam, non esse veram Ordinationem, sed tantum manus impositionem reconciliatoriam, seu nudam benedictionem qua Hæretici reconciliabantur et in acceptorum Ordinum exercitium restituebantur. Ita interpretabatur in 7. Synodo generali act. 1. Tharasius Patriarcha Constantinoplitanus, cui adstipulantur multi sive inter Veteres sive inter Recentiores. Verum est quidem e Veteribus non paucos de Ordinatione hunc Canonem exposuisse. At locuti non sunt de Ordinatione sacramentali ac consecratoria, sed tantum de Ordinatione improprie dicta, quæ esset mera cæremonia quamdam cum Ordinatione similitudinem habens, quo sensu multi antiqui Canones et Patres de Ordinatione Diaconissarum, Cantorum et aliorum id genus Ministrorum mentionem faciunt.

Obj. 5°. S. Basilius Epist. 88. quæ est canonica 1, ad

ad Amphilochium, Hæreticorum Ordinationem non secus ac Baptisma rejicit.

R. 1°. hæc ipsimet Morino esse solvenda, cum ipse Baptismum ab Hæreticis collatum pro rato ac valido habeat, quem tamen Basilius non secus ac Ordinationem, ut irritum rejicit S. Doctor.

R. 2°. *cum Vitassio* quosdam esse Catholicos qui Basilium benigne interpretari conentur; sed satius esse, si confiteamur eum circa præsens caput quod minime tunc definitum existimabat, in errore Cypriani ac Firmiliani versatum esse.

Obj. 6°. Innoc. I. Epist. 18. ad Alexandrum, ratum quidem habet Baptismum ab Arianis collatum, sed eorem Ordinationes irritas pronuntiat: *Quoniam*, inquit, *cum a Fide Catholica, eorum Auctores desciverint, perfectionem Spiritus quam acceperant amiserunt; nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in Ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam perdiderunt.*

R. dist. Innocentius Hæreticorum Ordinationes declarat irritas, quantum ad honorem et jura sacerdotio annexa, *conc.* quantum ad characterem, *neg.* Innocentius itaque nec loquitur de charactere quem Ordinatione sicut et Baptismo apud Hæreticos infigi existimabat, nec etiam de Gratia quam nec Baptismo nec Ordinatione Hæreticorum conferri noverat: sed de jure solo et honoribus utrique Sacramento annexis, quibus, juxta ipsum, in hæresi baptizatus fruitur statim atque Ecclesiæ reconciliatus est; dum e contra qui in hæresi ordinatus erat, ex veteri Ecclesiæ disciplina, sacerdotii honore et dignitate dejiciebatur. Hunc esse Innocentii sensum satis indicante hæc verba immediate subsequentia: *Quomodo fieri potest ut eorum profanos Sacerdotes dignos Christi honoribus arbitremur?*

Inst. 1°. Idem Pontifex Epist. 1. ad Martianum definit Hæreticos a Bonoso ante illius damnationem ordinatos, si velint ad Ecclesiam reverti, absque nova Ordinatione esse recipiendos: in quo tacite saltem

saltem illos opponit aliis qui ab eodem Bonoso post damnationem consecrati fuerant, ac significat posteriores istos non esse recipiendos absque nova Ordinatione.

R. oppositionem Innocentii in eo non esse quod priores absque nova Ordinatione essent recipiendi, posteriores vero post iteratam Ordinationem; sed in eo duntaxat quod priores cum suis gradibus ac honoribus essent suscipiendi, posteriores vero penitus excludendi essent ab honoribus et exercitio ministerii, juxta Ecclesiæ Romanæ disciplinam quam refert idem Pontifex Epistol. 22. Igitur de concedendis vel negandis sacerdotii honoribus et exercitio loquitur Innocentius, non autem de iterandis vel non iterandis Ordinationibus de quibus ibi ne unum quidem verbum habet.

Inst. 2°. Idem Pontifex Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, ait Ordinatos ab Hæreticis *per illam manus impositionem vulneratum habere caput.* Non putabat igitur ab Hæreticis characterem imprimi.

R. 1°. *neg. conseq.* Qui enim male dispositum baptizat, caput ejus vulnere spirituali afficit, et ei tamen Batismi characterem imprimit. Idem dici potest in re præsenti.

R. 2°. *dist.* Hæretici manus imponentes Ordinatis vulnus infligunt, eos maculando contagione erroris, quo sacerdotii honoribus et exercitio fiunt indigni, *conc.* id est nihil sacrum, nequidem characterem eis conferunt, *neg.* Totus est Innocentius ut probet eos qui sese ab Hæreticis consecrari permiserant, non esse cum suis honoribus recipiendos: *quia*, inquit, *ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda*, id est, crimen eluendum pœnitentia, quæ cum sacerdotii honoribus loco habere non potest. Ibi quæstionem esse de prærogativis sacerdotio annexis, non de charactere, liquet ex iis ibidem Innocentii verbis: *Qui honorem amisit, honorem dare non potest, quia in dante nihil erat quod ille possit accipere.*

Inst. 3°. Innocentius ibidem affirmat Ordinatos ab Hæreticis nihil accepisse. Ergo, &c.

R. dist. nihil accepisse quantum ad prærogativas, honorem et usum Ordinum, *conc.* quantum ad characterem, *neg.*

Inst. 4°. Innocentium inter et Episcopos Macedoniæ agebatur de iteranda vel non iteranda Ordinatione. Ergo, &c.

R. neg. ante. Agebatur enim tantum an ii qui a Bonoso erant ordinati, ad sacerdotii honores et exercitium essent admittendi, an vero per pœnitentiam suscipiendi, ut ait ipsemet Innocentius. Primum asserebant Episcopi Macedones, secundum Pontifex Romanus. Id jam satis constat ex dictis.

Inst. 5°. Dicebant Macedones *omne vitium quod a vitioso fuerat injectum, vera ac legitima Sacerdotis benedictione purgari.* Atqui nomine benedictionis Ordinationem intelligebant, qua iterum consecrabantur ad suas functiones exercendas.

R. n. min. Nam tum Macedones tum Innocentius per eam benedictionem intelligebant cæremoniam qua Hæretici ad Ecclesiam revertentes simul reconciliabantur, et in suis Ordinibus confirmabantur.

Inst. 6°. Innocentius illico refellens hanc Macedonum rationem, de vera Ordinatione sermonem habet his verbis: *Ergo, si ita est, applicentur ad Ordinationem Sacrilegi, Adulteri, quia per benedictionem Ordinationis crimina putantur auferri.*

Atqui Episcopi Macedones procul dubio de eodem Ordinationis genere loquuntur ac Innocentius. Ergo, &c.

R. n. min. Non enim, inquit Vitassius, a simili argumentatur Innocentius, sed a majori ad minus, videlicet in hunc modum: si simplex benedictio crimina omnia aufert, multo magis ea auferet vera et sacramentalis Ordinatio; ac proinde Sacrilegi, Adulteri non sunt ad pœnitentiam adigendi, sed statim sacerdotio addicendi, sicque fundius tollenda erit pœnitentia quæ ab Ecclesia pro variis peccatis infligitur. Igitur de benedictione reconciliatoria et Ordinum confirmatoria loquebantur Macedones,

quia

quia nimirum agebant de Hæreticis jam ordinatis et ad Ecclesiam revertentibus. At de ipsamet Ordinatione loquitur Innoc. quia agebat de Catholicis nunquam ordinatis.

Inst. 7°. Macedones id fieri volebant quod antea fecerat Anisius Thessalonicensis Episcopus; atqui Anisius eos qui a Bonoso consecrati fuerant, iterum ordinaverat. Sic enim sibi objicit Innocentius: *Sed Anisii quondam fratris nostri aliorumque Consacerdotum in Synodo Capuana summa deliberatio hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, Ordinati reciperentur.*

R. n. min. Anisius enim Bonosiacos quidem cum suis gradibus receperat, sed tantum per manus impositionem reconciliatoriam et Ordinum confirmatoriam, non vero per Ordinationem veram, proprie dictam, aut sacramentalem. Imo in Synodo Capuana cujus primas partes egerat Anisius, vetitum est ne fierent Rebaptizationes et Reordinationes. Quapropter hæc verba, *ut Ordinati reciperentur*, significant ut reciperentur qui jam ordinati erant, et eo modo quo erant ordinati, seu in Ordine et gradu accepto; quia alioquin dicendum fuisset, *ut reordinati recipersntur.*

Inst. 8°. Certum est gravissimam Macedones inter et Innocentium circa Ordinatos a Bonoso motam fuisse controversiam. Hæc autem tanta controversia circa solum characterem versari potuit; cum utrinque receptum esset legitimum Ordinis usum non posse ab Hæreticis confeari.

R. nec de characteré nec de usu Ordinis præcise fuisse disputatum, cum in iis concordes essent Innocentius et Macedones. Sed in eo posita erat controversia quod rigidior Innocentius Clericos Bonosiacos gravi pœnitentiæ subjici, imo nunquam nisi in urgente necessitatis casu, ut egerat Anisius, in suos gradus restitui vellet; contra vero Macedones eos statim per manus impositionem, quæ levis erat pœnitentiæ imago, reconciliari desiderarent.

Obj. 7°. Concilium Cæsaraugustanum 2. an. 592. jubet

jubet ut Ariani ad Ecclesiam catholicam conversi recipiantur, sed tantum post benedictionem præsbyterii denuo acceptam, id est, post reordinationem.

R. hanc benedictionem non fuisse sacramentalem, sed tantum reconciliatoriam ac Ordinum antea receptorum confirmatoriam.

Obj. 8°. Petrus Damianus in Opusc. cap. 22. probat ratas esse Simoniacorum Ordinationes, eo quod Ecclesia ratas habuerit Ordinationes quorumdam Hæreticorum, nempe Novatianorum, quos Nicæna Synodus in suis Ordinibus recipi jussit. At ibidem irritas declarat Ordinationes aliorum Hæreticorum, videlicet Arianorum qui circa ipsammet Trinitatem erraverant; et allegat auctoritatem Innocentii de Arianis, quam antea proposuimus. Unde sic: Arianorum Ordinatio irrita declaratur a Petro Damiano, et quidem aliter quam Ordinatio Novatianorum quæ e contra rata pronuntiatur. Ergo Arianorum Ordinatio a Damiano judicabatur irrita etiam quoad characterem. Si enim tantum eam irritam judicavisset quoad usum legitimum, non magis eam irritam pronuntiasset quam Ordinationem Novatianorum, quæ pariter usum legitimum dare non poterat.

R. Petrum Damianum, cum Ordinationem Arianorum irritam, Novatianorum vero ratam declaravit, hoc unum post Innocentium significare voluisse, nimirum Novatianorum Ordinationem restitutionis esse capacem, sicque ratam esse aliquo sensu quoad usum non quidem actu et re permissum, sed in spe proxima ac facile recipiendum; non item Ordinationem Arianorum, qui propter in SS. Trinitatem blasphemias ab Innocentio judicati sunt Ordinum suorum exercitio ac juribus privandi, et ad communionem laicam relegandi, quando ad Ecclesiam redibant.

Obj 9°. Urbanus II. Epist. 17. ad Lucium Præpositum S. Juventii, tom. 10. Concil. Labbæi, p. 440. docet 1°. Sacramenta quæ extra Ecclesiam

fiunt

fiunt, nec esse sancta nec veneranda. 2°. Sacramenta Hæreticorum *formam duntaxat non virtutis effectum habere.* 3°. Solum Baptisma apud Hæreticos esse ratum, quia est magis necessarium. 4°. Quantum ad alia Sacramenta, Cypriani opinionem sequi videtur. Cyprianus autem ea apud Hæreticos irrita prorsus arbitrabatur.

R. ad. 1. *dist.* Docet Sacramenta quæ extra Ecclesiam fiunt, non esse sancta, respectu eorum qui recipiunt ea, excepto Baptismate in casu necessitatis, *conc.* non esse sancta et veneranda in se, *neg.* Idem sentiunt Theologi omnes post S. Thomam.

Ad 2. Per formam S. Pontifex intelligit ipsam Sacramenti substantiam, non vero speciem externam. Nam Urbanus profitetur se hic sequi doctrinam Augustini, Hieronymi, Gregorii, quibus procul dubio Hæreticorum Sacramenta, quantum ad substantiam, rata fuerunt, quamvis, ut ait idem Urbanus, virtutis effectum seu gratiam non habeant, si Baptismum in casu necessitatis exceperis. Insuper Urbanus suam hanc locutionem desumpsit a S. Leone qui in Decretis, cap. 48. *per formam Baptismi* illius Sacramenti, substantiam non imaginem, fatentibus omnibus, intelligit.

Ad 3. Docet solum Baptisma apud Hæreticos esse ratum, id est, fructuosum, salutiferum et in casu necessitatis accipiendum, *conc.* solum Baptisma apud Hæreticos esse ratum quantum ad characterem, *neg.*

Ad 4. Sequi videtur opinionem Cypriani ex parte, videlicet in eo quod Sacramenta Hæreticorum, extra casum necessitatis, gratiam non producant, *conc.* ex omni parte, eo sensu quod arbitratus sit cum Cypriano characterem Sacramentis Hæreticorum non infigi, *neg.*

Obj. 1°. Balzamon et alii recentiores Græci Hæreticorum Ordinationes ut nullas habent; imo testatur Cabasilas, lib. 5. Juris orientalis, consuetudinem esse ut Romani Sacerdotes a Græcis Episcopis rursum ordinentur.

R. 1°.

R. 1°. levissimam esse Græcorum auctoritatem, ex quo tempore cum Ecclesia catholica schisma fecerunt.

2°. Non diffitemur Recentiores quosdam inter ipsos Ordinationes Hæreticorum pro nullis habere. At in eo non tantum a nobis dissiderunt, sed etiam a majoribus suis defecerunt.

3°. Testatur quidem Cabasilas a nonnullis iteratas fuisse Latinorum Ordinationes. Verum id nec ab eo probatur, nec ab aliis quos a se consultos refert.

4°. Non desunt apud ipsos Græcos, qui Latinorum Ordinationes ratas habeant, ut patet testimoniis Demetrii Chomateni, Joan. Citri Episcopi ab ipso Morino part. 1. c. 1. n. 4. et 6. relatis.

Obj. 11°. Veteres Theologiæ Magistri, Guillelmus Parisiensis, Gratianus, Magister Sententiarum Ordinationes Hæreticorum pro nullis habuerunt.

R. longe maximam Theologorum partem Hæreticorum Ordinationes validas credidisse. Ita Hugo Victorinus, Robertus Pullus, Præpositivus, Robertus de Flammesburg, Alexander Halensis, Raymundus Scotus, S. Thomas, S. Bonaventura, et universi Theologi ab annis quadringentis, fatente Morino. Favent igitur nobis Theologi veteres, nedum adversentur.

Addo eos perpaucos qui nobis opponuntur, suspensos et ancipites mansisse et a se invicem dissensisse. Sic ipsemet Magister Sententiarum, lib. 4. dist. 25. scribit quæstionem hanc perplexam ac insolubilem esse.

Solvuntur Objectiones ex Ordinationibus Schismaticorum petitæ.

Obj. 1°. Synodus Nicæna, tom. 2. Labbæi, p. 250. statuit Clericos a Meletio schismatico ordinatos non esse in suis officiis relinquendos nisi post iteratas eorum Ordinationes: *Illi vero*, inquit, *qui a Meletio in sacrum Ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore*

sanctiore Ordinatione, græce *Keirotonia, confirmati fuerint, ad communionem post hæc admittantur, et permittatur illis quidem honoribus frui et sacris muneribus fungi.* Ergo, &c.

R. sanctiorem Ordinationem, quæ ibi memoratur, non esse Ordinationem sacramentalem ac proprie dictam, sed tantum Ordinationem improprie dictam, meram cæremoniam ecclesiasticam, meram manuum impositionem, qua Meletiani in suis Ordinibus confirmabantur, et legitimam missionem veramque jurisdictionem obtinebant. Nam 1°. vox, *keirotonia*, per se nihil nisi manuum expansionem significat, ac proinde usurpari potest pro manuum impositione, quæ non solum in sacris Ordinationibus, sed etiam in sacrorum Ordinum restitutione aut confirmatione locum habuit, de qua mentionem faciunt Synodus Toletana 4. Nicolaus II. in Epist. ad omnes Episcopos, Petrus Damianus Opusc. 6. 2°. Ordinationem hanc revera confirmatoriam esse constat ex istis Concilii verbis: *Simul atque sanctiore Ordinatione confirmati fuerint.* 3°. Si Meletiani Ordinis characterem non susceptissent, profecto permissum illis non fuisset in susceptis Ordinibus manere; sed satis utique fuisset si, ut Laici erant, ita a Catholicis reciperentur. Nec enim schisma cui fuerant addicti ipsis merito esse potuit et causæ cur novis beneficiis cumularentur et Catholicis præferrentur. 4°. Meletiani dicuntur *lecti in sacrum Ordinem:* profana autem et irrita Ordinatio eo nomine non appellaretur.

Fallitur itaque Valesius qui in notis ad cap. 9. lib. 1. Socratis vocem, *keirotonia*, de vera Ordinatione interpretatus est.

Cæterum jam antea observavimus Ordinationis nomen non infrequenter apud Veteres sensu improprio accipi, ac significare meram cæremoniam qua quis Ordinis charactere jam insignitus ad obeunda munia ecclesiastica constituitur. Sic S. Petrus dicitur Romæ ordinatus fuisse Episcopus, et Jacobus Jerosolimæ ab Apostolis, quanquam antea Ordinis charactere essent induti.

Inst.

Inst. Ordinatio qua confirmari jubentur Meletiani, vocatur *sanctior*. Ergo longe potiori jure est sacramentalis quam prior in schismate recepta.

R. dist. Vocatur sanctior, ratione effectus, et quia meliores ac sanctiores fiebant ii qui eam recipiebant, *conc.* ratione sui et quia in se erat sacramentalis, *neg.* Nimirum in schismate Ordinatio Gratiam non impertitur. Si quis vero revertitur ad Ecclesiam, virtute characteris per primam Ordinationem impressi Gratia infunditur, ut fit etiam in Baptismo. Ea de causa impositio manuum qua Meletiani confirmabantur, sanctior dicta est a Patribus Nicænis. Insuper vocari potuit sanctior propter meliores dispositiones, quas ad illam Meletiani, deposito schismate, afferebant.

Obj. 2°. Pelagius Papa, ut refert Morinus exercit. 5. c. 1. docet *non esse verum Christi corpus quod conficit Schismaticus.*

R. dist. non esse verum Christi corpus, quantum ad mysticam significationem, quia videlicet Christi corpus est symbolum unitatis quam disrumpunt Schismatici, *conc.* non esse verum Christi corpus in rei substantia, *neg.* Responsio patet ex textu Pelagii quem totum refert Gratianus 24. quæst. 1. cap. 34. *In unitate*, inquit, *scissura esse non potest.....quia igitur in unitate non sunt, corporis Christi sacrificium habere non possunt.*

Obj. 3°. Urbanus II. in Synodo Placentina an. 1095. c. 8. Innoc. II. in Concil. Lateran. 2. an. 1139. can. 30. Alex. III. in Concil. Lateran. 3. an. 1179. can. 2. Ordinationes factas a nonnullis Antipapis irritas esse declarant.

R. dist. Irritas declarant, quantum ad Gratiam, quantum ad exercitium et jura Ordinationis, *conc.* quantum ad substantiam et characterem, *neg.* Responsi constat ex eo quod Urbanus II. in ipsomet Concilio Placentino cap. 10. jusserit ut ii qui ab Episcopis schismaticis ordinati fuerant, cum redirent ad Ecclesiam, servatis suis Ordinibus, misericorditer reciperentur, si essent vita et doctrina spec-

tabiles

tabiles. Alexand. III. in Coucil. Later. nonnullos Germaniæ Episcopos veniam, ejurato schismate, postulantes sine nova Ordinatione ad sacri ministerii functiones admisit. Quantum ad In. II. cum eodem tempore quoduo præfati Pontifices vixerit, eodem sensu intelligi debet, nisi contrarium aliunde constet.

Obj. 4°. Lucius Papa III. teste Roberto de Flammesburg, lib. 3. pœnitentialis mss. qui in Abbatia Victorina servatur, *fecit reordinari Ordinatos ab illis qui ultimam manus impositionem acceperant extra Ecclesiam, et mirum fuit quod Cardinales consenserint. Forte sequebantur pravam opinionem*, quæ asserit Ordinationem nullam esse quæ fit extra Ecclesiam; *vel hoc fecerunt* in odium schismatis. Ergo, &c.

R. Robertum id ex incertis rumoribus hausisse, in eoque fuisse deceptum. Cæterum notatum volumus opinionem, quæ virtutem ordinandi Schismaticis adimit, a Roberto *pravam* appellari.

Solvuntur Objectiones ex Ordinationibus Depositorum, Degradatorum et Excommunicatorum petitæ.

Obj. 1°. Synodus Toletana 4. an. 633. can. 28. sic habet: *Episcopus, Præsbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi; si Episcopus est, annulum et baculum; si Præsbyter*, &c. Ergo per depositionem amissi erant gradus.

R. dist. Amissi erant, quoad jura illis annexa et exercendi facultatem, *conc.* quoad characterem, *neg.* Hic non agi de vera reordinatione qua character per depositionem amissus imprimeretur, sed de mera cæremonia in restitutione jurium Ordinibus annexorum, constat 1°. quia juxta regulam a Synodo Capuana præscriptam, in Hispaniis perinde ac in Galliis et Africa receptissimam, vetitæ erant reordinationes non secus ac rebaptizationes. 2°.

Quia ibi agitur de Episcopis innocentibus ac injuste depositis. Nemo autem dixerit virum innocentum per injustam depositionem a charactere sacerdotali excidere. 3°. Fulbertus Carnotensis Epist. 25. referens quæ a Synodo Toletana ad Ordinum restitutionem præscripta sunt, expresse notat per hæc reordinationes non fieri.

Obj. 2°. 9. Ecclesiæ sæc. cum Ebbo Rhemensis Archiepiscopus per infandam perfidiam Ludovicum Pium Imperatorem in Consilio Compendiensi e solio deturbasset, ut filium ejus Lotharium ad Regni fastigium sublimaret, restituto postea Ludovico, in Synodo apud *Theodonis Villam* in pœnam criminis depositus est, ac per aliquot annos in variis monasteriis errabundus vixit. Mortuo autem Ludovico, Lotharius in Galliam involavit, Ebboni Sedem Rhemensem restituit quam per annum duntaxat tenuit, cum iterum in fugam se dare coactus esset. Per eum vero annum quo restitutus a Lothario Sedem Rhemensem rixit, plures Clericos ordinavit, de quibus eo quod canonice depositus esset nec canonice restitutus, magna fuit in Gallis excitata contentio. Synodus autem Suessionensis 2 auctore Hincmaro qui in locum Ebbonis suffectus fuerat, ordinationes eo tempore peractas *irritas ac vacuas* declaravit. Ergo, &c.

R. dist. Irritas ac vacuas declaravit, quoad susceptorum Ordinum executionem, jura et privilegia, ut pluries jam dictum est, *conc.* quoad characterem et substantiam, *neg.* Decretum Concilii Suessionensis de sola susceptorum ab Ebbone Ordinum executione debere intelligi, multa sunt quæ suadeant.

1°. Enim Patres Suessionenses Ebbonem non reprehendunt quod non curaverit denuo ordinari, sed *quod post suam depositionem absque ulla legitima restitutione præsumpserit ordinare.* Porro si per depositionem characterem amississet, nova Ordinatione, non mera restitutione ad Ordines conferendos indiguisset.

2°. Carpunt

2°. Carpunt eum *episcopale officium illicite repetisse*, non autem invalide ordinasse.

3°. Clerici ab eo consecrati in actis Concilii Suessionensis tantum *suspensi* dicuntur, qui vero Ordinem non habet, ab eo non suspenditur.

4°. Qui ab Ebbone fuerant ordinati, tandem citra novam Ordinationem officio suo restituti sunt a Nicolao I. Episcopis Gallicanis, Rege Carolo, ipsoque Hincmaro consentientibus: quod fieri minime licuisset si fuissent charactere vacui.

5°. Tandem Ebbo post suam depositionem sine nova Ordinatione Sedem Hildeshemensem in Saxonia usque ad mortem gubernavit. Non putabatur igitur per depositionem, characteris in Ordinatione suscepti jacturam fecisse.

Inst. 1°. De Clericis ab Ebbone ordinatis dicitur in actis Concilii suessionensis 1°. quod *ministrare nec debuerunt nec potuerunt.*. 2°. Quod. *visi fuerunt ordinari in gradus ecclesiasticos.* 3°. Quod nihil ab *Ebbone acceperant* Ergo nequidem charactere fuerant induti.

R. ad 1. *dist.* Non poterunt ministrare licite, *conc.* valide *neg.*

R. ad 2. *et* 3. *dist.* Visi fuerant ordinari, nihil acceperunt, quoad gratiam, jura et legitimum potestatis usum, *conc.* quoad characterem, *neg.*

Inst. 2°. In eodem Concil. act. 6. statutum fuit *Halduinum qui ab Ebbone Diaconus primum ordinatus, Præsbyter postea a Lupo Episcopo Catalaunensi sine præcedentis Ordinationis examine consecratus fuerat, at qui saltu sine gradu Diaconi ad sacerdotium prosilierat, in degradationem debitam debere resilire.* Atqui si valide, quantum ad characterem, judicatæ essent Ebbonis Ordinationes, Halduinus non diceretur a Patribus Suessionensibus per saltum ad præsbyteratum evectus.

R. n. min. Quamvis enim stricte loquendo et usu magis communi is dicatur per saltum ordinatus, qui omisso prorsus inferiori Ordine ad superiorem evehitur, is tamen sic quoque potest appellari qui

antea

antea inferiorem Ordinem recepit sed contra Canones ac sine gratia et juribus eidem Ordini annexis; male enim accipere et nullatenus accipere, juxta satis communem loquendi modum, non multum differunt. Sic dicitur non esse Christianus, qui christiane non vivit. Dubium vero non est quin Synodus Suessionensis eo seusu rem intellexerit.

His omnibus addi potest Synodum Suessionensem 2. nullius esse auctoritatis, quantum ad Ebbonis causam et Ordinationes ab eo peractas, 1°. quia Leo. IV. tunc Sedam Romanam tenens eam Synodum approbare sollicite renuit. 2°. Quia Benedictus III. Leonis successor illam non approbavit, nisi in quantum id irritum esset quod contra dejectos Ebbonis Clericos ab Hincmaro statutum fuerat. 3°. Quia Nicolaus I. quæcumque contra istos Clericos acta fuerant revocavit. 4°. Quia in Concilio Suessionensi 3. isti Clerici in pristinum statum restituti sunt, ipso consentiente Hincmaro Quæ quidem agendiratio in alio Concilio apud Trecas an. 867. celebrato comprobata est.

Solvuntur Objectiones ex Ordinationibus Instrusorum et Invasorum petitiæ.

Obj. 1°. Cum maximus Philosophus Cynicus, cæterium Fidei Nicænæ Defensor acerrimus, versus finem 4. sæculi Sedem Constantinopolitanam dolo ac pecunia invasisset, Patres Concilii 1. Constantinopolitani generalis can. 4. *decreverunt eum nec esse nec fuisse unquam Episcopum, nec Clericos eos qui ab illo ordinati faissent..... et quæ ab illo acta fuissent, irrita esse.* Similia refert Sozomenus lib. 7. cap. 9.

R. dist. quoad usum et exercitium potestatis, *conc.* quoad characterem, *neg.* Eodem sensu intelligi debet S. Leo. Epist. olim 92. nunc 2. ad Rusticum, ubi ait *nullam rationem sinere ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a Plebibus expetiti.*

Obj.

Obj.. 2°. Cum Constantinus quidam 8. Ecclesiæ sæc. e Laico intra paucos dies consecratus esset Episcopus, ac in Romanam Sedem per vim intrusus esset, post annum zelo Fidelium oculis privatus est et a Sede Apostolica dejectus. Stiphanus vero IV. aliis III. ejus successor in Synodo Romæ habita illius Ordinationes rescidit, ac decrevit ut Clerici ab eo ordinati *redirent ad gradum quem antea habebant, vel facta nova electione, ad consecrandum venirent. et consecrationem susciperent ac si prius fuissent minime ordinati.* Ita refert Sigebertus in Chronologia sua ad an. 767. cui consentit Anastasius Bibliothecarius in vita Stephani IV.

R. duplicem esse responsionem. Prima est Auxilii Scriptoris fere coætanei qui lib. 2. cap. 4. apud Morinum p. 297. existimat reipsa iteratas fuisse a Stephano Constantini Ordinationes, prout constat iis ætatibus nonnullas iteratas fuisse, sed in eo Stephanum graviter deliquisse. Auxilio nonnulli Recentiores assentiuntur. Secunda est Baronii et aliorum multorum qui censent Decretum Stephani non esse intelligendum de consecratione sacramenttali ac proprie dicta, sed de Ritibus in reconciliatione Hæreticorum, Schismaticorum aliorumve Ecclesiæ Perduellium adhiberi solitis. Verisimilior ista posterior sententia nobis videtur, 1°. quia nihil de Ordinationibus Constantini statuit Stephanus nisi de consensu multorum Episcoporum ex Germania, Gallia et Italia in Concilio Congregatorum. At probabile non est tot Episcopos totque alios viros eruditos a Traditione Ecclesiæ Romanæ descivisse. 2°. Quia ii qui a Constantino ordinati fuerunt, jubentur *in habitu religioso* permanere et vitam spiritalem degere. Id vero ab iis minime fuisse expostulatum, si meri fuissent Laici.

Inst. 1°. Statutum est in eodem Concilio Romano ut *omnia quæ idem Constantinus egerat, iterarentur, præter sacrum Baptisma et sanctum Chrisma,*

R. dist. Statutum est ut omnia iterarentur quoad usum potestatis, *conc.* quoad characterem, *neg.*

Inst. 2°. Constantinus in sua Ordinatione procul

dubio characterem impresserat. Sed consecratio a Stephano iterata a Constantini consecratione nihil differebat. Ergo, &c.

R. neg. conseq. Quamvis enim esset inter utramque consecrationem hanc similitudo ratione cæremoniarum quæ eædem fere in utraque adhibebantur, tamen essentiale fuit inter utramque discrimen, positum in eo quoad una esset sacramentalis, non altera.

His omnibus quæ de Ordinationibus a Stephano iteratis dicta sunt, addo loco verbi, *consecrare* in quibusdam codicibus legi, *conciliare*, uti Baronius et Nuperi Anastasii Editores annotarunt. Hoc autem posito, evanescit omnis difficultas, ut patet.

Obj. 3°. De Photio qui versus medium 9. sæculi, exauctorato Ignatio legitimo Pontifice, Sedem Constantinopolitanam invaserat, sic loquitur Concil. Constantin. generale 8. can. 4. *Photium contra jus fasque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Christi insilientem.....nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse justo Decreto declaramus, nec ab illo creatos, in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, manere.* Addit Anastasius qui Synodo aderat: *omnibus maxime quæ in ipso et ab ipso ad sacerdotalis gradus acceptionem vel damnationem actu sunt, in irritum ductis.*

R. his verbis nihil aliud significari nisi Ordinationem Photii et eas quas ipse fecit, irritas fuisse quantum ad ea quæ ab Ecclesia pendent, v. g. liberum Ordinis usum, has autam quantum ad substantium et characterem pro ratis tunc esse habitas ostenditur; quia sancto Ignatio e vivis erepto, Photius Basilii Imperatoris favore, approbantibus Jonne VIII. Papa, Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Jerosol. et aliis Episcopis innumeris, Sedem quam, vivente Ignatio, invaserat, absque nova Ordinatione recuperavit, ut legere est in Epistola Joannis VIII. ad Basilium Imperatorem. Atqui si arbitrati fuissent Patres tam latini quam græci Photium charactere episcopali non fuisse per illegitimam Ordinationem insignitum, non ausi fuissent

illum

illum, mortu Ignatio, in Sedem quam ambitiose usurpaverat, sine nova Ordinatione restituere.

Inst. 1°. Synodus 8. cap. 25. decernet ut Episcopi qui a Methodio vel Ignatio ordinati Photio postea adhæserant, *depositi sint et ab omni sacerdotali operatione privati.* Declarat vero Episcopos a Photio ordinatos, *nunquam fuisse Episcopos.* Atqui si Photii non secus ac Methodii et Ignatii, quantum ad characterem, validæ fuerint Ordinationes, discrimen illud a Concilio perperam consitueretur.

R. neg. min. Qui enim a Methodio et Ignatio fuerant ordinati, et Photii partes postea secuti sunt, ii aliquando Episcopi fuerant etiam quoad usum potestatis et jura Ordinibus annexa, nimirum antequam Photio adhærescerent. Qui vero fuerant a Photio consecrati nec erant nec unquam fuerunt Episcopi quoad usum potestatis, in eoque positum est discrimen inter utrosque a Synodo constitutum.

Inst. 2°. Adrianus II. sic habet in Epist. ad Ignatium quæ lecta est ac. 3. Concilii 8. *Præ omnibus et super omnia Gregorium Syracusanum et Photium tyrannum, et quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est ab Episcoporum numero et dignitate quam usurpative ac ficte dedit, merito sequestramus..... quia Photius vir fornensis, neophytus, invasor, adulter, nec non anathemate condemnatus existens, nihil habuit, nihil dedit, nisi forte damnationem.* Quibus verbis patet Photium nihil dedisse nisi damnationem, putativasque fuisse tantum ac fictitias illas Ordinationes, ac proinde nullas.

R. 1°. Photium quidem nihil nisi damnationem dedisse ratione jurisdictionis et legitimæ potestatis, secus vero ratione characteris. 2°. Putativæ ac fictitiæ fuerunt Photii Ordinationes, quoad honorem et jura iis annexa, quatenus videlicet cum viderentur aliquos evehere ad dignitatem quamdam ecclesiasticam, et ipsis magnam conferre potestatem nullam tamen conferebant, sed tantum aliquod inane dignitatis simulachrum. Non dicuntur vero putativæ ac fictæ eo sensu quod nullum characterem infigant ac omni prorsus effectu caruerint.

Frustra

Frustra diceretur vocem, *putativa*, ab eodem Adriano eadem in Epistola accipi ad significandam sive attentatam Ignatii depositionem, sive Ordinationem a Laicis simulatam, quæ profecto omni prorsus effectu carebat, ac proinde vocem illam eodem sensu, ubi de Photii Ordinationibus loquitur, fuisse acceptam. Vox enim eadem diverse in diversis circumstantiis non raro intelligitur, ratioque postulat ut ipsius significatio ex subjecta materia determinetur, nec ei alius sensus affigatur nisi quem rei de qua sermo est conditio exiget. Porro si res de qua sermo est, attendatur, nemo est qui non intelligat depositionem Ignatii a Photio tentatam omni effectu caruisse, quia Legi divinæ et ecclesiasticæ disciplinæ omni sensu contraria fuerat. Similiter ex ipsa rei natura intelligitur Ordinationem a Laicis simulatam nullum effectum habere, quia nulla est in Laicis rerum sacrarum conficiendarum potestas. At e contrario, cum dicit Adrianus Ordinationes a Photio factas, *fictitias* fuisse ac *putativas*, voces illæ eo sensu debent accipi quod licet sacerdotii honorem, ecclesiasticam jurisdictionem et gratiam conferre videantur, hæc tamen minime conferant; non autem eo sensu quod nihil producant nec ullum characterem imprimant, siquidem constat ex dictis eos qui a Photio ordinati fuerant, ipsumque Photium in suos gradus sine nova Ordinatione, consentientibus tunc S. Pontifice, Patriarchis pluribus et Episcopis innumeris, fuisse restitutos: quod manifesto argumento est tunc creditum fuisse Photium et ab eo consecratos characterem et Ordinis substantiam recepisse per Ordinationem.

Inst. 3°. Ordinatio Photii a Gregorio Syracusano facta act. 3. ejusd. Concilii dicitur inefficax.

R. dist. Inefficax, quantum ad Gratiam et legitimum usum, *conc.* quantum ad characterem, *neg.*

Inst. 4°. Eadem Ordinatio ibidem comparatur cum Maximi Cynensis consecratione: atqui hæc fuit inefficax, etiam quantum ad characterem.

R. n. min. Constat enim ex dictis validam fuisse Maximi consecrationem, saltem quantum ad substantiam et characterem.

Inst.

Inst. 5°. Stilianus Neocesarcæ Metropolita cum aliis Orientalibus in Epistola ad Stephanum VI. part. 3. Concilii cap. 6. affirmat se nullum in Photio agnovisse sacerdotii vestigium.

R. eandem semper reviviscere responsionem, et hoc unum a Styliano significari, in Photio nullum fuisse vestigium sacerdotii ratione juris ecclesiastici et canonicæ disciplinæ, bene vero ratione juris divini.

Inst. 6°. Photius act. 4. Concilii 8. *semper inter Laicos a Sede Romana computatus* fuisse dicitur.

R. dist. Inter Laicos computatus est, quoad jura et forum externum, *conc.* quoad forum internum, eo sensu quod in illo character nullus agnosceretur, *neg.* Numquid enim ille creditur nullo Ordines charactere insignitus, cui post Ignatii mortem sine nova Ordinatione commissum est Ecclesiæ Constantinopolitanæ regimen?

Inst. 7°. Legati S. Pontificis in Bulgarium missi *Confirmationem a Photio datam reprobarunt ac iterarunt*, ut constat ex Metrophane in Epistola ad Manuelem Patricium part. 3. ejusdem Concilii c. 2. et ex ipsa Photii Epistola quæ non ita pridem in lucem prodiit. Ergo eum ut Episcopum non agnoverunt.

R. a Legatis S. Pontificis reprobatum fuisse Confirmatione tantum quæ data fuerat a Præsbyteris Photianis, qui confirmandi jus non habebant, presertim in Bulgaria quæ pertinebat ad Patriarchatum Romanum, ubi proinde Præsbyteri non poterant etiam extraordinarie Confirmationem conferre absque licentia S. Pontificis. Sed ab iis Legatis minime reprobata aut iterata legitur Confirmatio data ab Episcopis quos ordinaverat Photius. Hæc tamen iterari debuisset, nisi existimati essent episcopali charactere insigniti. Responsio patet ex ipsius Photii verbis in Epistola quam refert Baronius ad an. 863.

Inst. 8°. Saltem Photius Ignatii Ordinationes iteravit. Ergo, &c.

R. neg. conseq. Parvi enim causa Orthodoxorum refert

refert quid vir schismaticus, intrusus et a Deo desertus egerit. Aliunde iteratæ a Photio Ordinationes, velut gravissimum crimen passim apud omnes habitæ sunt.

Inst. 9. Ecclesiæ a Photio consecratæ ejusd. Concil. can. 4. jussæ sunt rursus dedicari. Ergo pari ratione nova Ordinatione indigebant Sacerdotes ab eo consecrati.

R. neg. conseq. et paritatem. Ecclesiarum enim Consecrationes juris sunt tantum ecclesiastici. Unde quando contra canones peractæ sunt, iterari possunt ac debent; secus Ordinationes quæ in jure divino fundantur.

Ob. 4°. Versus finem 9. Ecclesiæ sæc. Formosus Portuensis Episcopus, licet vir magnæ sanctitatis opinione florens, a Joanne VIII. variorum criminum incusatus, in Synodo depositus est ac anathemate perculsus; sed postea a Marino Joannis successore pristinæ Sedi restitutus est, ac tandem, renitente admodum Sergio, in Sedem Romanam electus, quam suscepit, et per sex annos summa cum laude gubernavit, ut refert Baronius. At Stephanus VI. vel illius in Sede Romana successor eum sepultum exhumari præcepit ac tanquam viventem in judicium vocavit, condemnavit, in Tiberim projici jussit, Ordinationes ab eo factas *irritas* declaravit et iteravit, ut videre est apud Luitprandum lib. 1. Hist. sacræ cap. 8. quem secuti sunt Martinus Polonus et Platina. Quæcumque vero a Stephano et ab eo ordinatis acta fuerant, postea confirmata sunt a Sergio III. qui Formosi antea competitor, Sedem Romanam aliquando tandem occupaverat, ut videre est apud Sigebertum ad an. 900. 902. 903. 907. Ergo duo S. Pontifices, quibus alii Episcopi consentiebant, Formosi Ordinationes irritas esse definierunt.

R. Missa responsione quorumdam qui contra apertam factorum veritatem post Onuphrium volunt hæc omnia esse fabulosa, ex facinore omnibus odioso nihil posse concludi adversus doctrinam Ecclesiæ de non iterandis Ordinationibus. Atqui

acta

acta Stephani ac Sergii in Formosum fuerunt omnibus odiosa ac instar immanis flagitii habita, ut constat ex Luitprando, Auxilio Auctore coætaneo, Baronio ad annos 897. et 908. Sigeberto ad annum 902. Joanne IX. in Synodo Romæ habita an. 904. Concilio Ravennatensi cui adfuerunt 74. Episcopi cum eodem Joanne Pontifice et aliis multis.

Inst. Formosus, prout legitur apud Auxilium part. 2. c. 26. *quando accessit ut Papa efficeretur, ita manus impositionem sibi tribui præcepit, ac si Episcopus non esset: ac per hoc non solum apostolicam dignitatem non acquisivit; verum etiam id quod Episcopus erat perdidit.* Ergo, &c.

R. hæc quidem de Formoso ab ejus inimicis dicta fuisse, sed falso, ut expresse affirmat Auxilius ibid cad. 26. et 27. ubi ait: *Procul dubio falsissimum est quod Formosus in hac translatione manus impositionem acceperit.....ego et non pauci mecum, certo certius compertum habemus, quia hæc de Formoso alii non referunt, nisi qui simultates et inimicitias cum eo habuerunt.*

Cæterum non diffitemur Formosum Sacramento pollicitum esse nec Romam se intraturum, nec unquam Sedem Portuensem repetiturum. Sed, ut animadvertit Auxilius, juramentum illud nefarie ac vi extortum fuit.

Obj. 5°. Joannes XII. in Synodo habita an. 964. tom. 9. Labbæi, Ordinationes Leonis Antipapæ nullas declarat. Addit Sigebertus in Chronico a Leone ordinatos, qui digni judicabantur, fuisse rursum consecratos.

R dist. Joannes XII. Leonis Ordinationes irritas ac nullas declaravit, quoad honorem et legitimum potestatis usum, *conc.* quoad substantiam et characterem, *neg.* Qui a Leone ordinati, rursum consecrati sunt consecratione non sacramentali, *conc.* sacramentali, *neg.* Addimus hæc verba non esse Sigeberti, sed ipsius textui inserta fuisse, ut ostendit Aubertus Miræus in editione Operis ejusdem Sigeberti quam emisit.

Solvuntur

Solvuntur Objectiones ex Ordinationibus Simoniacorum petitæ.

Obj. 1. S. Gregorius Nazianzenus, apud Gratianum Decreti part. causa 1. quæst. 1. cap. 11. sic habet: *Qui studet donum Dei pretio mercari, in sacro Ordine nulla ratione de cætero permanere aut revocari posse dubium non est.....quia nemo retinere potest quod vendidit.* Ergo, &c.

R. 1°. hæc verba in Operibus Gregorii Naz. non reperiri, sed similia quædam legi in Epistola Tarasii ad Adrianum. Tarasius autem Gregorio Nazianzeno longe est auctoritate inferior, sicut et multo recentior.

R. 2°. ex verbis in objectione relatis solummodo colligi posse Simoniacos esse deponendos, nec unquam restituendos, non vero eos Ordinis characterem non suscepisse. Qui enim dicitur non posse in aliquo Ordine permanere, supponitur eum Ordinem habere.

Obj. 2°. S. Ambrosius Lib. de Dignitate sacerdotali cap. 5. et apud eumdem Gratianum ibid. cap. 14. ait Episcopum simoniace seu propter aurum ordinantem, dedisse lepram. Ergo, &c.

R. 1°. hoc Opus non esse S. Ambrosii, sed incerti Auctoris. 2°. *Dist.* Ordinatio simoniaca dat lepram, id est, characterem in perniciem suscipienti *conc.* id est, nequidem dat characterem *neg.* Responsio patet ex verbis subsequentibus, ubi dicitur *ordinatum per pecuniam acquisivisse indebitum Ordinem, et apud Deum perdidesse interiorem hominem, carnem suscepisse, dignitatem et animam perdidisse.*

Obj. 3°. S. Leo apud Gratian. ibid. c. 1. ait *Simoniacos Gratiam non habere, nec cuiquam dare posse.*

R. ut antea, 1°. hæc verba apud Leonem non reperiri. 2°. Hæc intelligenda esse de Gratia sanctificante, quam revera Simoniaci nec habent nec impertiuntur.

Obj.

Obj. 4°. Gregorius Magnus lib. 7. Epist. cap. 110. *Quicumque*, inquit, *sacerdotium pretii studet donatione mercari, Sacerdos non est, sed dici tantum inaniter concupiscit.*

R. dist. Sacerdos non est, quoad officium quod nequidem intendit, unam dignitatem externam ambiens, *conc.* quoad characterem, *neg.* Sic de malo Christiano aliquando dicitur quod non sit Christianus, licet tamen charactere baptismali insignitus.

Obj. 5°. Petrus Damianus 11. Ecclesiæ sæc. a S. Pontifice de validitate Ordinationum simoniacarum scribere jussus, tractat argumentum hoc in Opusculo cui nomen, *Gratissimus* ibique tradit quæstionem hanc *per triennium in tribus Conciliis Romanis fuisse discussam*, eamque esse valde perplexam ac confusam, ipsique Leoni IX. difficilem esse visam. Ergo saltem dubia est Ordinationum a Simoniacis factarum validitas.

R. dubium, de quo loquitur Damianus, et quo ipse summus Pontifex agitabatur, nullatenus versatum esse circa Ordinationum simoniacarum validitatem, sed circa graduum et honorum restitutionem, vel suspensionem perpetuam et omnimodam privationem ; id non diffitetur ipse Morinus exercit. 5. n. 11. Hæc est vera quæstio, de qua tunc in Ecclesia ac præsertim in tribus Conciliis Romanis eo tempore habitis acris fuit disceptatio.

Nec tamen diffitemur quosdam hisce temporibus, quibus nondum eliquata erat ista controversia, de validitate istarum Ordinationum dubitasse ; sed dubium istud paucissimorum fuit, non autem Ecclesiæ, nec Sedis Apostolicæ.

Inst. Narrat Petrus Damianus ibid. Leon. IX. *plerosque Simoniacos et male promotos, tanquam noviter ordinasse.* Ergo ipsa Sedes Apostolica existimabat characterem non posse cum simonia consistere.

R. dist. Noviter ordinavit, Ordinatione improprie dicta, *conc.* proprie dicta, *neg.* Non ait Damianus *Leonem noviter* ordinasse, sed tantum *tanquam*

noviter ordinasse: quod nullatenus indicat veram Ordinationem sed adumbratam consecrationem qua in priores gradus restituerentur, seu benedictionem, in qua iidem fere adhibebantur ritus, qui in ipsa Ordinatione.

Et vero si Leo IX. vere ordinaverit, dicendum est id fuisse ab eo factum ad majorem cautionem tantum, et quia nonnulli de Ordinationum illarum validitate dubitabant, non quod ipse dubitaret.

Obj. 6. Gregorius VII. in Concilio Rom. 5. an. 1078. can. 4. Ordinationes simoniacas *dijudicat esse infirmas et irritas.* Ergo, &c.

R. dist Ut centies, irritas quantum ad executionem, *conc.* quantum ad characterem, *neg.*

Obj. 7°. Urbanus II. versus finem sæculi 11. in Epist. ad Petrum Pistoriensem Episcopum et Rusticum Abbatem Vallis Umbrosæ, moleste ferentes quod ille Pontifex Daibertum quemdam a Nizeleone Simoniac consecratum rursum ordinasset, sic habet apud Gratianum 2 part. Decreti causa l. quæst. 7. c. 24. *Daibertum a Nizelone licet Simoniaco, non simoniace, ejusdem confessione reperimus in Diaconum ordinatum, et beati, Innocentii Papæ sententia constat declaratam quod Nizelo quem constat ab Hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, et Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait: reiterari oportet quod male actum est; Daibertum ab Hæreticis corpore et spiritu digressum ex integro Ecclesiæ, urgente necessitate, Diaconum constituimus; quod non reiterationem existimari censemus, sed tantum integram diaconii dationem; quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit, nihil dare potuit.* Ergo, &c.

R. Quisquis sit Nizelo ibi commemoratus, sive Guczelo Moguntinus Episcopus, sive Wezelinus Magdeburgensis, sive Wecilo Moguntinæ Sedis invasor; nec enim de hac quæstione historica inter se consentiunt Eruditi: respondeo, inquam, difficillimum hocce argumentum non uno eodemque modo dilui ab omnibus.

1°.

1°. Respondent nonnulli Epistolam Urbani II. intelligi debere de Hæreticis ritum a Christo institutum non servantibus. At verbis Urbani manifesto vim inferunt; nec enim unum est in ea Epistola vocabulum de evangelico ritu, nec mentio fit de alia hæresi, præter simoniam, quæ sola irritatæ Ordinationis causa proponitur.

2°. Respondet Rudolphus quidam apud Raymundum, lib. 1. Summæ, cup. 1. Ordinationes Hæreticorum tantum qui extra Ecclesiam ordinati fuerunt, non vero eorum qui intra Ecclesiam consecrati sunt, irritas ab Urbano declarari. Verum admitti non potest illa responsio, unde sequeretur nullos esse in Ecclesia Græca Episcopos aut Præsbyteros.

3°. Turnelius, Vitassius, Auctor de re sacramentaria et alii multi Epistolam hanc interpretantur, nonde Ordinatione proprie dicta sed de Ordinis executione. Quæ responsio videtur aliis singula fere Gratiani verba ad alienum sensum detorquere. Quidquid sit.

Respondemus 4°. *cum Sambovio et aliis* spuriam esse hanc Epistolam a Gratiano sub nomine Urbani immerito laudatam, nec proinde illius auctoritatem posse nobis opponi. Nam 1°. Gratianus, qui quinquaginta circiter annos post Urbani mortem scripsit, solus est illius Epistolæ genuinitatis sponsor. Porro Gratianus, multa sine multo delectu congessit, jamque antea experti sumus ementitos Gregorii Nazianzeni, Ambrosii, Leonis textus in illius lectione reperiri, vixque Antonio, Augustino, et Stephano Balusio, inquit Colletus, satis fuit multæ molis volumen in-8°. ut nævos ejus animadverterent. Verum est quidem Robertum de Flammesburg et Raymundum sic eum textum legisse; sed ambo ex una Gratiani auctoritate citaverunt. Unde non alia est eorum quam Gratiani in re præsenti auctoritas. 2°. Citata a Gratiano Epistola multum differt ab ea quam ex mss. codice victorino Binius edidit sub nomine ejusdem Urbani, scripta super eamdem

eamdem rem ad eosdem, videlicet Pistoriensem Episcopam et Rusticum Vallis Uumbrosæ, ut videre est tom. 10. Labb. p. 442. 3°. Credibile non est Urban II. recessisse a disciplina suo tempore recepta, a Petro Damiano nuperrime asserta, et a Clem. II. Leone IX. Nicolao II. variis in Decretis admissa 4°. Nisi illa Epistola Urbano abjudicetur, aut saltem nisi exponatur de Ordinatione improprie dicta, non potest Pontifex ille cum se ipso conciliari, siquidem in Concil 3. Romano an. 1099. expresse agnovit validas esse Ordinationes a Simoniacis factas, sicque ordinatos esse pro misericordia sustinendos, si nesciverint Episcopos ordinantes fuisse Simoniacos.

Obj. 8°. Hildebertus Cœnomanensis Episcopus Epist. 14. Bibliothecæ Patrum tom. 3. p. 180. Diaconum simoniace ordinatum et postea ad præsbyteratum promotum ait *a diaconatu summovendum esse, nullam partem concedere ei Petrum in Ordine quem, dum emit, non accepit, eum quoque a sacerdotio canonicam auctoritatem suspendere, quo vel nondum vel male factus Diaconus evolavit..... nec eum posse ministrare in sacerdotio quod male accepit, vel in diaconatu quem fortasse non accepit.*

R. 1°. Hildebertum forte sic statuisse ad majorem cautionem, et quod tutiori parti foret adhærendum. 2°. Etsi consideremus Hildebertum revera fuisse in sententia perpaucorum, qui tunc ex dictis invalidas esse Simoniacorum Ordinationes censebant, non video inde quidquam contra veritatem a nobis assertam, nunc eliquatam, innumeris testimoniis universalique Ecclesiæ praxi confirmatam posse concludi.

Solvuntur Objectiones ex Ordinationibus Improborum petit.

Obj. 1°. Lib. 1. c. 2. Constit. Apos. legitur: *Neque Episcopus ignorantia aut molo animo oppletus, verus est sed falsus Episcopus.* 2°. S. Dionysius

sius vulgo Areopagita, Epis. 8. ad Demophilum. ait *virum improbum, si sacerdotalia sibi vindicet, non esse Sacerdotem, sed inimicum, dolosum et lupum in dominicum gregem ovina pelle armatum.* Similia loquuntur S. Cyprianus Epist. 68. Auctor Operis imperfecti in Matth. Gelasius Epist. ad Elpidium.

R. SS. Patres his et aliis similibus verbis noluisse significare characterem improbis per Ordinationem non infigi aut per iniquitatem eorum amitti: sed tantum improbos non esse veros Episcopos vel Præsbyteros ratione finis propter quem Ordo institutus est, illos officio suis Ordinibus annexo non fungi, non esse Ministros juxta cor Dei, grata Deo non offerre, vel Spiritum Sanctum non conferre ex opere operantis et ratione suarum dispositionum, mercedem bonis paratam non esse accepturos.

Alia quæ eo loci de Ordinationibus improborum objici solent, jam solvuntur ex iis quæ dicta sunt in Tractatu de Sacramentis in genere, ubi de fide et probitate in Ministris Sacramentorum disseruimus.

Quæres quid sentiendum sit de Ordinationibus anglicanis?

R. illas esse prorsus nullas, tum quia Parkerus qui est novi ministerii in Anglia radix et origo, non fuit Episcopus; tum quia Rituale novum nunc in Anglia receptum Ordinationis formam in essentialibus mutavit, uti in specialibus Dissertationibus cum Patre *Lequien* contra Patrem *Le Courayer*, si Deus dederit, ostendemus.

SECUNDA PARS.

De Singulis in specie Ordinibus.

In cap. 2. primæ partis, septem in Ecclesia latina Ordines esse comprobavimus, nempe Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, et hi majores di-

cuntur; Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum, et hi minores dicuntur. Jam multa in prima parte de istis Ordinibus dicta fuerunt, scilicet quantum permittebat aut exigebat argumentorum ratio: nimirum jam perpensum est a nobis quinam ex singulis istis Ordinibus Sacramenti rationem habeant, quinam sit illorum Minister sive ordinarius sive extraordinarius, quænam personæ illorum suscipiendorum sint capaces, quænam ætas ad illos suscipiendos idonea, quo in loco quo tempore conferri debeant. Hæc et alia multa, quæ jam tetigimus, non refricabimus.

Quoniam vero, ne extra materiam omnino vagaremur, et ne filum ac seriem propositionum abrumperemus, plurima prætermisimus quæ ad singulos istos Ordines spectant, de iis nunc speciatim disserendum occurrit, postquam nonnulla de Tonsura clericali, quæ debet ante quemlibet ex illis Ordinibus conferri.

Cæterum eo loci non dicemus de Ritibus qui in collatione singulorum Ordinum observari debent, quia facile disci possunt ex Pontificali Romano, mysticæque eorum significationes ex Doctoribus asceticis.

CAPUT PRIMUM.

De Tonsura clericali.

1°. Tonsura clericalis est cæremonia sacra ab Ecclesia instituta, per quam Christianus speciali modo Deo consecratur, et in Clero constituitur ut sese ad Ordines disponat.

2°. Tonsura appellatur, eo quod recipientis capilli tondeantur; *scilicet*, inquit Isidorus lib. 2. off. *ut hoc signo vitia resecentur et criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde exspoliantes nos, juxta Apostolum, veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum qui in agnitionem Dei renovatur.* Superpelliceus qui sacræ Tonsuræ

Initiatis

Initiatis imponitur, signum est novi hominis quem induere debent.

3°. Juxta probabiliorem ac multo communiorem sententiam sacra Tonsura non est Ordo proprie dictus, sed duntaxat dispositio ad Ordinis. Nam Concil. Trid. sess. 23. c. 2. indicat Tonsuram tantum ut dispositionem ad Ordines suscipiendos. 2°. Catechismus Concil. Trid. de Sacram. Ordinum. 27. expresse docet Tonsurom esse quandam præparationem ad Ordines accipiendos. 3°. D. Thom. Suppl. q. 40. art. 2. apertis verbis tradit Tonsuram nec Ordinem esse, nec characterem imprimere. 4°. Tonsura nullam potestatem confert relative ad Eucharistiam, nihil dat unde possit Clericus Eucharistiæ sacrificio speciali quodammodo cooperari, sed solummodo capacem reddit Beneficii possidendi. Igitur Tonsura est tantum præparatio ad Ordines, et se habet ad eos sicut Novitiatus regularis ad Professionem monasticam.

4°. Quamvis Tonsura non sit Ordo proprie dictus, antiquissima tamen est cæremonia, quæ ex communi Eruditorum sententia 4. aut 5. sæculo obtinebat. Imo Veteres nonnulli asserunt illam a S. Petro esse institutam, in eoque sequuntur Gregorium Turonensem, qui lib. 1. de Gloria Mart. c. 27. ait: *Petrus Apostolus ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit.*

5°. Sic a tota retro antiquitate usu receptum est Tonsuram Ordinibus præmittere, ut nemo licite possit ad eos promoveri nisi prius fuerit illa insignitus, ut satis indicat Concil. Trid. sess. 23. c. 2. ubi ait *eos qui jam clericali Tonsura insigniti sunt, per minores ad majores ascendere debere.*

6°. Ad Sacram Tonsuram requiruntur nonnullæ dispositiones, de quibus sic habet Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. *Prima Tonsura non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et Fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit eos non sæcularis judici fugiendii fraude,*

sed

sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Hinc 1°. qui Tonsuram clericalem capessit eo fine tantum ut Beneficium possideat, sicque affectus est ut nunquam velit ad majores Ordines ascendere, nisi forte excuset eum bona teneræ ætatis fides, mortaliter peccat. Ratio est quia re sacra abutitur, episcopalem benedictionem ad profanam ambitionem convertit, Ecclesiæ expectationem frustrat, Professionem clericatus temere ementitur, ac ejus prærogativam injuste ac fraudulenter usurpat. Ita Bannes, Navarrus, Hallerius, Colletus contra Sanchem.

2°. Peccat quoque lethaliter qui Tonsuram suscipit solo animo declinandi jurisdictionem fori sæcularis, propter easdem rationes.

3°. Peccati quoque mortalis reum Hallerius judicat eum qui peccati lethalis conscius Tonsuram suscipit: *Qnia* inquit, *injurius est in Deum et clericali Ordini contumeliosus, qui impœnitens Clericorum catalogo inscribi se procurat.....Deo quidem injuriam infert qui nulla in Deum præcedente conversione, ejus se famulatui consecrat.....Ordini vero clericali, cujus finis sit ad Deum adducere.* Addimus fallacem esse ejus Professionem, quod Deum in sortem eligat, cum sit a Deo aversus. Hallerio adstipulatur Natalis Alexander. Censent tamen plures alii peccatum istud non esse mortale, quod relinquimus, cum Haberto, *aliis prudentioribus definiendum.* Hoc unum addere sufficiat, aliter judicandum essa de Tonsura clericali ac de aliis sacramentalibus, v. g. aqua lustrali, quæ fatentibus omnibus Gratiæ statum in suscipiente non exigunt, in istorum enim usu non reperiuntur dolus ac fallacia quæ in indigna Tonsuræ receptione concurrunt.

7°. Qui Tonsura sunt insigniti, Ordini ecclesiastico accensentur et Cleri privilegiis gaudent, idque Episcopus in ipso Ordinationis actu declarat, eos sic alloquens: *Hodie de foro Ecclesiæ facti estis, et*

privilegia

privilegia clericalia sortiti estis: cavete igitur ne propter culpas vestras illá perdatis. Ii tamen illis non fruuntur nisi positis certis conditionibus. Stamus in Galliis Statuto Molinensi an 1566. ubi sic habetur: *Nul de nos sujets soi-disant Clercs, nè pourra jouir desdits privileges, s'il n'est constitue es Ordres Sacres, pour la moins Sous-diacre, ou Clerc actuellement residant et servant aux Offices, Ministeres, et Benefices qu'il tient de l'Eglise.* Eodem privilegio gaudere Clericos omnes Beneficium ecclesiasticum possidentes aut actu et sine fraude studentes in Declaratione data 10. die ejusdem anni statuit Carolus IX. Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de Reform. jamjam pene in omnibus simile Decretum emiserat. Hinc Clerici qui more Clericorum vivere desinunt, qui v. g. vestes suas exuunt ut sæculares induant, in actibus Clerici nomen supprimunt ut Laicorum titulos assumant, ipso facto privilegiis suis excidunt.

3°. Quatuor sunt præcipua Clericorum privilegia, nimirum immunitas a quibusdam tributis et muneribus publicis, privilegium Fori, privilegium Canonis, habilitas ad Beneficia.

Itaque ex primo privilegio Clerici apud nos sunt immunes a vectigalibus nonnullis, a militia, aut etiam ab excipiendis tecto militibus, a tutelis, curatelis, et aliis similibus publicis muneribus.

Ex privilegio Fori immunes sunt a jurisdictione Laicorum. Hoc autem non viget in Galliis pro causis realibus, sed tantum pro causis personalibus sive civilibus sive criminalibus, ubi casus non est privilegiatus.

Notandum est vero Clericos in Sacris constitutos non posse ob debita pecuniaria in carcerem detrudi, ex Sanctione Blesensi art. 57. Res tamen aliter se habebit si agatur de debitis ratione commercii contractis, v. g. syngraphis argentariis gallice, *lettres de change*, et aliis rebus quæ sunt jurisdictionis Judicum Consulum. Nec etiam Clericorum suppellectilia indistincte in solutionem æris alienio

alienis possunt occupari ex Sanctione Rega an. 1667. titul. 33. art. 15. ubi sic legitur: *Les personnes constituees aux Ordres de pretrise, de diaconat ou sous-diaconat, ne pourront etre executees en leurs meubles destines au service divin, ou servant a leur usage necessaire, de quelque valeur qu'ils puissent etre, ni meme en leurs livres qui leur seront laisses jusqu, a la somme de cent cinquante livres,*

Ex privilegio Canonis Clericus non potest injuste percuti, quin ipsius percussor subjaceat excommunicationi latæ ab Innoc. II. cap. *Si quis, suadente Diabolo.* 29. de qua dicetur in Tractatu de Censuris.

Ex altero tandem privilegio, et quidem præcipuo, qui sacra Tonsura sunt insigniti, fiunt habiles ad possidendum Beneficium ecclesiasticum, vel pensionem recipiendam. De quibus in Tractatu de Beneficiis dicturi sumus.

CAPUT SECUNDUM.

De quatour minoribus Ordinibus.

TRADEMUS 1°. eorum definitionem. 2°. eorum materiam & formam, 3°. eorum officia,

De Ostiariis.

Ostiariatus, qui est quatuor minorum Ordinum infimus, est Ordo conferens potestatem Ecclesiæ januas dignis aperiendi et indignis occludendi.

Materia illius est traditio clavium; forma sunt ordinantis Episcopi verba: *Sic age quasi redditurus Deo rationem, pro his rebus quæ his clavibus includuntur.* Ita Pontificale Romanum.

Præcipua Ostiariorum officia sunt Fidelibus Ecclesiæ fores aperire et eas Infidelibus, Hæreticis, Excommunicatis occludere, pulsare campanam, Fideles in Ecclesia congregatos continere ut reverentur in loco sacro consistant, procurare munditiem

ditiem et ornatum Ecclesiæ, providere ne vasa sacra, altaria, ornamenta depereant aut profanentur.

De Lectoribus.

Lectoratus est Ordo tradens potestatem in Ecclesia legendi verbum Dei, et ea quæ magis expediunt ad utilem Populi instructionem.

Ejus materia est traditio sacrorum Librorum: forma vero, verba Ordinantis: *Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

Lectoris officia duo sunt, nimirum in Ecclesia legere ea quæ ad populi instructionem magis expediunt, rudes ac parvulos Fidei elementa edocere.

Lectores olim panem et fructus novos benedicebant: cujus officii meminit Pontificale Romanum, quamvis nunc illud a solis Præsbyteris peragatur.

De Exorcistis.

Exorcistatus est Ordo conferens potestatem imponendi manus super Energumenos ad fugandos Dæmones a corporibus eorum.

Illius materia est traditio Libri exorcismorum, vel pontificalis, vel missalis: forma vero, sequentia verba: *Accipite et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super Energumenos sive Baptizatos, sive Catechumenos.*

Patet ex iis exorcismos huic ordini assignatos, eos esse qui super Energumenos fiunt non qui ad Baptismi cæremoniam pertinent; ii enim ex veteri instituto ad solos Sacerdotes aut Diaconos Baptismi Ministros pertinent.

Exorcistarum officia sunt exorcismos agere super Energumenos ad Dæmones ab iis expellendos,

Episcopo

Episcopo vel Sacerdoti exorcismos agenti ministrare, in aquæ benedictæ aspersione Sacerdotem comitari, et alia similia. Ex quibus officiis facile colligitur eos debere a mentibus suis immunditiam et nequitiam ejicere, suis vitiis imperare, ut habetur in Pontificali Romano.

Nec dicant Pseudo reformati potestatem ejiciendi Dæmonia non existere in Ecclesia. Nam de Ministris ab Ecclesia ad expellendos Dæmones institutis habent mentionem Tertull. cap. 41. Lib. de Præscript. Cyprianus Epist. 42. Concilium Laodic. an. 302. cap. 26. Carthag. 4. an. 398. Imo multis experimentis etiam posteriorum sæculorum confirmatur illa potestas, licet sæpe careat effectu propter infirmam vel Exorcistæ vel Energumeni Fidem. Cæterum gravibus de causis sanxit Ecclesia ne quis sive Exorcista, sive Præsbyter sine consensu Episcopi Energumenis exorcismos adhiberet.

De Acolythis.

Acolythatus est Ordo tradens potestatem cereos in sacrificio Missæ ex officio accendendi et deferendi, et præterea vinum et aquam in urceolis porrigendi ad incruentum sacrificium necessaria.

Hinc duplex illius Ordinis materia et forma. Prima est traditio candelabri cum candela extincta: forma vero huic correspondens, *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini;* secunda materia est traditio urceoli vacui: forma vero, *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistia sanguinis Christi in nomine Domini.*

Acolythorum officia sunt cereos accendere, solemniter intra Missam et in religiosis processionibus deferre, vinum et aquam ad Missæ sacrificium præparare et porrigere, deferre thuribulum, et thura certis occasionibus adolere, Subdiacono, Diacono et Præsbytero in sacris functionibus ministrare.

Acolythi

Acolythi autem sic dicuntur, quia eorum est majores Ministros in sacro ministerio sequi ac comitari; *Acolythos* enim vox est Græca, quæ eadem est ac latine, *assecla*, Comes.

Monitum.

Contra Hæreticos ostenditur Ecclesiam in votis maxime habere ut quatuor minores Ordines ad priscum usum restituantur.

Notavimus in prima parte interstitia inter singulos minores Ordines ex Concilio Trid. servanda, Episcoporum judicio esse relicta; nec dubium est quin rationabili de causa remitti possint, idque pro certo ac rato habuit S. Carolus in Concilio Mediol. 4. Hujus autem concessionis causa legitima est 1°. Ministrorum penuria. 2°. Utilitas, si nempe in magno Ministrorum numero pauci inveniantur idonei. 3°. Ordinandorum provectior ætas, &c.

Quare autem, si tanta est minorum Ordinum excellentia, eorum nunc jam pene nullus est usus, nulla exercitatio? Cur nulla iis interponuntur interstitia? Cur eorum officia a Laicis, conductitiisque personis, non sine sacrorum mysteriorum irreverentia, exercentur?

Verum est quidem inferiorum Ordinum exercitium jam inde a pluribus annis magno sacri ministerii detrimento esse neglectum, indeque Hæreticos implacabiles Ecclesiæ inimicos piæ huic matri detrectandi occasionem sumpsisse; sed nego in Ecclesiam accusationem illam jure refundi; hoc vero malum circumstantiis, temporibus, Ministrorum penuriæ imputandum est. Ecclesiam autem vehementer exoptare ut minores Ordines ad officii divini splendorem, Populorum ædificationem, juxta priscam disciplinam exerceantur, certissime constat ex Concil. Trid. sess. 23. de Reform. c. 17.

S. Carolus Patrum Tridentinorum mentem secutus in Concilio Mediol. 4. Decretum edidit ut

minorum Ordinum functiones ad priscum usum revocarentur, nec exercerentur nisi ab iis qui in illis Ordinibus essent constituti.

CAPUT TERTIUM.

De Subdiaconatu.

Subdiaconatus definiri solet Ordo sacer, quo datur potestas ministrandi Diacono in sacrificio Missæ.

Nunc collocatur inter Ordines sacros, nec tamen inter illos semper recensitus fuit, ut constat ex Urbano II. qui in Synodo Beneventana tres tantum Ordines sacros dicit, videlicet episcopatum, præsbyteratum et diaconatum.

Circa materiam subdiaconatus multiplex est Theologorum sententia. 1°. Alii hujus Ordinis materiam assignant calicis vacui et patenæ vacuæ traditionem. 2°. Alii addunt tunicam ab Episcopo similiter traditam. 3°. Alii asserunt ritus omnes in Pontificale præscriptos ad illius materiam pertinere. 4°. Tandem alii volunt materiam hanc in sola codicis evangelici porrectione esse positam, alios vero ritus esse tantum partes subdiaconatus integrantes.

Probabilior videtur prima sententia, nempe eorum qui contendunt materiam subdiaconatus in solo calicis et patenæ tactu consistere; quia Concil. Carthag. 4. Eugenius IV. et Libri rituales plurimi alterius materiæ ab Episcopo traditæ mentionem non faciunt. At quidquid sit de variis illis opinionibus, nullum dubium est quin rectius sit Ritus omnes ab Ecclesia præscriptos observare, cum incertum videri possit an Ecclesia, per quam, ex dictis alibi, institutus est subdiaconatus, omnes aut præcipuos Ritus in Pontificali descriptos non requirat.

Quantum ad formam, fatentur omnes illam esse positam in verbis quæ ab Episcopo, dum materiam applicat, pronuntiantur.

Officia

Officia Subdiaconorum, ex Pontificali Romano, sunt Diaconis ministrare, calicem et patenam ad altare deferre, pallas altaris et corporalia abluere, Epistolam legere, quod munus olim a Lectoribus exercebatur, aquam vino eucharistico admiscere, Fidelium oblationes suscipere, quod utique fit in Missis solemnibus.

Tres præcipue contrahunt obligationes Subdiaconi, ut dictum est in prima parte, nimirum perpetuam servandi castitatem, divinum officium recitandi, vestem talarem nigri coloris gestandi.

CAPUT QUARTUM.

De Diaconatu.

Græcum est Diaconi nomen, ac ministerium indicat. Diaconi enim semper fuerunt Episcoporum et Præsbyterorum Ministri, ipsis in sacris functionibus inservientes. Hinc a Latinis sæpe dicti sunt Ministri.

Diaconatus recte definiri potest Ordo sacer conferens potestatem proxime ministrandi Præsbyteris sacra solemniter facientibus.

Quintuplex Theologorum sententia circa diaconatus materiam. Prima, quæ est Bonaventuræ, Durandi, Scoti, Morini, Martenii, Juenini et aliorum permultorum, ipsam in sola manuum impositione reponit. Secunda, in sola Evangelii traditione. Tertia, que est S. Thomæ, utramque conjungit. Quarta addit stolam. Quinta dalmaticam.

Quantum ad formam, reponunt eam omnes in precibus materiæ correspondentibus; idque satis constat ex dictis in prima parte Tractatus, ubi de forma Ordinationis.

PROPOSITIO.

Materia Diaconatus est impositio manuum, et probabilius sola.

Prob. 1. *pars.* 1. Ex iis quæ in prima parte diximus, ubi pervictum est impositionem manuum Sacramenti Ordinis esse materiam. Cum enim diaconatus Sacramenti rationem habeat, huic Ordini competunt quæ de eo Sacramento prædicta sunt.

2°. Ex Scripturis, ex quibus constat septem primos Diaconos impositione manuum esse constitutos.

3°. Omnium Ecclesiarum sive orientalium sive occidentalium in illo ritu usurpando consensione, ut constat ex earum Ritualibus.

4°. Ex omnibus argumentis in probatione secunda partis modo adducendis.

Prob. 2. *pars.* Ex eo quod nullam in ordinando Diacono materiam, nullam in hujus Ordinis collatione Gratiæ causam, præter manus impositionem, commemorent Constitutiones apostolicæ lib. 8. c. 17. Synodus Carthag. 4. can. 4. Synodus Hispalensis 2. cap. 4. Dionysius vulgo Areopagita cap. 5. Synodus Meldensis an. 845. ac tandem permulti Libri rituales vetustissimi, quos videre est apud Martenium cap. 9. art. 9. num. 4.

Et vero si præter manuum impositionem alia foret diaconatus materia, vel esset traditio codicis Evangeliorum, vel stola, vel dalmatica: atque 1°. non traditio codicis Evangeliorum; siquidem, quando Diaconi ab Apostolis fuerunt ordinati, nondum exstabat Evangeliorum codex qui tradi posset, nec insuper olim in Ecclesia latina in Ordinatione Diaconorum tradebantur Evangelia, nec etiam traduntur apud Græcos. 2°. Nec stola, tum quia non legitur primis Diaconis data, tum quia illius traditio in multis antiquis Ritualibus omittitur. 3°. Nec etiam Dalmatica, propter easdem rationes.

Attamen

Attamen in praxi tenenda est sententia eorum qui traditionem codicis Evangelii, stolæ et dalmaticæ materiam diaconatus essentialem existimant; quia in dubiis et in quæstionibus de quibus controversia est apud Theologos, potissimum ubi de Sacramentis, pars tutior est eligenda.

Quæres 1. quænam sint Diaconorum officia?

R. tria a Pontificali Romano assignare, nimirum *ministrare ad altare, baptizare et prædicare.*

1°. Itaque Diaconi Sacerdotibus solemniter celebrantibus ministrant; materiam sacrificii, panem scilicet et vinum, exhibent, calicem cum ipsis offerunt eadem verba simul proferentes, *offerimus tibi calicem salutaris,* adeo ut in Pontificale appellentur *Comministri et Cooperatores corporis et sanguinis Domini.*

Insuper Diaconi sunt corporis Christi Dispensatores extraordinarii. Hinc olim de consensu Episcoporum vel Præsbyterorum Eucharistiam Fidelibus distribuebant: *Solemnibus impletis,* inquit S. Cyprianus Serm. de Laps. *Diaconus calicem præsentibus offerre cœpit.* At mos ille postremis temporibus inolevit. Vide ea quæ illa de re in Tractatu de Eucharistia diximus.

Iidem præterea antiquitus Fidelium animos tempore sacrificii excitabant, ut ad sacra attenderent; indignos a dignis separabant terribili ista voce, *recedant Pœnitentes, sancta sanctis.*

2°. Diaconi solemniter baptizare possunt, non quidem ut ordinarii Ministri, sed extraordinarii, ut videre est in Tractatu de Baptismo, ubi de Ministro disseruimus.

3°. Diaconi pariter solemniter prædicare possunt et vi Ordinationis suæ jus illud habent, quod tamen non possunt exercere, nisi ad id fuerint deputati.

Ex longo tempore pertinet ad illos Evangelium solemiter in altiori loco denuntiare.

Diaconis insuper aliquando concessum est ut, absentibus Episcopis vel Præsbyteris, urgente ne-

cessitate, Pœnitentes reconciliarent, non quidem sacramentaliter, sed deprecatorie, eos a pœnis canonicis absolvendo, vel dando Communionem quæ erat signum reconciliationis, ut videre est apud S. Cyprianum Epist. 12.

Demum Diaconi afflictorum curam habebant, thesaurum Ecclesiæ dispensabant, Fidelium eleemosynas distribuebant, ut patet ex Act. cap. 6. et exemplo S. Laurentii.

Quæres 2. quid sentiendum sit de Diaconissis, ac de functionibus in Ecclesia ab eis exerceri solitis?

R. de iis a nobis in prima hujus Tractatus parte satis fuisse dictum cap. 7. ubi de subjecto Ordinationis propos. 1. object. 1.

CAPUT QUINTUM.

De Sacerdotio.

Sacerdotii nomen genericum est quod competit Sacerdotibus, sive majoribus videlicet Episcopis, sive minoribus silicet simplicibus Præsbyteris. Jam vero usus in Ecclesia invaluit ut Sacerdotes inferiores Ordinis, ii nempe qui Episcopis subjiciuntur, dicantur Præsbyteri, Sacerdotes autem primi ordinis appellentur Episcopi. *Tunc*, inquit S. Chrysostomus Homil. 1. in Epist. ad Philip. *nomina adhuc erant communia, procedente vero tempore distributum est cuique nomen, ut hic quidem Episcopus, ille vero Præsbyter appellaretur.* Hinc duo erunt hujus capitis articuli, primus de præsbyteratu, secundus de episcopatu.

ARTICULUS I.

De Præsbyteratu.

Præsbyter græce idem est ac Senior. Sic autem dicuntur non solem propter ætatis maturitatem quæ

Præsbyteris

Præsbyteris maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam ac prudentiam, quæ in iis sicut in Senibus elucere debent.

Usu Ecclesiæ *Præsbyter* est nomen officii, quod iis attribuitur qui in Ecclesia præfecturam habent. Sic in Republica Magistratus et Præfecti non raro Seniores vocantur.

Præsbyteratus recte definitur Ordo sacer conferens potestatem consecrandi corpus et sanguinem Christi, ipsius corpus offerendi, et peccata dimittendi. Tantam potestatem huic Ordini esse annexam constat ex iis quæ dicta sunt in Tractatibus de Eucharisti a et Pœnitentia.

1°. Constat ac Fide certum est ex antea dictis præsbyteratum non tantum esse Ordinem sacrum, sed etiam verum Sacramentum. Quæcumque in hujus Tractatus exordio retulimus, ut contra Novatores evinceremus Ordinem novæ Legis esse Sacramentum, præcipue spectant ad Præsbyteratum propter quem instituti sunt et ad quem referuntur alii Ordines.

2°. Pariter constat ex iis quæ deximus in prima parte hujus Tractatus, cap. 4. præsbyteratus materiam esse solam manuum impositionem, formam vero orationem huic manuum impositioni correspondentem. Quæcumque enim in eo capite congessimus ad probandum manuum impositionem et quidem solam esse Sacramenti Ordinis materiam, de præsbyteratu præsertim intelligi debent, ut patebit ea relegenti.

3°. Præsbyterorum functiones sunt 1°. Sacramentum Eucharistiæ conficere, Missæ sacrificium offere. 2°. Benedicere et personis et rebus quæ in earum usum veniunt, pro aliis orare. 3°. Præesse seu regere sub manu Episcopi Populum et Clericos inferiores. 4°. Prædicare; *Qui enim Pastor*, inquit S. Hieronymus in cap. 4. ad Eph. *debet esse et Magister, nec in Ecclesiis Pastoris nomen sibi debet assumere nisi possit docere quos pascit.* 5°. Baptizare et alia Sacramenta præter Confirmationem et Ordina-

Ordinationem Fidelibus dispensare. Hæc et alia Præsbyterorum officia sic contrahit Pontificale Romanum. *Oportet*, inquit, *Sacerdotem, offerre, benedicere, præesse, prædicare, baptizare* Ex quibus Præsbyterorum officiis præsbyteralis Ordinis dignitas, excellentia et sanctitas intelligitur.

4°. Inter Præsbyteros alii sunt aliis gradu ac dignitate superiores, quales sunt Abbates, Decani, Canonici, Theologi, Pœnitentiarii, Archidiaconi, Archipræsbyteri, Officiales, Vicarii generales Episcoporum, quorum jura et functiones describuntur a Canonistis. Quædam in Tractatu de Ecclesia Christi tom. 2. part. 3. cap. 2. de illa Præsbyterorum distinctione disseruimus, ibique annotavimus totum inter eos omnes discrimen jure ecclesiastico introductum esse. At ibidem ostendimus aliter de Parochis esse sentiendum, divinamque esse eorum originem ac institutionem. Consuli possunt ea quæ a nobis in præfato loco dicta sunt.

ARTICULUS II.

De Episcopatu.

Disserere solunt Theologi de episcopatus nomine, natura, existentia, necessitate, materia, forma, Ministro, subjecto, præeminentia supra Præsbyteros, prærogativis, officiis, gradibus, electione, quibus omnibus nonnulla de Chorepiscopis subjungemus.

§ 1. *De nomine Episcopatus.*

1°. Episcopi nomen etymologia græcum est, et Inspectorem seu Speculatorem sonat. Unde ait S. Aug. in Psalm. 126. *Altior locus positus est Episcopis, ut velut in specula constituti superintendant et custodiant Populum.*

2°. Episcopi in Scripturis interdum appellantur Præsbyteri. Nomen illud, *Præsbyter*, Episcopis simul

simul et simplicibus Sacerdotibus olim commune fuisse certum omnino videtur. Id constat ex multis Scripturæ locis, v. g. Timoth. 4. ubi sic. legitur: *Noli negligere Gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum præsbyterii.* Ibi enim alii quam Episcopi nomine præsbyterii non possunt intelligi, siquidem Præsbyteri Episcopum non ordinassent. Vide insuper 1. Pet. 5. 1. Joannis Epist. 2. v. 1. et alia Scripturarum loca.

3°. De *Episcopi* vocabulo, utrum scilicet pariter simplicibus Sacerdotibus et Episcopis olim commune fuerit, non convenit inter Eruditos, tresque sunt ea de re Veterum ac Recentiorum sententiæ.

Prima est Theodoreti, qui Comment. in 1. Timoth. c. 3. asserit Episcopi nomen simplicibus Præsbyteris olim fuisse proprium; eos vero quos Episcoporum nomine nunc insignimus, tunc temporis vocatos fuisse Apostolos, non Episcopos.

Secunda est Epiphanii, qui hær. 75. tradit Episcopi nomine eos duntaxat in Scripturis insigniri, quos Episcopos appellamus, nusquam vero eos quos Præsbyteros nuncupamus; ita ut hujus vocabuli, idem, qui nunc est, semper usus fuerit. Theodoreto adhærent Petavius Dissert. eccles. lib. 1. c. 2. et Pearsonius lib. 2. Vindiciarum Ignatianarum cap. 13.

Tertia est S. Chrysostomi, qui Homil. 1. in Epist. ad Philippenses, docet Episcopi sicut et Præsbyteri nomen temporibus Apostolorum sive Episcopis sive simplicibus Præsbyteris interdum fuisse attributum. Ita Theophilactus, Œcumenius, Hieronymus, Beda, Anselmus, Doctor Angelicus. In eam sententiam fere omnes sive græci sive latini Interpretes abierunt. Cum illa sententia duabus aliis opinionibus longe sit in Ecclesia probatior ac communior, videtur illis anteponenda; nec enim a communi judicio Patrum, Scripturæ Interpretum, utriusque Ecclesiæ orientalis et occidentalis Doctorum ac Theologorum, facile recedere debemus. Fatendum tamen Episcopi nomen Præsbyteris superioribus sic speciale fuisse, ut raro admodum Præsbyteris inferioribus communicatum fuerit.

§ 2.

§ 2. *De Episcopatus natura, materia, forma, existentia et necessitate.*

1°. Episcopatus definitur Ordo supremus quo datur Præsbytero potestas conferendi Sacramenta Confirmationis, et Ordinis regendique Ecclesiam sibi commissam, id est, Clerum et Plebem. His verbis exprimitur duplex Episcoporum potestas, videlicet Ordinis qua Neophytos confirmant et Ecclesiæ Ministros ordinant, et jurisdictionis qua Populum sibi commissum regunt.

2°. Episcopatum esse verum Ordinem ac proprie dictum Sacramentum, in primu hujus Tractatus parte ostendimus, et quomodo et quo sensu id intelligendum sit ibidem exposuimus.

3°. Sequitur ex dictis ibidem episcopatus materiam in sola impositione manus esse positam, formam vero in oratione correspondente. Quæcumque enim cap. 4. propos. 3. et 4. delibavimus argumenta ut evinceremus non in instrumentorum porrectione, sed in sola manuum impositione materiam Ordinationis esse repositam, ad tres Ordines hierarchicos, videlicet diaconatum, præsbyteratum et imprimis episcopatum referuntur.

4°. Episcopos a temporibus Apostolorum in Ecclesia semper exstitisse nemo negavit unquam, idque constat ex Epistolis S. Pauli et veterum Ecclesiarum originibus, v. g. Romanæ, Antiochenæ, Jerosolymitanæ, quarum ab ætate Apostolorum singulos Antistites exhibent nobis Historiæ ecclesiasticæ monumenta. Constat iisdem monumentis nullam Gentem christianam unquam fuisse, quæ Episcoporum regimini subjecta non fuerit.

5°. In confesso est apud omnes, non solum Episcopos a tempore Apostolorum in Ecclesia semper extitisse, sed insuper eos generatim Ecclesiæ esse necessarios, adeo ut illa sine eis stare non possit. Nam *Spiritus Sanctus*, act. 20. *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Igitur Ecclesia quæ non rege-

retur

retur ab Episcopis, non esset Ecclesia Dei. Aliunde cum Ecclesia non possit esse sine Sacerdotibus, opertet necessario esse Episcopis, quibus solis competit Sacerdotes Populo christiano consecrare.

At sæculo proxime elapso controversum est inter Jesuitas quosdam et Stellisonum Anglum an esse queat quædam peculiaris Ecclesia ex omini parte perfecta, cui proprius non sit Episcopus.

PROPOSITIO.

Nulla est Ecclesia quæ proprio non debeat Episcopo subjici.

Prob. 1°. Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopo regere Ecclesiam Dei.* Ergo Episcopi necessarii sunt ad regimen singularum Ecclesiarum, non vero tantum ad ordinandos Ecclesiæ Ministros, ut contendebant Jesuitæ contra Stellisonum.

2°. S. Cyprianus Epist. 59. *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse Ecclesiam in Episcopo, et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.*

Vide insuper Clementem Romanum successorem Petre 1. ad Cor. 42. Ignatium Martyrem ad Epheseos n. 3. ad Smyrnæos n. 8. Hieronymum contra Luciferianos.

3°. Doctrina præfatorum Jesuitarum asserentium Ordinationem Præsbyterorum et Ministrorum solam esse oausam quæ infert necessitatem Episcopi, a Clero Gallicano et sacra Facultate Parisiensi proscripta est ut falsa, Ordinis hierarchici destructiva, erronea, verbo Dei contraria.

Hinc si quædam Ecclesia peculiaris propter ingruentem persecutionem vel mortem sui Antistitis, sine Episcopo sit, tunc imperfecta manet, estque gregi sine Pastore, exercitui sine Duce similis, ac quamprimum fieri potest ad usum aliarum Ecclesiarum revocari debet et ad regimen a Christo institutum

tutum, a quo nunquam sine urgente necessitate recedere licet.

§ 3. *De Ministro et Subjecto Episcopatus.*

De subjecto episcopatis, sicut et aliorum Ordinum, satis in prima parte cap. 7. diximus.

Quoad Ministrum, demonstravimus in eadem prima parte cap. 6. propos. 2. simplicem Sacerdotem nullatenus posse Ordines hierarchicos, nempe episcopatum, præsbyteratum et diaconatum conferri. Igitur episcopatus conferendi potestas ita solis Episcopis competit, ut nulla dispensatione ad simplices Præsbyteros transferri possit.

Hic autem controversia movetur de numero Episcoporum requisito ut aliquis Episcopus consecretur. Plures olim Episcopos alicujus Episcopi consecrationem fuisse adhibitos, constat apud omnes. Episcopus, inquit Auctor Constit. Apostol. a duobus vel tribus Episcopis ordinetur. Tres ad ejusmodi Ordinationem exigunt varia Concilia, Arelatense 1. Nicænum 1. Carthag. 2. Arelat. 2. et alia permulta. Hinc fatentur omnes illicitam esse Episcopi Ordinationem quæ ab uno Episcopo fieret, quia esset contra constantem ac perpetuam Ecclesiæ Legem. Imo Bellarminus, Vasquesius, Habertus et alii contendunt nullam esse prorsus illam Ordinationem, quamvis juxta eos ex dispensatione summi Pontificis valida ac rata fieri possit. Paludanus vero, Hallerius, Vitassius et alii innumeri contendunt unum Episcopum ad ejusmodi consecrationem sufficere. Quibuscum sit.

PROPOSITIO.

Valet Episcopi consecratio ab uno Episcopo facta.

Prob. Si unus Episcopus ad alium valide consecrandum non sufficeret, rata haberi non posset Ordinatio nisi a pluribus esset facta: atqui multorum Episcoporum

coporum Ordinationes pro ratis habitæ fuerunt, quæ a pluribus Episcopis non fuerunt factæ.

1°. Enim difficile fuit ut Apostoli, qui ubique verbum disseminabant, Episcopos ordinare consueverant, semper alios Episcopis ad sacram cæremoniam sibi adjungerent.

2°. In Historia ecclesiastica Clemens a Petro, Anianus a Marco consecrati fuisse perhibentur, nec a pluribus Episcopis ordinati dicuntur.

3°. Theodoretus lib. 5. Hist. cap. 23. refert Evagrium fuisse a solo Paulino Episcopum Antiochiæ consecratum.

4°. In Pontificali Romano et in antiquis Ritualibus permultis unus tantum Episcopus dicitur *consecrator*, alii vero vocantur *assistentes* vel *testes*. Unde vero denominatio tam diversa, si tres vel duo Episcopi in consecrationem necessario et æqualiter influunt?

5°. Nullibi in Scripturis legitur, nec a SS. Patribus unquam dictum est plurium Episcoporum ministerium in Ordinatione Episcopi necessitate Sacramenti esse requisitum. Atqui tamen si ministerium illud necessitate Sacramenti requireretur, id in Scripturis vel in Scriptis SS. Patrum perpetuo non sileretur.

6°. Ipsimet Adversarii sibi non consentiunt alii asserentes Ordinationem Episcopi non posse nisi a tribus valide fieri, alii existimantes duos Episcopos ad hancce Ordinationem sufficere.

7°. Demum iidem Theologi, ut sese extricent a variis quæ ipsis opponuntur argumentis, sine ratione ulla asserunt ex dispensatione S. Pontificis fieri posse ut valeat Episçopi consecratio ab uno Episcopo facta. Hæc dispensatio gratis ab ipsis conficta est, nullisque Scripturæ testimoniis aut veteribus monumentis fundatur.

Quæ solent objici SS. Patrum testimonia, facile explicantur, hocque unum significant Ordinationes Episcoporum a paucioribus quam a tribus

vel saltem duobus Episcopis factas, esse illicitas, nec esse ratas quoad honorem et usum ac jurisdictionem, non vero eas quoad substantiam et potestatem Ordinis esse invalidas.

§ 4. *De Præeminentia Episcoporum supra Præsbyteros.*

Duplex distinguitur potestas, Ordinis nimirum et Jurisdictionis. Potestas Ordinis est potestas conficiendi Sacramenta, v. g. Eucharistiam, Ordinem. Potestas Jurisdictionis est potestas regendi Ecclesiam, v. g. causas cognoscendi, jus dicendi, judicium ferendi in causis Fidei.

Quæstio est an utraque potestate Præsbyteris Episcopi sint superiores? Negavit quoad utramque partem Aerius labente sæculo 4. Eumdem errorem secuti sunt postea Albigenses, Valdenses, Calvinus et ipsius Asseclæ.

Catholici vero omnes constanter docuerunt Episcopos, quantum ad potestatem Ordinis, jure divino superiores esse. At non consentiunt an eodem jure Episcopi, quantum ad Jurisdictionis potestatem, Præsbyteris sint superiores. Id affirmant communiter Theologi: imo alii, ut Vasquesius, hoc Fidei esse contendunt; alii, ut Maldonatus, Fidei proximum asserunt; alii, ita certum ut sine semeritate negari non possit, licet nondum espresse ab Ecclesia definitum, ita Morinus. Contra Joannes de Turrecremata, Bellarminus et alii Ultramontenses fatentur quidem Episcopos constanter in Ecclesia fuisse Præsbyteris jurisdictione superiores: sed negant sic jure divino fuisse constitutum. Arbitrantur vero Episcopos hanc quam in Ecclesia exercent jurisdictionem, a Papa omnis auctoritatis ecclesiasticæ fonte, non a Christo immediate ac vi Ordinationis suæ mutuari.

PRO-

PROPOSITIO I.

Episcopi, quantum ad potestatem Ordinis, jure divino sunt Præsbyteris superiores.

Prob. 1°. Ii sunt potestate Ordinis jure divino simplicibus Præsbyteris superiores, qui jure divino habent potestatem conferendi Sacramenta quæ non possunt a simplicibus Præsbyteris conferri: atqui Episcopi jure divino habent potestatem conferendi Sacramenta quæ a simplicibus Præsbyteris conferri non possunt; nimirum soli Episcopi acceperunt potestatem conferendi Ordines, ipsisque solis, saltem ut Ministris ordinariis, competit confirmandi potestas, ut alibi demonstravimus. Ergo, &c.

2°. Aerius ideo inter Hæreticos annumeratus est, quod nullum inter Episcopos et Præsbyteros discrimen admitteret, unumque amborum istorum Ordinem, unum et eumdem honorem ac dignitatem admitteret, ut videre est apud Epiphanium hær. 75. Sic vero Hæreticis ipsis, sicut et Catholicis exosus est error ille, ut versus medium 5. sæculi nullum illius superfuerit vestigium.

3°. Eadem propositio constat ex Consil. Trid. sess. 23. can. 7. ubi sic legitur: *Si quis dixerit Episcopos non esse Præsbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum Præsbyteris communem, anathema sit.*

4°. Idem constabit fere ex omnibus argumentis in propositione sequenti referendis.

PROPOSITIO II.

Episcopi sunt jure divino simplicibus Præsbyteris dignitate ac jurisdictione superiores.

Probatio 1. *ex Scripturis.* 1°. Act. 20. v. 28 *Attendite vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus Sanctu posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

porro

Porro Ecclesia Dei non Laicos tantum et inferiores Clericos, sed ipsos etiam Præsbyteros includit.

2°. 1. Timoth. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Quid autem, ait S. Epiphanius, attinebat Episcopo vetare ne Præsbyterum objurgaret, nisi majorem ipso potestatem haberet.

3°. Ibid. v. 19. legitur: *Adversus Præsbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobos aut tribus testibus.* Porro qui alios coram tribunali suo citat, testes contra ipsum audit, in eum Judicis auctoritatem exercet, is eo jurisdictione superior est.

4°. S. Paulus ad Titum cap. 1. v. 5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas et constituas per Civitates Præsbyteros.* Ibi Titus Episcopus a S. Paulo ut summus Moderator exhibetur.

Nec dicas hanc supra Præsbyteros eminentiam ac superioritatem, non voluntante Dei, sed Apostoli arbitrio Episcopis dari. Quis enim putet Apostolos aliter Ecclesiam constituisse quam a Christo mandatum fuisset?

Probatio 2. *ex SS. Patribus* Quod *semper et ubique* in Ecclesia fuit observatum nec in ullo Concilio invenitur institutum, apostolica et divina auctoritate, juxta Augustinum et Vincentium Lirinensem, traditum, rectissime creditur: atqui talis est jurisdictionis episcopalis præeminentia.

S. Ignatius Epist. ad Magnesianos n. 3. *Vos decet non familiarius ac superbe uti ætate Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem illi impertiri reverentiam, quemadmodum novi facere sanctos Præsbyteros, non respicientes ad apparentem juvenilem ætatem.* Et paulo post n. 6. *Hortor vos in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, et Præsbyteris loco Senatus apostolici.*

Tertullianus in Lib. de Bap. c. 17. *Dandi Baptismi jus habet summus Sacerdos qui est Episcopus; dehinc Præsbyteri et Diaconi; non tamen sinè Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est*

S. Clemens

S. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum: *In Ecclesia gradus Episcoporum, Præsbyterorum et Diaconorum imitationes sunt, ut arbitror, angelicæ gloriæ.*

Cœlestinus I. Epist. ad Vener. Martyr. et cæteros Galliæ Episcopos: *Legimus super Magistrum non esse Discipulum ... sciant Præsbyteri se Episcopis esse subjectos.*

Concil. Chalcedonense can. 8. *Clerici qui præficiuntur Parochis.....sub Episcoporum qui in unaquaque Civitate sunt secundum SS. Patrum Traditiones potestate permaneant.*

Uno verbo, consentiunt in ea Doctrina astruenda unanimi ore SS. Patres, Cyprianus, Origenes, Hilarius, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Optatus Milevitanus, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius, Chrysostomus et alii innumeri, quorum testimonia sigillatim referre non permittit tempus.

Probatio 3. *ex consensu Ecclesiæ græcæ et latinæ*, ut videre est apud Martenium qui Libros rituales antiquissimos sive Græcorum sive Latinorum esse in eo concordes ostendit. Hanc insuper esse Græcorum doctrinam constat ex Libro Perpetuitatis Fidei, tom. 3. p. 570. 573. 577.

Probatio 4. *ex Synodo Tridentina*, quæ licet, ut quibusdam Theologis ultramontensibus parceret, expresse rem non definierit, sustuleritque ex Decreto, teste Palavicino, ista verba, *jure divino*, quæ addi postulabant Galli et Hispani, *huic tamen sententiæ sic aperte favet*, inquit Colletus post Auctorem de re sacramentaria, *ut contraria sine insigni temeritate et gravissima Fidei violatæ suspicione nequeat propugnari.* Nam sess. 23. can. 6. decernit *in Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris et Ministris* Et cap. 4. ubi Canon ille explicatur, *declarat sacra Synodos, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei-*

eosque Præsbyteris esse superiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Unde sic: Qui principaliter pertinent ad hierarchiam *divina ordinatione* institutam, Ministris sibi subordinatis sunt jure divino superiores: atqui ex P. P. Trident. Episcopi principaliter pertinent ad hierarchiam divina ordinatione institutam, seu præcipuum in ea gradum tenent. Ergo in mente Patrum Trid. simplicibus Præsbyterus sunt jure divino superiores.

Et vero Episcopi dicuntur a Patribus Tridentinis habere potestatem sibi propriam, nec communem Præsbyteris: dicuntur Præsbyteris superiores, quia successerunt Apostolis, quia positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. Atqui hoc ipsum est asserere Episcoporum supra Præsbyteros superioritatem jure divino fundare. Ergo, &c.

Probatio 5. ex argumento præscriptionis. Tenentur Calviniani in suo systemate supponere Ecclesiam, quæ ad medium usque sæculi secundi aut etiam diutius crediderat Præsbyteros omnes et Episcopos esse in omnibus æquales, mutata opinione, in contrariam de præeminentia Episcoporum descivisse. Atqui falsum est ejusmodi mutationem factam fuisse. Si enim ejusmodi mutatio fuisset attentata, quot inde contentiones obortæ essent, quot jurgia, quot reclamationes ex parte Præsbyterorum qui procul dubio pacifice sui Ordinis degradationem et apostolicæ institutionis subversionem non sustinuissent? Quot inde Conventicula, vel Concilia celebrata fuissent? Atqui de his nulla supersunt apud veteres Scriptores ecclesiasticos vestigia. Ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Act. 20. v. 17. *A Mileto mittens Ephesum*

sum vocavit natu majores, græce Præsbyteros, *qui cum venissent.....dixit eis : attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus possuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Unde sic argumentari licet: Ibi Præsbyteri paulo post dicuntur Episcopi. Ergo nulla inter eos distinctio tunc temporis exstabat.

R. dist. consequens. Nullum erat discrimen penes nomen, *esto :* penes dignitatem et officium, *neg.* Esto Præsbyteri et Episcopi nomen olim sub temporibus apostolicis commune fuisse simplicibus Præsbyteris, quod tamen non admittitur ab omnibus, ut antea vidimus. At non inde sequitur pares propterea in omnibus fuisse Episcopos et Præsbyteros. Nam hodie Episcopi sæpe dicuntur *Præpositi*, et Præsbyteri quoque dicuntur *Præpositi ;* quia revera præsunt Laicis et etiam Diaconis. Utrique insuper dicuntur Clerici; nec tamen nostris temporibus sunt æquales inter se et paris omnino dignitatis et potentiæ.

His addo idem olim Aerium objecisse, quod non impediit quominus explosus fuerit ut Hæreticus.

Obj. 2°. Ad Titum 1. v. 5. *Reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, ut constituas per Civitates Prwsbyteros, sicut disposui tibi.* Ibi nomine Præsbyterorum intelliguntur simplices Præsbyteri, siquidem in eadem Civitate non possunt esse plures Episcopi: atqui tamen illi Præsbyteri ratione dignitatis et officiorum ab Episcopis non differebant, cum statim Apostolos v. 7. ad eosdem Præsbyteros respiciens dotes eorum sub nomine Episcoporum describat his verbis: *Oportet enim Epicopum sine crimine esse, sicut Dei Dispensatorem..* Ergo, &c.

R. 1°. *n. maj.* Dici enim potest cum S. Chrysostomo et aliis multis, Episcopi et Præsbyteri nomina olim utrique Ordini fuisse communia, ibique per Præsbyteros a D. Paulo intelligi Episcopos. Nec impedet quod objicitur in una Civitate plures non fuisse Episcopos. Nam 1°. ut opinatur Hallerius, fieri potuit ut hisce temporibus plures essent in eadem Civitate Episcopi, quorum unus esset principalis

cipalis, alius vel alii Coadjutores; ne eodem deficiente seu per decessum, seu per martyrium tunc non rarum, Ecclesia diu Episcopo privaretur. 2°. Dato per Præsbyteros ibi a divo Paulo intelligi Episcopos, non inde sequitur plures in eadem Civitate admissos fuisse Episcopos; non enim Titum monet Apostolos ut plures in eadem Civitate constituat Episcopus, sed tantum ut constituat Episcopos per Civitates. Id autem recte intelligi potest eo sensu quod a Tito singuli Episcopi per singulas insulæ Cretæ Civitates sint constituendi, adeo ut tota insula uni viro non committeretur.

R. 2°. *n. min.* Nulla enim est ratio quæ cogat vocem *Episcopum* v. 7. de Præsbyteris versiculo 5. memoratis intelligere; quia Apostolos a virtutibus Episcopi ad virtutes Præsbyteri, licet non sint eadem in omnibus facile concludere potuit. *Cum enim*, inquit S. Chrysostomus Homil. 11. 1. Epist. ad Timoth. *inter Episcopum et Præsbyterum intersit fere nihil, quæ de Episcopi dixit Apostolos, ea etiam Præsbyteris congruunt*, ut pote quibus Ecclesia cura commissa est.

Obj. 3°. Act. 15. *Apostoli et Seniores* seu Præsbyteri pariter convenerunt ad terminandam de legalibus controversiam; paritor de illa controversia pronuntiarunt, *visum est Spiritui Sancto et nobis;* pariter Epistolam synodicam scripserunt, *Apostoli et Seniores fratres his qui sunt Antiochiæ.* Temporibus igitur apostolicis par erat Episcoporum et Præsbyterorum auctoritas.

R. per Seniores aut Præsbyteros ab aliis intelligi solos Episcopos. Alii volunt per Præsbyteros ibi significari simplices Sacerdotes. Alii vero contendunt vocem illam Episcopis et simplicibus Sacerdotibus tunc fuisse communem.

Prima sententia non videtur probabilis. Si tamen admittatur, solvitur difficultas. Inde enim sequitur solos Episcopos in Concilio Jerosolymitano fuisse Judices.

Si

Si secunda sententia valet, dicendum est quidem simplices Sacerdotes Concilio Jerosolymitano interfuisse, sed non ut habentes a Christo judicandi potestatem, verum duntaxat ut consulerent et approbarent, sicque omnia communi concilio tractarentur.

In tertia sententia diluitur difficultas, dicendo judicium Fidei quod in eo Concilio latum est, ad solos Episcopos esse referendum. Nimirum quæ nomini communi assignantur, ad eos solos restringi debent quibus competunt: sic cum legimus Clerum Gallicanum in suis Comitiis de propositionibus Fidei judicasse, nomen istud, *Clerus*, quod Episcopis et Præsbyteris commune est, tunc ad solos Episcopos restringitur, quia ipsorum solorum est de rebus Fidei judicare.

Præterea ad illud Concilium vocantur non tantum Præsbyteri, sed simul universi Fideles, v. 12. *Auditis Petri verbis, tacuit omnis multitudo*, v. 22. *placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia.* Non potest tamen inde concludi totam Fidelium multitudinem judicasse. Ergo nec inferri potest simplices Præsbyteros non secus ac Episcopos tanquam Judices in hac Fidei controversia sedisse. Imo contrarium potius ex sacro textu colligitur, cum referat S. Lucas solos Apostolos, Petrum nempe et Jacobum, in illo sanctissimo conventu esse locutos, et eorum sententiam omnibus placuisse.

Obj. 4°. Si, prioribus Ecclesiæ sæculis, Præsbyteris Episcopi fuissent officio et dignitate superiores, tres tunc distincti fuissent Clericorum ordines, nempe Episcoporum, Præsbyterorum, et Diaconorum. Atqui tamen hisce temporibus duo tantum Clericorum ordines distinguebantur.

S. Paulus ad Phip. 1. v. 1. *Omnibus Sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconis.*

1. ad Timoth. 3. v. 1. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse.....Diaconos similiter prudicos.*

Poly-

Polycarpus Epist. ad Philip. *Subjecti estote Præsbyteris et Diaconis, sicut et Deo et Christo.*

S. Justinus Apol. 1. *Postquam Præpositus gratias egit.....qui inter nos Diaconi vocantur.*

Ita Clemens Alex. Cyprianus, et alii, ex quibus post Blondellum concludunt Protestantes non cœpisse Episcopos simplicibus Præsbyteris anteponi, nisi versus medium secundi sæculi, nec consequenter ex jure divino habere quod illis præemineant.

R. 1. Blondellum non posse nobis hæc objicere. Nam ipsomet 4. sæculo Ecclesiæ et aliis ætatibus subsequentibus totus Clerus in duos ordines, nempe Præpositorum vel Episcoporum et Diaconorum, a quibusdam Patribus distribuebatur, videlicet ab Hilario in Psal. 134. Gelasio, Salviano. Atqui tamen hisce temporibus, fatente Blondello, Episcopi ubique Præsbyteris superiores habebantur. Ergo distributio totius Cleri in duos ordines non est ratio concludendi prioribus sæculis nullam Episcopos inter et Præsbyteros fuisse distinctionem.

R. 2°. *dist. maj.* Tres distincti fuissent ordines aliquando, *conc.* semper, *neg.* Nimirum veteres Scriptores ecclesiastici pro variis circumstantiis modo unicum ordinem constituunt, omnes Ecclesiæ Ministros includentem et a Plebe distinctum; modo Clerum in duos ordines distribuunt, nempe Episcoporum vel Præsbyterorum, et Diaconorum, nimirum relative ad Eucharistiam, et quidem aptissime, cum eorum alii illam conficiant, alii conficientibus serviant; modo, et quidem frequentius, tres ordines recensent Episcoporum, Præsbyterorum et Diaconorum seu Ministrorum, ut antea vidimus; modo Ministros illos explicatius enumerant, addendo Subdiaconos, Acolythos, &c. Itaque pro varia consideratione unus Clericorum ordo, vel duo, vel tres, vel quatuor, vel septem recenseri possunt, et reipsa resensiti sunt. Neque vero unum alteri repugnat, sed omnia hæc vera sunt. Igitur ex eo quod nonnulli duos tantum ordines enumerent,

inde

inde consequens non est eos non admisisse quosdam alios ordines.

Obj. 5°. Episcopus et Præsbyteri olim Ecclesiam simul regebant, ut videre est ut apud Cyprianum Epist. 5. 18.

R. dist. Simul regebant communi consilio, sed neque cum eadem auctoritate, neque necessario, *conc.* necessario et eadem auctoritate, *neg.* Responsio patet ex istis Cypriani verbis Epist. 5. *Cum a primordio episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro* (nempe Præsbyterorum et Diaconorum ad quos scribit) *et. sine consensu Plebis, mea privata sententia gerere.* Igitur 1°. Præsbyteros suos consulebat Cyprianus, quia id a primordio episcopatus sui statuerat, seu consulebat libere ad demonstrandam regiminis concordiam. 2°. Præsbyteri regebant Ecclesiam cum Episcopis, sed cum auctoritate diversa. Vocabantur enim ad istud regimen non tantum Præsbyteri, sed etiam Diaconi et Plebs ipsa. Quis autem dixerit Diaconis et Plebi ipsi eamdem quæ Episcopis in regenda Ecclesia fuisse auctoritatem?

Obj. 6°. Præsbyteri aliquando dicuntur Apostolorum successores, Episcoporum Collegæ. Ergo, &c.

R. ad 1. Dicuntur Apostolorum successores, quantum ad aliquam ministerii partem, *conc.* in omnibus, *neg.* Cum enim Præsbyteri totis viribus saluti Populorum incumbere debeant ad normam Apostolorum, eo sensu potuerunt dici Apostolorum successores, prout ipsi quandoque dicti sunt Diaconi.

R. ad 2. Factum est quidem aliquando ut Episcopi Præsbyteros modestiæ causa vocarent *Collegas, Cooperatores, Compræsbyteros.* Sed rarum non est superiores similia verba ad inferiores dirigere. Sic Dux exercitus Milites vocat *Commilitones.*

Inst. Ipsi Præsbyteri Romani in Historia Marcionis apud Epiphanium hær. 42. Episcopos vocant

cant *Collegas suos.* Atqui id minime ausi essent, nisi tunc fuissent auctoritate æquales. Ergo, &c.

R. dist. Vocant Collegas auctoritate majores, *con.* pares, *neg.* Episcopi Collegæ a Præsbyteris Romanis vocabantur, eo quod, Sede vacante, simul Ecclesiam regerent tanquam Præpositi et nullum actu supra se superiorem habentes, non eo sensu quod illi Præsbyteri parem ex institutione sua cum Episcopis auctoritatem haberent. Id adeo verum est, quod sic locuti sint Præsbyteri Romani iis temporibus quibus ex ipso Blondello Episcopi supra Præsbyteros evecti fuerant.

Obj. 7. Ignatius Epist. ad Magnesianos, Episcoporum præeminentiam appellat *novellam Ordinationem.* Ergo præeminentia illa jure divino minime fundatur.

R. 1°. inde consequi versus finem 1. sæculi quo vivebat Ignatius, jamjam Episcopos præeminentiam supra Præsbyteros obtinuisse. Unde evertitur Blondelli figmentum.

2°. Non de Episcopatu dicit Ignatius quod sit novella institutio, sed monet Magnesianos ne suum Episcopum contemnant, propter novellam illius Ordinationem, id est, licet sit juvenis Ordinatus.

Obj. 8°. Ambrosiaster in cap. 4. Epist. ad Ephes. sic habet: *Inter initia omnibus concessum est evangelizare, baptizare, Scripturas explanare... postea officia sunt ordinata, ut nullus de Clero auderet præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum.* Ergo distinctio officiorum nova est, nec jure divino fundatur.

R. 1°. Ambrosiastri, ut pote nominis ignoti et incertæ ætatis, exiguam admodum auctoritatem, fatente ipsomet Blondello, qui ipsum Schismaticum fuisse judicat.

2°. Sequeretur ex eo argumento Præsbyteros nequidem a Diaconis fuisse distinctos, imo nullum tunc exstitisse in Ecclesia Ordinem: quod in specie saltem rejicit Blondellus.

3°.

3°. Hic unum vult Ambrosiaster prioribus temporibus licitum fuisse Diaconis, de quibus solis loquitur, baptizare, evangelizare, Scripturas explanare, hæcque officia supremo Ordini non esse sic necessario affixa ut Diaconis competere non possint; cursu vero temporis factum esse ut hæc officia Episcopis reservarentur. Hæc omnia vera sunt. Sed non inde sequitur omnia prorsus officia fuisse communia, Præsbyterosque ac Diaconos ipsos omnia potuisse quæ poterant Episcopi, cum certum sit officia quædam altiora, v. g. ordinandi, confirmandi, Ecclesias primario regendi, ex divino jure solis Episcopis competere.

Inst. 1°. *Præsbyteri*, inquit idem Auctor, *in Ægypto consignant, cum præsens non est Episcopus.* Ergo ex hac parte saltem sunt Episcopis æquales.

R. dist. Præsbyteri in Ægypto consignabant, de consensu Ecclesiæ, ideoqne possunt esse extraordinarii Confirmationis Ministri, *conc.* aliter, *neg.* Episcopi vero ordinarii sunt Confirmationis Ministri.

Inst. 2°. Idem Ambrosiaster in cap. 3. Epist. 1. ad Timoth. ait: *Episcopi et Præsbyteri una est Ordinatio.* Ergo ex natura sua Præsbyteris Episcopi non sunt superiores.

R. dist. Episcopi et Præsbyteri una est Ordinatio in sacerdotium, *conc.* ex omni parte, *neg.* Sic enim statim subdit idem Auctor: *Uterque enim Sacerdos est, sed Episcopus primus est necessum est ut omnis Episcopus Præsbyter sit, non omnis Præsbyter Episcopus.*

Inst. 3°. *Hic Episcopus est*, inquit idem Scriptor, *qui inter Præsbyteros primus est.....Timotheus quia ante se alium non habeat, Episcopus erat.* Et in c. 4. Epist. ad Eph. *Primum Præsbyteri Episcopi vocabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet.* Et paulo infra: *Quia cæperunt sequentes Præsbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, ita ut non jam Ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum judicio constitutum.*

Ergo præsbyteratus antiquitas, non jus divinum, Præsbyteros constituebat Episcopos, seu præeminentiam illis conferebat.

R. n. conseq. Sensus auctoris est Præsbyterorum antiquissimum olim semper ex usu Ecclesia, defuncto Episcopo, successisse. At non asserit præsbyteralem illius institutionem ei cum sua antiquitate suffecisse, eumque episcopali consecratione non indiguisse.

Cæterum deceptus est Ambrosiaster, quicumque ille sit, immeritoque credidit Præsbyterorum antiquissimum Episcopo defuncto, priscis temporibus, successisse, ut multis exemplis ostendit Colletus tom. 2. de Ordine, p. 658.

Obj. 9°. S. Hieronymus in c. 1. Epist ad Titum sic habet: *Idem est ergo Præsbyter qui et Episcopus; et antequam Diaboli instinctu studia in Religione fierent, et diceretur in Populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi consilio Præsbyterorum Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto Orbe decretum est ut unus de Præsbyteris electus præficeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Putat aliquis non Scripturarum, sed nostram esse, sententiam, Episcopum et Præsbyterum unum esse, et aliud ætatis, aliud esse nomen officii. Relegat Apostoli ad Philippenses verba dicentis. Paulus et Timotheus...omnibus Sanctis in Christo qui sunt Philippis cum Episcopis et Diaconis. Philippi una est Urbs Macedoniæ: et certe in una Civitate plures ut nuncupantur, Episcopi esse non poterant; sed quia eosdem Episcopos illo tempore quos et Præsbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de Præsbyteris est locutus.....hæc propterea diximus ut ostenderemus apud Veteres eosdem fuisse Præsbyteros quos et Episcopos: paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delutam. Sicut ergo Præsbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi*

sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate debere Ecclesiam regere, imitántes Moysem, qui cum haberet solus præesse Populo Israel, septuaginta elegit cum quibus Populum judicaret.

Epist. 101. alias 85. ad Evagrium seu Evangelum, in qua temeritatem Diaconi insolentius adversus Præsbyteros sese efferentis reprimens, eadem repetit pro æqualitate Præsbyteri et Episcopi argumenta, quibus addit: *Quod autem postea unus electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est.....Nam et Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heracleam et Dionysium Episcopos, Præsbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent. Quid enim facit, excepta Ordinatione, Episcopus quod Præsbyter non faciat?* Unde sic conficitur argumentum. Ex S. Hieronymo, idem est Præsbyter qui et Episcopus. Ergo Episcopi non sunt jure divino Præsbyteris superiores.

R. varias esse Theologorum de his Hieronymi verbis expositiones.

Prima est Medinæ, qui lib. 1. de sacrorum hominum Origin. c. 5. existimat non solum Hieronymum, sed et Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Theophilactum et Œcumenium idem cùm Aerio sensisse. Verum temerarium est, viro catholico indignum, imo, juxta nonnullos, impium de tot tantisque Patribus adeo iniquum ferre judicium, ut satis constat ex dictus.

Secunda est Durandi, Dominici Soto, Vasquesii, Becani, Maldonati, a quibus absolute non recessit Bellarminus. qui arbitrantur Hieronymum quidem discrimen admisisse, sed jure duntaxat ecclesiastico fundatum, Id autem sine dispendio Fidei S. Doctori excidisse volunt, tum quia tunc liberum erat

sic

sic opinari, tum quia valde differebat ab Aerio qui non tantum jus divinum sed ecclesiasticum improbavit. Verum constabit ex mox dicendis Hieronymum existimasse præeminentiam Episcoporum supra Præsbyteros jure divino fundari.

Tertia est Cellotii, qui contendit præfata Hieronymi loca Hæreticorum ac fortassis Aerianorum fraudibus esse vitiata. Responsionem hanc admittit multisque nec contemptibilibus judicio nostro argumentis confirmat Colletus, tom. 2. de Ordine, edit, in 8°. p. 663.

Quarta est aliorum vulgo Theologorum qui opinantur Hieronymum a communi Catholicorum doctrina non esse alienum. Iis assentimur. Unde

R. 2. Ex S. Hieronymo, idem est Episcopus qui et Præsbyter, quoad nomen et accidentalem regiminis modum, *conc.* quoad dignitatem, Ordinis potestatem et jurisdictionis substantiam *neg.* Itaque hoc tantum vult S. Doctor. 1°. adeo sublimem esse Præsbyterorum gradum, ut olim Episcopi nomen gererent *Eosdem*, inquit Epist. ad Titum, *Episcopos illos tempore quos et Præsbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de Præsbyteris est locutus.* Et ibid. *Aliud est ætatis*, inquit, *aliud est officii nomen* Eadem habet Epist. 85. ad Evangelum. 2°. Vult tantam fuisse illorum auctoritatem ut cum Episcopis partirentur Ecclesiæ regimen. Verum, ut antea jam vidimus, per accidens tantum, ex libero Episcoporum consensu, non ex jure divino habebant Præsbyteri quod regimen cum Episcopis partirentur; nec ullibi ait S. Doctor Præsbyteros ratione dignitatis, ratione potestatis et Ordinis eosdem fuisse cum Episcopis; nec ait illos ex jure divino, non autem ex consensu Episcoporum habuisse quod Ecclesiam cum Episcopis regerent, eorumque et Episcoporum potestatem vel etiam jurisdictionem fuisse quoad substantiam, quoad radicem, quoad institutionem, uno verbo, in omnibus parem, æque independentem, æque essentialem, æque irrevocabilem. Nedum

hæc

hæc tradiderit S. Doctor, imo contrarium multis in locis asserit, ac perspicuis verbis docet id quod in præsenti controversia præcipuum est, et unde cætera profluunt, nempe Episcoporum supra Præsbyteros præeminentiam divino jure fundari.

Nam 1°. S. Hieronymus, cum in locis objectis ait: *Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod non faciat Præsbyter*, procul dubio respicit ad jus divinum. Si enim præsentem Ecclesiæ usum spectasset, certe multa alia erant Episcopis propria, ut Virginum et Ecclesiarum consecratio, &c. Ergo juxta S. Hieronymum, solis Episcopis ordinandi potestas jure divino competit.

2°. Asserit Hieronymus Episcopos in Ecclesia id esse quod Moyses in veteri Lege, et Præsbyteros id quod septuaginta viri a Moyse delecti. Atqui Moyses in Populi Israelitici regimine septuaginta viris a se delectis haud dubie jure divino superior fuit. Ergo, &c.

3°. Ex eod. Hieronymo citata Epist. ad Evangelum, *hoc sibi Episcopi Præsbyteri et Diaconi vindicant in Ecclesia, quod Aaron et filii ejus, atque Levitæ fuerunt in Templo.* Atqui sine dubio Aaron filiis suis seu Sacerdotibus dignitate, potestate ac jurisdictione superior fuit, quemadmodum Sacerdotes Levitis. Ergo, &c. Hujus postremi argumenti robur sensit Blondellus, qui p. 8. pollicetur se illam Hieronymianæ Epistolæ partem elucidaturum, interimque suum opus tribus sectionibus absolvit, desperans fore ut nodum dissolvere posset.

4°. Tandem Præsbyterorum in Ecclesiæ regimine potestas adimi poterat, ac de facto iis post aliquot annos, nimirum a schismate corinthiano, juxta Hieronymum, ablata est, non autem Episcopis: atqui tamen si Præsbyterorum et Episcoporum in Ecclesia regenda potestas esset prorsus eadem etiam quoad substantiam, si esset æque independens, æque irrevocabilis, æque jure divino fundata, non magis potuisset Præsbyteris quam Episcopis auferri. Ergo, &c.

Inst. 1°. Sic habet Hieronymus: *Antequam diceretur, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, id est, ante schisma Corinthianorum, *communi consilio Præsbyterorum Ecclesiæ gubernabantur.* Ergo Præsbyteris auctoritate non antecellebant Episcopi.

R. dist. Communi consilio, sed non eadem auctoritate intrinseca, *conc.* eadem auctoritate, *neg.* Nimirum dependens erat Præsbyterorum auctoritas, independens vero ac præcipua fuit Episcoporum potestas. Sic S. Cyprianus statuit nihil sine Præsbyterorum ac Diaconorum consilio agere, quamvis tunc, ex ipso Hieronymo, Episcopi essent Præsbyteris et Diaconis superiores.

Inst. 2°. Progressu temporis et in remedium schismatis *factum est ut unus de Præsbyteris electus cæteris superponeretur.* Ergo non nisi humano jure obtinuit Episcoporum distinctio ac præeminentia.

R. 1°. sequi ex eo argumento D. Hieronymum existimasse præeminentiam Episcoporun introductam fuisse occasione schismatis corinthiani, seu eo tempore quo dictum est, *ego sum Pauli, ego sum Cephæ*, ac proinde subverti systema Blondelli qui censet id 2. sæc. factum fuisse.

R. 2°. *dist.* In remediums chismatis factum est ut unus cæteris præponeretur, quantum ad modum accidentalem gubernandæ Ecclesiæ, *conc.* quoad characterem, quoad jus et primatum in regimine, *neg.* Nimirum inter prima Religionis exordia Episcopi tota sua auctoritate non utebantur, sed ad concordiam Præsbyteros in regimen Plebis advocabant. Ad ex eo quod Præsbyteros in regimen Ecclesiarum ut Conciliarios advocarent, non inde concludi potest perfectam æqualitatem inter utrumque ordinem fuisse, nec Præsbyteros fuisse in eo rigimine Episcopis subordinatos, sicut licet Moyses septuaginta viros ad regimen Populi Israelitici vocaverit, non inde sequitur viros illos fuisse Moysi auctoritate pares.

Inst. 3°. *Episcopi noverint,* pergit idem Hieronymus,

nymus, *se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate Præsbyteris esse majores et in commune debere Ecclesiam regere.* Ergo Episcopi non sunt jure divino Præsbyteris superiores.

R. dist. Episcopi magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate sunt Præsbyteris majores, quoad modum jurisdictionis et superioritatis exercendæ, *conc.* quoad potestatem Ordinis, quoad superioritatem et jurisdictionem in se, *neg.* Verum est quidem modum exercendæ jurisdictionis in communi cum Præsbyteris. vel seorsim ab illis, rem esse accidentalem, rem esse disciplinæ et consuetudinis, in eoque olim factam esse mutationem. Antea enim per Episcopos et Præsbyteros res fiebant, postea vero per solum Episcopum. At non ideo, juxta S. Hieronymum quamcumque suam auctoritatem, non ideo potestatem Ordinis, aut jurisdictionem in se et intrinsece consideratam soli consuetudini debebant Episcopi; cum e contrario docuerit S. Doctor, ex antea dictis, hæc Antistites a jure divino accepisse.

Inst. 4°. Idem Hieronymus Epist. ad Evangelum, ut confirmet Præsbyteros eosdem esse ac Episcopos, totamque inter eos distinctionem ex consuetudine natam esse, affert exemplum Ecclesiæ Alexandrinæ, in qua per ducentos et amplius annos, nimirum *a Marco Evangelista usque ad Heracleam, Præsbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorum faciat, aut Diaconi aliquem de se Archidiaconum vocent.* Unde sic conficitur argumentum. Qui per meram electionem, sine ulla nova consecratione fiebant Episcopi, quomodo qui eliguntur ab exercitu, fiunt Imperatores, quive eliguntur a Diaconis, fiunt Archidiaconi, jure divino nec distinguuntur a simplicibus Præsbyteris, nec sunt illis superiores. Atqui Præsbyteri, ex S. Hieronymo, per meram electionem sine ulla nova consecratione in Urbe Alexandrina fiebant Episcopi. Ergo, &c.

R. S.

R. S. Hieronymum ibi quidem de sola electione mentionem facere; sed non ideo Ordinationem excludit, quamvis illam sileat: nec profecto ignorabat id quod refert Eusebius in Cronico ad annum 63. videlicet post mortem Marci Evangelistæ Anianum Episcopum Alexandrinæ Ecclesiæ fuisse ordinatum.

Inst. 5°. Eutychius, qui sæc. 9. Sedem Alexandrinam occupavit, in Chronico seu Libro de Origine Ecclesiæ Alexandrinæ expresse asserit a *Marco Evangelista duodecim constitutos esse Præsbyteros qui, Patriarchatu vacante, unum ex se ipsis eligerent cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent et Patriarcham crearent.* Ergo, sola Præsbyterorum electio et benedictio ad creandum Episcopum sufficiebant. Ergo, &c.

R. nullam fidem esse concedendam Arabi illi Eutychio antiquæ disciplinæ prorsus nescio, quique mille insulsa et absurda ipsis infantibus ridenda scribit, et in iis quæ narrat ab Auctoribus longe majoris auctoritatis dissentit, uti in confesso est apud Eruditos. Vide ea quæ de illo Auctore diximus, ubi de Ministro Ordinis.

Inst. 6°. Verba Hieronymi in variis suis Operibus vel ex parte vel etiam ex integro transcribunt et eodem sensu, quo Blondellus ipse, interpretantur Auxilius, Alcuinus, Hervæus, Amalarius, Gratianus, Æneas Parisiensis. Ergo, &c.

R. illos omnes, si nihil de suo adjiciant, eodem modo ac ipsum Hieronymum esse exponendos. Si vero, quod non arbitramur, aliquid de suo adjiciant quod divino Episcoporum juri adversetur, deserendi sunt, cum tanta non sit illorum Scriptorum auctoritas ut SS. Patrum auctoritati præjudicare vel sanctæ Ecclesiæ fidem constituere possit.

Obj. 10°. Hieronymiaster seu Auctor Epistolæ ad Rusticum de septem gradibus Ecclesiæ, ait: *Prædicare Præsbyteros decet.....congruum confirmare.....atque omnia Dei Sacramenta complere..... at sola propter auctoritatem summo Sacerdoti Clericorum Ordinatio et Virginum consecratio reservata sit*

sit.....Præsbyteri, si necesse est, possunt chrisma conficere. Ergo non sunt Episcopi Præsbyteris superiores.

R. 1°. hujus ignoti Auctoris et recentioris ævi nullam esse auctoritatem. 2°. Scriptor ille, quamvis Episcopis insensus, agnoscit tamen Episcopum esse summum Sacerdotem, et Clericorum Ordinationem huic esse reservatam.

Obj. 11°. S. Augustinus Epist. 19. num. 82. ad Hieron. num. 38. sic habet: *Quanquam secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesia usus obtinuit, episcopatus præsbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est..* Atqui Ordo qui recenti tantum Ecclesiæ usu præsbyterio non est jure divino superior. Ergo, &c.

R. S. Doctorem hoc unum tantum velle, Episcopi vocabulum, quod antea sive apud Christianos sive etiam apud Judæos laboris et officii nomen erat, ex usu Ecclesiæ evasisse honoris titulum. At non voluit significare ipsam dignitatem episcopalem ex usu Ecclesiæ præsbyteratu factam est majorem. Unde usus quem ibi commemorat, in vocabula, non in rem ipsam cadit. Is ergo, inquit Vitassius, Augustini sensus: quamvis, juxta morem Ecclesiæ nunc receptum, episcopatus nomine intelligatur dignitas major ea quæ jam vocatur præsbyteratus, attamen Augustinus qui dicitur Episcopus, minor est in multis rebus Hieronymo qui Præsbyter nominatur, minor pietate, eruditione, non vero charactere, Ordinatione, et jurisdictione. Responsio probatur ex eo quod Augustinus errorem Aërii ut putidam hæresim rejecerit.

Obj. 12°. Idem S. Doctor in Lib. Quæstionum in vetus et novum Testamentum, sic habet: *Quid est Episcopus, nisi primus Præsbyter.....per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Præsbyter .....multum distare inter Diaconum et Sacerdotem approbat Liber Actuum Apostolorum. Cum enim ex Samaria credidissent Philippo Diacono, miserunt ad Petrum et Joannem ut venirent et his qui crederent Spiritum*

Spiritum Sanctum per manus impositionem darent. Ergo Episcopi et Præsbyteri iidem olim erant.

R. 1°. Librum non esse S. Augustini nec illius esse auctoritatis, cum variis scateat erroribus, ut observarunt Patres Benedictini in Admonitione ei præfixa.

2°. Dicitur quidem in eo Libro Episcopum nihil esse nisi primum Præsbyterum, sed non dicitur ipsum aliis Præsbyteris esse prorsus equalem. Est quidem primus Præsbyter, sed nova Ordinatione aliis præpositus et jure divino illis præeminens.

3°. Præsbyter consignat seu confirmat, sed ex concessione Ecclesiæ tantum, non autem jure ordinario, ut Episcopus.

Cæterum male probat idem Auctor Præsbyteris confirmandi potestatem inesse ex eo quod Petrus et Joannes Samaritanos consignaverint, nisi forte Apostolos pro meris Sacerdotibus habuerit, nec majorem eis quam simplicibus Præsbyteris potestatem concesserit: quod a nemine unquam dictum est.

Obj. 13°. Beda lib. 3. Hist. eccles. c. 4. loquens de Insula Britannica Iensi seu Ionensi, ubi sæc. 6. cœnobium a Columba Monacho et Præsbytero ex tructum est, sic habet: *Habere solebat ipsa Insula Rectorem semper Abbatem et Præsbyterum, cujus juri et omnis Provincia et ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi illius Doctoris, qui non Episcopus, sed Præsbyter et Monachus.* Et c. 5. *Ab hac ergo Insula, ab horum collegio Monachorum, ad Anglorum Provinciam instituendam in Christo missus est Aidanus, accepto gradu episcopatus, quo tempore eidem Monasterio Segenius Abbas et Præsbyter præfuit.* Igitur Episcopi non sunt jure divino Præsbyteris superiores, cum ipsis in certis casibus subjecti esse possint.

R. 1°. hoc, juxta Bedam, fuisse inusitatum. 2°. Hoc nimis probare. Inde enim sequeretur Præsbyteros aliquando fuisse Episcopis superiores. 3°. Id ipsius Blondelli systema evertere, cum fateatur tunc temporis

temporis Episcopos a Præsbyteris fuisse distinctos. 4°. Illum Bedæ locum eo sensu intelligendum esse quod Episcopi e gremio Monachorum assumpti, prout olim in multis Monasteriis mos viguit, Abbati subjicerentur quantum ad monastica instituta et certum suæ potestatis exercendæ modum, non vero quantum ad ordinem et potestatem. Cur enim Episcopos creari novi gradus acceptione curabat Columba, nisi ut ii facerent quæ ipse simplex Præsbyter agere non poterat?

Obj. 14°. Concilium Hispalense an. 619. cap. 7. sic habet: *Quamvis cum Episcopis plurima Præsbyteris ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Præsbyterorum et Diaconorum et Virginum consecratio.* Ergo per solas Ecclesiæ Leges prohibita est Præsbyteris Ordinatio.

R. Concilium istud per novellas regulas intelligere regulas in nova Christi Lege sancitas, non vero Leges ecclesiasticas a quibus ibi e contrario distinguuntur, ut patet ex ipso textu. Hinc in alia Canonis ejusdem versione sic legitur: *Quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam novellis regulis sibi prohibita noverint.*

Inst. Eodem modo loquitur Concilium Hispalense de Ordinationibus sacris ac de Virginum consecratione: atqui, fatentibus omnibus, Virginum consecratio jure ecclesiastico tantum pertinet ad Episcopos; Ergo, &c.

R. dist. Loquitur eodem modo, id est, una textus serie, *conc.* eodem sensu, *neg.* Nimirum cum Patres Hispalenses dixissent quædam novellis, quædam ecclesiasticis regulis esse Sacerdotibus prohibita, congruum erat ut exempla utriusque generis referrent. Hinc recensent Ordinationes in exemplum eorum quæ novi Testamenti regulis prohibita sunt, consecrationes autem Virginum in exemplum eorum quæ Legibus ecclesiasticis vetita sunt.

Quædam alia objici solent, sed quæ diluimus, ubi de sacrorum Ordinum Ministro diximus, vel in

Tractatu

Tractatu de Ecclesia, ubi de jurisdictione Episcoporum ac de speciali privilegio quod ipsis ad judicandas Fidei controversias a Christo concessum, Præsbyteris vero cæterisque omnibus denegatum est.

§. 5. *De Prærogativis, Officiis, Gradibus et Electione Episcoporum.*

Quæres 1°. quænam sit Episcoporum in rebus ecclesiasticis auctoritas et jurisdictio?

R. 1°. illos, et quidem solos, jure divino esse solos controversiarum Judices. 2°. Fieri non posse ut pars eorum maxima in iis quæ ad Fidem attinent, errorem doceat. 2°. Eos suam in rebus ecclesiasticis auctoritatem ac jurisdictionem nec a Principibus sæcularibus, nec a consensu Præsbyterorum, nec a summo Pontifice mutuari, sed ab ipso Christo immediate accepisse. 4°. Illos immediatam tum in Plebem sibi subditam, tum in Clerum, jurisdictionem habere. Hæc in Tractatu de Ecclesia a Theologis demonstrari solent, et olim a nobis demonstrata fuere.

Quæres 2°. quænam sint functiones seu officia Episcoporum?

R. septem recensere Librum pontificalem his verbis: *Episcopum oportet judicare interpretari* scilicet verbum Dei, *consecrare* scilicet Altaria, Calices, Templa, Virgines; *ordinare, offerre, baptizare et confirmare.*

Concilium Trid. sess. 23. cap. 1. de Reform. sic de officiis Episcoporum loquitur: *Cum divino præcepto mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro iis sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere...quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi non invigilant,*

vigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Sgnodus eos hortatur et admonet ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et gravitate pascant et regant.....declaratque eos ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam obligari. Et sess. 24. cap. 3. *Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium generalem visitent...visitationum autem istarum omnium præcipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, prava corrigere, &c.*

Quæres 3°· quotuplex sic Episcoporum gradus?

R. quintuplicem distingui. Primus Romani Pontificis qui jure divino in tota Ecclesia primatum tum honoris tum jurisdictionis obtinet. Secundus Patriarcharum, qui Primatibus ac Metropolitis sub ditione sua inclusis præsunt. Quinque olim in Ecclesia fuerunt, Romanus Pontifex pro toto Occidente, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Jerosolymitanus pro toto Oriente. Tertius Primatum seu Exarcharum, qui pluribus Provincis præficiuntur. Quartus Metropolitarum seu Archiepiscoporum, qui unius Provinciæ curam gerunt. Quintus tandem simplicium Episcoporum, qui unam Diœcesim eique attributas Parœcias administrat.

Quæres 4°· cujus sit Episcopos eligere?

R. 1°· Olim Populum in eligendis Episcopis simul cum Clero partem habuisse, ut videre est cap. 6. Act. Apostol. apud Cyprianum Epist. 67. alias 84. ad Anastasium.

2°· Nec tamen ubique, nec semper viguit disciplina illa, ut videre est apud Hallerium. Concilium Laodicenum can. 13. Laicis electiones ademit.

3°· Sequentibus ætatibus Magistratus et Principes, tanquam Populi Capita, sibi multam in sacris electionibus partem vindicarunt.

4°· Concilium Lateranense an. 1215. Plebem et comprovinciales Episcopos spoliavit jure electionum, quas totas Capitulis concessit.

5°. Pragmatica Sanctio, quam ex variis Concilii Basileensis Decretis adornatum in Bituricensibus Comitiis promulgavit Carolus VII. Galliarum Rex, permisit iisdem Capitulis ut Episcopum, Monasteriis ut Abbatem eligerint.

6°. Pragmaticam hanc abrogarunt Leo X. Papa et Franciscus I. inter quos in percelebri Concordato Bononiæ an. 1516. edito conventum est ut electiones tollerentur et ad Regem in Galliis devolverentur. At etiamnum in Germania vigent ex antiquis Concordatis.

7°. Ex his facile colligitur contra Protestantes suffragium Populi nec ad validam nec ad legitimam Ministrorum institutionem esse necessarium. 1°. Quia si fuisset necessarium, tanta non fuisset ea de re varietas, nec Concilium generale Lateranense an. 1215. Plebem electionem jure spoliasset. 2°. Quia Apostoli sine ullo Plebis suffragio Episcopos instituebant, eosque mittebant ad varios Populos. 3°. Quia valide instituitur qui vocatur a Deo tanquam Aaron Heb. 5. Atqui Aaron a Moyse sine ullo multitudinis suffragio electus est. 4°. S. Cyprianus Epist. 33. in ordinandis Clericis, inquit, solemus vos consulere, fratres charissimi; sed expectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia. 5. Nedum popularis electio sit necessaria, imo maxima ex ea consequuntur incommoda, gravesque ac turbulentæ non infrequenter ex ea natæ sunt contentiones, uti constat ex Historiis ecclesiasticis.

Merito igitur sic definit Concilium Trident. sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit.....Ordines ab Episcopis collatos sine Populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione irritos esse.....anathema sit.*

Dices. S. Cyprianus Epist. 67. et alibi docet jus populare electionum *de traditione divina, de divina auctoritate descendere.* Ergo, &c.

R. dist. de auctoritate divina descendere, id est, consentaneum esse exemplis quæ in Scriptura sacra leguntur, *conc.* id est, a Deo ipso præcipi tanquam

tanquam necessarium ad sacrorum Ordinum validitatem vel legitimitatem, *neg.* Semel quidem aut iterum in instituendis Ecclesiæ Ministris Plebem audiverunt Apostoli. At cum aliis in circumstantiis aliter egerint, id argumento, est jure divino nullatenus necessariam esse Populorum electionem.

§ 6. *De Chorepiscopatu.*

Chorepiscopi nomen ex duabus vocibus græcis coalescit, Episcopi scilicet seu *Inspectoris*, et *Choros*, quod sonat Pagum, Rus, Oppidum. Unde Chorepiscopus, juxta vim nominis, est Minister qui in Villis, Pagis, Oppidulis, Episcopi vices gerit, ibique muneribus quibusdam episcopalibus fungitur.

Quæres 1°. quandonam in Ecclesia cœperint Chorepiscopi?

R. Juxta Protestantes plerosque, et e nostris nonnullos, in Ecclesia ab initio exstitere Chorepiscopi. At longe verisimilius videtur in quod vulgo statuunt inter Catholicos Eruditi, nimirum Chorepiscopos, labente 3. sæculo, a quibusdam provincialibus Conciliis fuisse institutos, cum eorum nec mentio fiat in Scripturis nec in Epistolis S. Ignatii, nec in Constitutionibus apostolicis, nec in Operibus S. Cypriani, nec in ullis monumentis ante finem 3. sæculi et initium 4. quo sæpissime memorantur. In orientali Ecclesia, 4. Ecclesiæ sæculo, jam frequentissimi erant; in occidentali autem 5. sæculo primum recensentur.

Quæres 2. quænam fuerint Chorepiscoporum officia?

R. multiplicia fuisse. 1°. Creditas sibi Ruris Ecclesias admistrabant. 2°. Easdem visitabant. 3°. Singularem pauperum curam gerebant. 4°. Peregrinantibus pacificas litteras dabant. 5°. Subdiaconatum et alios inferiores Ordines conferebant. An vero conferebant illos Qrdines jure ordinario, non consulto prius Civitatis Episcopo, controvertitur

tur inter Eruditos. Probabilius videtur diversis temporibus diversam fuisse ea de re disciplinam, diversaque consuetudines. 6°. Chorepiscopi, sed illi tantum qui episcopali Ordinatione fuerant insigniti, de consensu tamen Episcopi Civitatis, majores etiam Ordines ac Sacramentum Confirmationis administrabant.

Quæres 3°. an plures in unaquaque Diœcesi exstiterint Chorepiscopi?

R. in Galliis vulgo ac in multis aliis Regionibus pro unaquaque Diœcesi unum; aliis vero in locis plures fuisse Chorepiscopos, qui Ruris Ecclesiarum curam sustinerent. Quamvis autem Chorepiscopi vulgo multas regerent Ecclesias, sic tamen aliquando limitabatur quorumdam Chorepiscoporum potestas ut intra unius Ecclesiæ fines sese contineret. Hæc in confesso sunt apud omnes.

Quæres 4°. an Chorepiscopi forent Episcopi, an vero duntaxat Præsbyteri?

R. inter eos qui chorepiscopatum gerebant, nonnullos fuisse Episcopos, qui e Sedibus suis ejecti propter persecutiones, vel ab hæresi ad Fidem catholicam redeuntes in Chorepiscopos assumebantur ab aliis Episcopis. Id in dubium nullus revocat. Sed quæstio inter Theologos movetur an omnes Chorepiscopi tales fuerint, an ii ex officii sui natura ac vi Ordinationis suæ essent Episcopi vel solum Præsbyteri.

Nos arbitramur cum multitudine Theologorum inter quos Petrus de Marca, Petavius, Hallerius, Thomassinus, &c. multos e Chorepiscopis simplices fuisse Præsbyteros, adeoque Chrorepiscopos ex natura sui officii et per se non fuisse Episcopos, sed simplices Præsbyteros aliquali Episcoporum jurisdictione decoratos.

1°. Enim Synodus Neocesariensis can. 13. sic habet: *Chorepiscopi ad exemplum et formam septuaginta videntur esse: ut Comministri autem propter studium quod erga pauperes exhibent honorentur.* Ibi

Chorepiscopi

Chorepiscopi dicuntur fuisse ad formam septuaginta instituti. At Episcopi Apostolorum sunt successores, non septuaginta Discipulorum. Ergo Chorepiscopi ex sua institutione non erant Episcopi.

2°. Chorepiscopi pro Pagis duntaxat et Oppidis constituebantur. At Concilia Laodicenum can. 57. Sardicensi can. 6. Toletanum 12. can. 4. vetant ne Episcopi in Pagis constituantur. Ergo, &c. Hoc argumento utebantur, 8. et 9. sæc. Præsules Gallicani, ut probarent Chorepiscopos non esse Episcopos.

3°. Concilium Hispalense 2. can. 7. ait expresse *Chorepiscopos vel Præsbyteros esse unum, juxta Canones.* Ergo Chorepiscopi non erant ex officio suo Episcopi.

4°. Damasus Epist. 5. Leo. I. Epist. 88. Joan. III. Epist. unica, Expresse pronuntiant quod *Chorepiscopi iidem sint qui et Præsbyteri.* Unde sic: Si genuinæ sint illa Epistolæ quas Isidorus Mercator iis summis Pontificibus adscripsit, sequitur Chorepiscopos fuisse simplices Præsbyteros, non veri nominis Episcopos. Si suppositæ, sint, et S. sæc. sub nominibus illorum Pontificumeditæ, ut vix dubitari potest, igitur saltem isto sæculo vulgo credebatur Chorepiscopos sola præsbyterali dignitate fuisse insignitos. Nec enim credibile est Auctorem qui eas finxit, aliter de Chorepiscopis docuisse quam quod communis ferebat opinio.

5°. Capitularia Caroli Magni, quorum magna semper fuit auctoritas, expresse docent functiones episcopales Chorepiscopis non competere, *eosque non esse Episcopos, sed Episcopi Vicarios.*

Idem sæc 9. docent Concilia Pars. 6. Aquisgranense 2. Meldense, Metense. Unde manifestum est hanc fuisse Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam.

Dices 1°. Synodus Ancyrana can. 13. sic habet: *Fas non est Chorepiscopos ordinare Præsbyteros vel Diaconos, sed neque Urbis Præsbyteros, nisi cum Litteris ab Episcopo permissum fuerit, in aliena Parochia.* At nisi fuissent Episcopi, nequidem

permittente Episcopo, potuissent Præsbyteros et Diaconos ordinare. Ergo, &c.

R. 1°. perplures esse hujus Canonis lectiones, Septem aut octo a variis Auctoribus recensentur. Quid porro ex tam variis lectionibus erui potest?

R. 2°. lectionem in objectione laudatam procul esse rejiciendam, quoniam ex ea sequeretur Præsbyteros Urbis, saltem de consensus Episcopi, potuisse præsbyteratum et diaconatum conferre: quod a vero alienissimum antea demonstravimus.

R. 3. cæteris lectionibus eam videri anteponendam quæ habetur in antiquissimo Ecclesiæ Romanæ codice, quem Eruditi. 4. aut 5. sæc. editum putant, ubi sic legitur: *Vicariis Episcoporum quos Græci Chorepiscopos vocant, non licent Præsbyteros vel Diaconos ordinare: sed nec Præsbyteris Civitatis sine Episcopi præcepto aliquid amplius imperare vel sine auctoritate Litterarum ejus in unaquaque Provincia aliquid agere.*

Dices 2°. Synodus Antiochena can. 10. permittit Chorepiscopos et Diaconos ordinare, si consentiat Civitatis Episcopus. Ergo, &c.

R. dist. Id permittit Chorepiscopis qui ordinatione episcopali consecrati, fuerant, *conc.* omnibus Chorepiscopis, *neg.*

Dices 3. In Synodo Ephesina act 6. Episcopus quidam nomine Jacobus vocatur Chorepiscopus. Ergo, &c.

R. Jacobum illum fuisse merum Præsbyterum, et Amanuensium vitio nomen Episcopi irrepsisse pro nomine Chorepiscopi. Præterea ad summum potest inde concludi quosdam Chorepiscopos fuisse simul Episcopos, quod non diffitemur.

Quædam alia objiciuntur, sed quæ sine ullo negotio diluuntur, fereque cuncta dissolvuntur observatione jam præmissa, nimirum Chorepiscopos alios fuisse episcopali charactere donatos, alios vero simplices Sacerdotes. Sic enim explicantur nonnulla veterum Scriptorum loca, quæ

videntur manifeste indicare quosdam Chorepiscopos episcopalia munia obiisse.

Quæres 5°· quandonam in Ecclesia desierint Chorepiscopi?

R. in occidente eos sæc. 8. desiisse, in Oriente et Germania sæculo 12. At etiamnum obtinent in Ecclesia Alexandrina, apud Syros et quosdam alios Orientales, in Ecclesia Trevirensi et Coloniensi. Sed iis in locis non sunt ejusdem omnino conditionis ac veteres Chorepiscopi, quamvis sint ejusdem nominis.

Quæres 6°· quænam causæ fuerint Chorepiscopos abrogandi?

R. primam causam fuisse eorum audaciam, eo quod nempe jurisdictionem Episcoporum, renitentibus plerumque Episcopis, sibi arrogarent, ac altaria contra altaria erigerent.

Secunda causa fuit negligentia ac desidia multorum Episcoporum qui vitam in otio transigendo quidquid officii erat in Chorepiscopos, quos Episcopos ordinabant, rejiciebant. Unde multum dedecus in episcopatum redundabat.

Quæres 7°· quinam in eorum locum substituti sint?

R. in Oriente Exarchas, in Occidente Archidiaconos saltem in plurimis. Hinc in quibusdam Ecclesiis Archidiaconus Chorepiscopi nomen retinuit, ut notat Vitassius tom. 2. edit. in12. p. 267.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO.

UT gravissimas, ipsoque divo Augustino judice, intricatissimas quæstiones de Conjugiis cum methodo pertractemus, dicemus 1°: de nomine, definitione et essentia Matrimonii. 2°. De illius institutione, sive prout est officium naturæ, sive prout est Sacramentum. 3°. De solemnitatibus quæ Matrimonium præcedere solent. 4°. De conditiobus ad Matrimonium contrahendum requisitis, ubi de contrahentium habilitate, de eorumdem nec non parentum consensu, testiumque ac Parochi præsentia. 5°. De Ministro. 6°. De materia et forma. 7°. De proprietatibus, videlicet unitate et indissolubilitate. 8°. De effectibus. 9°. De obligationibus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, definitione et essentia Matrimonii.

1°. MATRIMONII nomen a matre deducitur, eo quod prolis educatio, quæ primarius est Matrimonii finis, præcipuum matris munium sit. 2°. Matrimonium dicitur *Conjugium* a communi jugo, cui vir et fœmina subjiciuntur. 3°. Dicitur *Nuptiæ Connubium*, a verbo *nubere*, id est, velare, quia sponsæ olim velabant se, cum viris tradebantur.

Matrimonium triplici modo considerari potest, vel ut est contractus naturalis, seu in officium naturæ, vel ut est contractus civilis, vel ut Sacramentum novæ Legis. Ut contractus naturalis seu officium naturæ, ordinatur ad propagationem humanæ

manæ speciei ejusque conservationem. Ut contractus civilis seu politicus, Reipublicæ bono ac perennitati consulit; sic consideratus perficitur politicis Legibus. Ut Sacramentum novæ Legis, conjugibus Gratiam conciliat, pia prole Ecclesiam ditat, ardorem concupiscentiæ temperat.

Matrimonium prout est contractus naturalis, aut etiam civilis qui totam contractus naturalis rationem continere debet, vulgo definitur *maritalis conjunctio viri et mulieris inter legitimas personas individuam vitæ societatem retinens*. Dicitur 1°. *conjunctio*, id est vinculum mutuum a consensu viri et mulieris resultans. Dicitur 2°. *maratilis* ut distinguatur a quavis alia unionis specie, v. g. fraternæ. Dicitur 3°. viri et mulieris, ut designetur Matrimonii subjectum et quidem numero singulari, ut excludatur polygamia. 4°. Dicitur *inter personas legitimas*, id est quæ secundum Leges idoneæ sint ad contrahendum, nec ullo dirimente impedimento ligatæ. Dicitur 5°. *retinens vitæ societatem individuam*. id est, perpetuam quæ non possit partium consensu dissolvi sicut alii contractus.

Matrimonium, prout est Sacramentum, definiri potest Sacramentum novæ Legis, Gratiam cenferens ad sanctificandam legitimam viri et uxoris societatem, et prolem pie et sancte in Fide christiana educandam.

Matrimonium triplex distinguitur. Aliud legitimum, quod Jure Gentium et Legum civilium Decretis firmatur. Aliud ratum, quod secundum Ecclesiæ Decreta inter baptizatos contrahitur, unde majorem acquirit firmitatem. Aliud consummatum, quod per usum impletur, quodque, si a baptizatis contractum sit, nunquam dissolvi potest.

Julianus Pelagianus, teste S. Augustino lib. 5. contra eumdem Julianum, cap. 16. Matrimonii essentiam in ipso usu reposuit, ratus nullum esse sine ipso conjugium. Ita etiam Viclefus, ad quem accedere videtur Gratianus 27. quæst. 2. cap. *Quod autem*.

At

At longe aliter sentiunt Catholici. Quamvis enim eorum nonnulli arbitrentur usum esse quasi partem Matrimonii integrantem, ut satisfactio respectu Pœnitentiæ, nemo tamen inter illos existimat illum usum esse Matrimonio essentialem, sed omnes admittunt verum Matrimonium sine usu existere posse.

Ex iis vero alii Matrimonii essentiam reponunt in mutuo consensu quo partes in perpetuam vitæ societatem se conjungunt, alii autem in vinculo seu nexu qui ex partium consensu prius dato resultat.

PROPOSITIO I.

Usus non est de essentia Matrimonii.

Prob. 1. *exemplo Beatæ Mariæ.* Certissimum est inter Beatam Mariam Virginem et S. Josephum fuisse verum matrimonium. Etenim Matth. 16. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ.* Et eod. cap. v. 20. et seqq. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timeri accipere Mariam conjugem tuam.....Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus et accepit conjugem suam.*

Atqui Dogma est Fidei Beatam Mariam nunquam virum cognovisse, virginemque permansisse, tum ante partum, tum in partu, tum post partum, uti demonstratur in Tractatu de Incarnatione Verbi divini. Ergo consummatio matrimonii de illius essentia non est.

Prob. 2. *ex SS. Patribus.* S. Chrysostomus, Hom. 32. in Matth. *Matrimonium non facit usus, sed voluntas.*

S. Ambrosius Lib. de Institutione Virginis c. 6. *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.*

S. August. Lib. de Bono conjug. c. 3. ait matrimonium sibi videri bonum, *non propter solam filiorum*

filiorum procreationem, sed propter etiam ipsam in diverso sexu societatem; alioquin non jam diceretur conjugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minime genuissent.

Prob. 3°. Usus rei de qua contrahiter, contractus essentiam non constituit, sed illam consequitur: sic verus fit ac perfectus emptionis contractus, simul ut partium consensu translatum est rei venditæ dominium, licet emptor ea uti nolit. Ergo pari ratione solo partium consensu perficitur matrimonii contractus, etsi conjuges eo non utantur.

Prob. 4°. *ex consensu omnium Theologorum.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Non valet probatio ex eo desumptà quod verum fuerit inter Beatam Mariam et Joseph matrimonium. Constat enim eos non fuisse vere conjugatos; 1°. quia Matth. 2. Beata Virgo dicitur tantum *desponsata Joseph;* 2°. quia Beata Maria perpetuæ virginitatis votum emiserat, nec proinde matrimonium contrahere poterat: 3°. quia ibid Joseph, *cum nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam;* si enim verum fuisset inter eos conjugium, non licuisset marito eam dimittere, cum Deut. 24. vir, non nisi dato publice libello repudii, uxorem occulte dimittere posset. Ergo, &c.

R. Mariam et Joseph veros fuisse conjuges, uti constat ex dictis.

Ad 1. Maria desponsata dicitur, non quod esset tantum promissa, sed quod vere conjugata foret, sicut inter nos conjugati etiamnum dicuntur sponsus et sponsa. Unde Luc. 2. Maria dicitur simul desponsata et uxor: *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.*

Ad 2. Cum B. Virgo per divinam revelationem didicisset Joseph nunquam virginitatem esse violaturum, nec potestate per conjugium acquisita usurum, consentire potuit ut jus istud haberet per Matrimonium, licet prius virginitatis perpetuæ votum

votum emisisset. Ita Hugo Victorinus, Bonaventura, Scotus, Estius, Auctor Tractatus de re sacramentaria.

Nec dicas votum castitatis perpetuæ fine nuptiarum, qui est prolis susceptio, repugnare.

Nam repugnat tantum exercitio juris mutui in corpora concessi, nimirum conjunctioni carnali. At matrimonium potest esse sine illa conjunctione carnali, cum negatio actus conjugalis ex mutuo partium consensu licita sit. Verum perpetuæ virginitatis votum non repugnat mutuo juri in corpora concesso. Quinimo potuit Virgo Beatissima, etiam emisso virginitatis voto, Josepho dare jus in corpus suum ab omni usu et actu conjugali sejunctum; stare potuit illius votum cum istius juris concessione, cum soli carnis conjunctioni repugnet. Verum igitur ac integrum fuit Mariæ conjugium, tum propter unionem animarum tum propter jus in mutua corpora datum, quod quidem moraliter et sine peccato ad actum reduci non poterat, sed quod tamen physice et naturaliter exerceri poterat, adeo ut conjuges si eo usi fuissent, nec adulteri, nec eorum filii adulterini fuissent.

Inst. Multi Patres docuerunt B. Mariam fuisse tantum Josephi sponsam, non proprie conjugem, vel uxorem. Ita Epiph. hæres. 78. c. 8. Hieron. in c. 1. Matthæi, Chrysost. Hom. 4. in Matth. Ergo, &c.

R. dist. Docuerunt B. Mariam non fuisse proprie Josephi conjugem, eo sensu quod matrimonium non consummaverit: quodam enim strictiori, sensu uxores et nuptæ solum dicuntur quæ virum expertæ sunt, *conc.* eo sensu quod verum matrimonium cum Josepho non contraxerit, *neg.* Constat ex dictis Patres docuisse verum fuisse matrimonium inter B. Mariam et Josephum. Unde, cum dixerunt B. Mariam non fuisse conjugem S. Josephi, non ipsum matrimonium, sed solum matrimonii consummationem, ad commendandam Mariæ virginitatem, excludere volerunt.

Obj.

Obj. 2°. Adamus Gen. 2. 24. de viro et muliere loquens ait: *Sunt duo in carne una;* ergo matrimonii finis principalis ac essentia in usu consistit.

R. dist. Erunt duo in carne una, quoad jus et potestatem utendi corporibus, *conc.* quoad ipsum usum *neg.* Hinc textus græcus habet: *Erunt duo ad carnem unam*, quibus verbis jus ad carnem potius quam carnis usus exprimitur.

Obj. 3°. S. August. inquit Gratian. 27. q. 2. c. 16. et 17. sic habet: *Non est dubium eam mulierem non pertinere ad matrimonium cum qua commixtio sexus non docetur fuisse.* S. Leo. Epist. 92. ad Rustic. inquit idem Gratianus, sic loquitur: *Cum societas nuptiarum ita ab initio instituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, non haberet in se Christi et Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.* Ergo, juxta SS. Patres, conjunctio carnalis Matrimonio essentialis est.

R. textum Augustini a Gratiano laudatum nullibi reperiri in illius Operibus, contrariumque doceri a S. Doctore, ut antea vidimus.

Secundus textus ex Leone citatus in contrarium sensum legitur: nec enim particula, *non*, in genuinis S. Doctoris Operibus apparet ubi e contra sic legitur, *ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ Sacramentum:* quasi diceret, cum societas nuptiarum ita instituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesia Sacramentum, dubium non est eam mulierem, nempe concubinam de qua consulitur a Rustico, non pertinere ad Matrimonium, seu non esse veram uxorem viri qui illam habebat, quia in ea non est mysterium unionis Christi cum Ecclèsia, quæ indissolubilis est; cum e contrario illa a viro fornicario separari debeat.

Obj. 4°. Matrimonium præsertim Christianorum unionem Christi cum Ecclesia significare debet: atqui non nisi per conjunctionem carnis significari

potest unio Christi cum Ecclesia, quæ in eo consistit quod Verbum per Incarnationem cum sponsa sua Ecclesia una caro evaserit. Ergo, &c.

R. dist. Debet significare unionem Christi cum Ecclesia moralem et spiritualem, quæ fit per continum Gratiæ influxum, per dilectionem, ac perennem Spiritus S. assistentiam, *conc.* unionem Christi cum Ecclesia realem et physicam quæ fit per Incarnationem, qua Verbum realiter assumpsit naturam humanam, *neg.* Priorem Christi cum Ecclesia unionem significat unio conjugalis animarum per individuam vitæ societatem, quæ quidem animarum conjunctio Matrimonii essentialis est finis, ipsumque præcipue constituit. Posteriorem Christi cum Ecclesia unionem significat Matrimonii consummatio. Sed hæc significatio Matrimonio est accidentalis, non essentialis.

Obj. 5°. Illud est essentiale Matrimonio, sine quo non potest haberi Matrimonii finis. Atqui sine usu Matrimonii non potest haberi illius finis, qui est prolis susceptio, secundum id Genes. 1. *Crescite et multiplicamini.*

R. neg. maj. nam Matrimnonii essentia consistit in domino quod uterque conjux tradit in corpus alterius. Atqui sic inter se differunt dominium et usus dominii, ut possit esse unum sine altero. Namque axioma Juris canonici est posse usum a dominio separari. Sic ad essentiam contractus emptionis requiritur ut emptor jus habeat ad rem emptam, non requiritur ut re empta utatur. Idem dicendum est de Matrimonio.

Et vero esti non haberetur finis qui sit prolis susceptio, saltem haberetur alter Matrimonii finis, qui sit animarum conjunctio, dilectio reciproca, mutuum juvamen, quem sibi proponere debent omnes conjuges.

Obj 6°. Si usus Matrimonio non sit essentialis, contrahere poterunt frater et soror, eunuchi, impotentes. Atqui tamen illud absurdum est. Ergo, &c.

Respondent.

Respondent 1°. *multi, neg. maj.* Quia licet usus Matrimonii non sit de illius essentia, ad illam tamen, juxta eos, pertinet jus quoddam radicale ad Matrimonii consummationem, substantiaque Matrimonii exigit ut possint contrahentes fieri una caro. Jus autem illud impotentibus perpetuis minime competit, divinaque Lege fratribus erga soreres interdictum est.

R. 2°. *cam. aliis dist. maj.* Frater et soror, impotentes possent contrahere, attento jure naturali, *conc.* attentis Legibus positivis, *neg.* Nimirum Matrimonium cum sorore, vel cum impotente non est prohibitum ipso Jure naturali rigorose sumpto; siquidem initio mundi permissum est a Deo sororis et fratris Matrimonium; nec impotentium nuptiæ prohibitæ sunt Legibus civilibus nisi a Justiniano versus medium 6. seculi, Legibusque ecclesisasticis 7. Ecclesiæ sæculo, ut videre est apud Gibertum.

Quantum ad aliam quæstionem inter Theologos agitatam, utrum Matrimonii essentia posita sit in mutuo partium consensu, utrum vero in nexu seu vinculo quod ex illa pactione nascitur, videter esse de nomine potius quam de re hæc controversia, et pro duplicis Matrimonii consideratione vera est utraque sententia. Si enim Matrimouium accipiatur pro actione transeunte per quam contrahentes sese obligant, seu pro causa Matrimonii efficiente, illius essentia consistit in mutuo partium consensu, ut patet. Si vero Matrimonium accipiatur prout est aliquid permanens, prout est conjunctio viri et mulieris perseveranter subsistens in perpetuam vitæ societatem, illius essentia consistit in nexu qui ex consensu prius dato resultat, uti facile intelligunt omnes.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De institutione Matrimonii.

QUÆRITUR 1°. utrum Matrimonium, prout est officium naturæ, Deum habeat auctorem, et de se laudabile sit ac honestum; utrum vero ducat originem a principio malo, et de se inhonestum sit ac illicitum, ut docuerunt Encratistæ, Adamiani, Marcionitæ, Manichæi, &c.

2°. Utrum omnibus necessarium sit et imperatum Lege naturali vel divina.

3°. Utrum ita Lege naturali vel divina sit imperatum, ut virginitas nunquam ei sit anteponenda, prout olim docuit Jovinianus quem secuti sunt Lutherani et Calvinistæ.

4°. Utrum Sacramentum fuerit ante Christum et Legem evangelicam.

5°. Utrum in Lege evangelica et post Christum Sacramenti rationem habeat? De quibus sit.

PROPOSITIO. I.

Matrimonium Deum habet auctorem, adeoque est de se licitum ac honestum.

Prob. 1°. *ex veteri Testamento.* Gen. 1. *Deus masculum et fœminam cravit.....benedixit illis,* et ait: *Crescite et multiplicamini.* Quibus verbis patet Matrimonium esse a Deo institutum. Idem constat sive ex c. 2. ejusd. Libri ubi sic legitur: *Relinquet homo partem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una;* sive ex Deuter. 25. ubi frater superstes jubetur nubere uxori fratris sine liberis defuncti.

Prob. 2. *ex novo Testamento.* Christus Matth. 9. 6. de Matrimonio loquens ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Joan. 2. præsentia sua nuptias honorat et miraculo illustrat. Numquid autem

autem Christus, qui ipse est Dei Filius, nuptiis interfuisset, easque miraculo illustrasset, si non essent a Deo summe bono, sed a principio malo; aut si essent malæ ac inhonestæ?

S. Paulus 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro.....si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit.*

Ad Heber. 13. *Honorabile connubium.*

Prob. 3°. *ex SS. PP.* quorum testimonia in re adeo evidenti referre supervacaneum est. Vide Tertul. lib. 1. contra Marcionem, c. 29. Clement. Alex. lib. 3. Strom. August. Lib. de Bono conjugii, et alibi sæpe contra Manichæos, Concilium Gangrense can. 1. Bracarense 2. c. 11.

Prob. 4°. Ex eo quod Manichæorum, Simonianorum nuptias condemnantium doctrina a SS. PP. et Conciliis constanter proscripta fuerit ut hæretica, ideoque habiti sunt ut novæ Legis, non secus ac veteris, Adversarii.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Paslm. 50. *Ecce in inquitatibus conceptus sum et in peccatus concepit me mater mea.* Porro si mater Davidis quæ certe in legitimo Matrimonio ipsum conceperat, eum tamen in peccatis concepit, procul dubio malum est Matrimonium, cum sit causa peccati. Ergo, &c.

R. Davidem his verbis non exprimere iniquitatem conjugii, sed noxam originalem in qua universi homines concipiuntur.

Nec conjugium ideo malum est, quod peccatum originale per illud transfundatur, siquidem id fit per accidens, non ex natura conjugii, idque in solum Adamum, no vero personas nuptas rejiciendum est.

Obj. 2°. 1. Cor. 7. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere;* ergo malum est Matrimonium.

R. dist. Bonum est, id est, melius mulierem non tangere, *conc.* malum, *neg.* Sic loquitur Apostolos

eo quod continentia Matrimonio sit perfectior. Sic dici potest: *Bonum est non ludere*, licet ludere non semper sit malum.

Obj. 3°. Ibid v. 5. Matrimonii usum concedit Apostolus *secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Quod autem per indulgentiam conseditur, non est bonum, sed illicitum.

R. dist. Matrimonii usum concedit ex indulgentia, quia usus ille est aliquid minus perfectum quam continentia, *conc.* quia est aliquid in se malum *neg.* Nam si Matrimonii usus esset malus, nequidem ex indulgentia illum permitteret Apostolus.

Obj. 4°. Rom. 8. v. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Ergo, &c.

R. dist. Qui in carne sunt, id est, qui contra spiritum Dei agunt, pravisque carnis desideriis indulgent, Deo placere non possunt, *conc.* qui nubunt in Deo, nec libidinibus laxant habenas, Deo placere non possunt, *neg.* Dicit enim Apostolos: *Volo juniores nubere, filios procreare: uxori vir debitum reddat.*

Obj. 5°. Id certe malum est, quo homines ab æterno convivio excluduntur. Atqui homines per nuptias ab æterno convivio excluduntur, ut constat ex S. Luca 14. *Uxorem duxi et ideo non possum venire*, nimirum ad cœnam patrisfamilias, quæ est eterni convivii figura.

R. exclusionem a convivio de quo ibi agitur, non in nuptias quæ de se bonæ sunt, sed in ipsum conjugem esse rejiciendam; cum posset res suas ita ordinare ut gratia sibi oblata frueretur.

Obj. 6. Actis qui non potest expleri sine voluptatis sensu, peccatum est. Atqui talis est actus Matrimonii.

R. dist. Si voluptatis sensus dominetur, nec intra debitos fines contineatur, *conc.* si contineatur v. g. expleatur causa suscipiendæ prolis in qua benedicatur nomen Domini, *neg.* "Is enim sensus, "ait Theologos Parisiensis, est nobis a natura in-
"ditus,

" ditus, nec in se malus est, si intra debitos casti " conjugii terminos contineatur."

Inst. Nuptiæ sunt occasio peccandi proxima, cum raro contingat ut in conjugibus non sit peccatum. Ergo malæ sunt.

R. neg. ant. Si enim Matrimonium esset occasio peccandi proxima, S. Paulus illud proponeret in remedium contra tentationes : atqui tamen illud S. Paulus proponit in remedium contra tentationes, 1. Cor. 7. v. 5. jam citato.

Obj. 7°. Quidam SS. Patres inter quos ipse S. Augustinus, scripserunt nullum fuisse Adam innocentis cum Eva Matrimonium, nec futurum fuisse, si in statu innocentiæ perseverassent. Non alia autem de causa in ea opinione fuerunt, nisi quia ipsis persuasum fuit nuptias in se malas esse ac illicitas.

R. hanc peculiarem quorumdam Patrum opinionem esse sine fundamento, eamque rejici debere, tum quia Scripturis adversatur, tum quia omnibus fere SS. Patribus contradicit, qui ore pene unanimi docuerunt protoparentes ante peccatum nuptias contraxisse. Hinc S. Augustinus ætate maturior, lib. 1. Retract. cap. 10. priorem sententiam revocavit.

Nonnulli Theologi eo loci tractare solent de unitate et indissolubilitate Matrimonii. Hæc vero quoniam ad Matrimonium Christianorum præsertim spectant, ad alium locum rejicimus.

PROPOSITIO II.

Matrimonium nunquam fuit imperatum Lege naturali stricta et singulos obligante.

Prob. 1°. Quod Jure naturali, stricto et singulos obligante imperatur, non potest omitti sine peccato, et quidem gravi, quando materia gravis est, ut in præsenti. Atqui tamen Adamus, antequam daretur ei per revelationem nubendi præceptum, sine

sine gravi peccato poterat abstinere ab ineundo cum Eva Matrimonio. Poterat enim suum ea de re suspendere consensum, donec per revelationem didicisset an Deus vellet speciem humanam propagare, an vellet illam propagare hic et nunc per viam generationis, an vero per creationem aliorum hominum? Poterat Deus, qui nihil potest contra Jus naturale, prohibere ne unquam Adamus et Eva inter se carnis commercium haberent, sicut vetuit ne certo fructu vescerentur.

2°. Si Jure naturali stricto et singulos obligante Matrimonium olim fuisset imperatum, nunc etiam omnes ad Matrimonium obligarentur, cum Jus naturale strictum ac singulos obligans, sit immutabile. Atqui falsum est ac Fidei evangelicæ contrarium, nunc omnes ad Matrimonium obligari, cum virginitas eo sit excellentior, ut postea ostendemus.

3°. Si Matrimonium Jure naturali stricto præceptum esset, maxime quia illud necessarium fuisset ad generis humani propagationem. Porro id ad summum probat Matrimonium fuisse necessarium communitati hominum, non vero illud præcepto naturali stricto et singulos obligante fuisse imperatum. Quamvis enim Matrimonium non sit imperatum præcepto naturali stricto et singulos obligante, Deo ita providente, suppositaque diversa hominum complexione, multi semper Matrimonium eligent, adeoque certo propagabitur humana soboles. Sic agricultura hominum communitati necessaria est, nec defuturi sunt qui illam eligant, quamvis singulis necessaria non sit, nec singuli eam eligere teneantur.

Notandum est multos Theologos inter quos Estius, Turnelius, asserere Matrimonium naturali Lege esse præceptum; idque probant ex inclinatione naturæ humanæ ad conservationem sui ipsius, et ex eo quod in Societate humana quædam sint opera viris, quædam mulieribus competentia. Verum isti Theologi neutiquam a nobis in rei veritate differunt. Nec enim affirmant Matrimonium præcipi

cipi præcepto naturali *stricto, singulos obligante, quod non possit absque peccato violari.* Sed hoc unum volunt, Matrimonium hominum inclinationi esse consentaneum, illud naturæ humanæ multum congruere: sicut, licet vita socialis sit hominibus naturalis, necesse tamen non est absolute et sub peccati pœna ut homo vitam socialem agat, cum multi sanctitate eximii, Joannes Baptista, Paulus Eremitarum Princeps antra et eremum petierint. Porro lubenter fatemur Matrimonium eo posteriori sensu esse hominibus naturale, seu ex ipsa naturali Lege ducere originem. Igitur non in re ipsa, sed tota est de nomine controversia eorum qui contendunt Matrimonium Jure naturali esse institutum, et eorum qui volunt illud Jure naturali nullatenus esse præceptum.

PROPOSITIO III.

Matrimonium ab initio Lege divina positiva singulos obligante præceptum est.

Ita communiter Theologi, qui propositionem istam probant, 1°. quia probabile non est Adamum et Evam nupsisse præter Dei voluntatem. 2°. Quia id Gen. 1. 28. *Crescite et multiplicamini*, Matrimonii præceptum importat, vel saltem supponit. 3°. Quia Deus non aliter genus humanum propagari voluit quam per connubium. Unde juxta ipsos, Deus omnes ad nubendum obligavit præcepto, quod Adamo ante lapsum, et Noemo statim post diluvium intimavit.

Hoc autem præceptum singulis de Matrimonio ineundo rerum exordio impositum, statim desiit, cum soboles humana sufficienter propagata est. Cum enim cessaret præcepti finis, ipsum præceptum desinere debuit.

PROPOSITIO IV.

Virginitas pro Deo suscepta nuptiis est melior ac excellentior.

Prob. 1°. Matth. 19. 10. Apostoli onera Matrimonii contemplati, *si ita est*, inquiunt, *causa hominis cum uxore, non expedit nubere:* quorum Dominus sententiam confirmans, replicat: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi qui facta sunt ab hominibus: et sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum Cœlorum: qui potest capere, capiat.* Unde sic arguo. Ille status est Matrimonio perfectior quem Christus approbat præ Matrimonio, et per quem facilius obtinetur regnum Cœlorum. Atqui Christus ibi præ Matrimonio virginitatem approbat, et declarat per illam regnum Cœlorum facilius obtineri. Ego, &c.

2°. S. Paulus 1. Corinth. 7. 7. *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum*, nempe continentes. Id autem non consuleret quod non putaret esse melius.

3°. Ibid v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem, benefacit: et qui non jungit, melius facit.* Ergo virginitas melior est Matrimonio.

4°. Ibid. v. 32. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Unde sic. Ille status perfectior est, quem qui amplectuntur, sollicitiores sunt cogitare quæ Domini sunt, et placere Deo. Atqui juxta Apostolorum, qui sine uxore est, sollicitior est cogitare quæ Domini sunt et placere Deo, quam qui cum uxore est. Ergo, &c.

5°. Idem constat ex SS. PP. qui virginitatis supra Matrimonium excellentiam in Scriptis suis millies commendarunt.

Tertullianus

Tertullianus lib. 1. ad Uxorem, *Virgines dicit de familia angelica deputari.*

S. Cyprian Lib. de Habitu virginum, illas appellat *florem ecclesiastici germinis, illustriorem portionem gregis Christi, Angelis Dei in terris æquales.*

Vide insuper S. Ambros. lib. 1. de Virginibus, Augustinum, Lib. *de sancta Virginitate*, Hieronymum Libris duobus contra Jovinianum, Fulgentium Epist. 3. ad Probum, Chrysostomum, Athanasium, &c.

6°. Probatur eadem propositio ex eo quod Jovinianus qui doctrinam oppositam tuebatur, inter Hæreticos recensitus fuerit.

7°. Ex Concil. Trident. sess. 24. can. 10. ubi sic legitur : *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit.*

8°. Christus Dominus virginem matrem elegit, ipseque virginitatem perpetuo coluit; igitur virginitatem connubio meliorem esse suo exemplo manifestavit.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Nuptiæ Deum habent auctorem ; ergo injuriam Deo facit, qui putat continentiam illis esse præstantiorem. Ita olim Jovinianus.

R. cum S. Hieronymo, qui dicit pomum arbore, aurum argento, esse meliora, nullam Deo injuriam facit, nec creatorem accusat, nec arborem nec argentum asserit esse mala. Similiter nec Deo injuriam facit, nec nuptias malas esse docet, qui ait virginitatem illis esse præferendam.

Obj. 2°. Matrimonium cultores Deo procreat, et virgines ipsas parit ; ergo virginitatem excellentia superat.

R. 1°. Inde consequi, stupra, adulteria, et fornicationes esse virginitate præstantiores: cum Deo cultores, sicut nuptiæ, Deo procreent. Quis autem id dixerit ?

R. 2°.

R. 2°. neg. ant. Sola enim Religio Deo cultores procreat et virgines parit, non natura seu nativitas temporalis, quæ potius iræ filios facit; concipimur enim in iniquitatibus, Psalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.*

Omitto quasdam alias objectiones, quæ neminem retardare possunt, aut quæ jam diluimus in Tractatu de Ordine, ubi de Cœlibatu Clerlcorum.

PROPOSITIO V.

Matrimonium, nec in Lege naturæ, nec in Lege mosaica, fuit verum ac proprie dictum Sacramentum.

Propositio communis est contra Albertum Pighium, Catharinum, Maldonatum, Launoium et quosdam alios.

Prob. 1°. Sacramenti proprie dicti ratio postulat ut sit Gratiæ signum efficax, eamque ex divina promissione annexam habeat. Atqui nullibi legitur veteribus Matrimoniis divinam Gratiam esse promissam, aut institutum fuisse a Deo signum qui hæc efficaciter annecteretur. Ergo, &c.

2°. Patres Trid. sess. 24. cap. unico de Matrimonio, Patrum Florentinorum doctrinam secuti sic habent: *Cum igitur Matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Christum præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum Patres nostri docuerunt.* Atqui si veteris Legis Matrimonia Sacramenti rationem habuissent, Gratiamque ex divina promissione contulissent, iis Gratia non præstarent Legis evangelicæ Matrimonia; quia non minus veteris quam novæ Legis Matrimoniis alligata fuisset Gratia.

Igitur Pighii, Catharini, Maldonati et eorum Sequacium, quam eo loci refellimus, opinio, cum doctrina Concilii sive Tridentini sive Florentini conciliari non potest. Hinc Bellarminus eam opinionem

nionem rejicit ut minus tutam, Vasquesius vero ut damnatam.

Qamvis autem Matrimonium ante Lege evangelicam proprie ac vere Sacramenti rationem non habuerit, ut modo dictum est, sensu tamen latiori ac minus proprio Sacramentum a multis Theologis vocatum est ac reipsa vocari potest quatenus nempe fuit signum, licet mere speculativum, futuræ unionis Christi cum Ecclesia, sive physicæ per Incarnationem, sive moralis per Gratiam: *Adam*, inquit Tertull. lib. de Anima c. 11. *statim prophetavit magnum illud Sacramentum in Christum et Ecclesiam, dicens: hoc nunc os ex ossibus meis.....propter hoc relinquet patrem et matrem, et adhærebet uxori suæ.* Similia habent Hieron. Augustinus, et alii quorum testimonia in confirmationem suæ opinionis frustra congessit Launoius, cum nihil aliud voluerint nisi Matrimonium Adami fuisse a Deo institutum, aut fuisse signum unionis Christi cum Ecclesia speculativum, neutiquam vero signum Gratiæ efficax, eamque ex opere operato producens.

Dices. Deus per hæc verba Genes. *crescite et multiplicamini*, protoparentum Matrimonio benedixit, ac consequenter Gratiam Matrimonio alligavit.

R. neg. sequelam antecedentis. Nam benedictio Dei unice ad generis humani propagationem ordinata est, *replete terram*, inquit Deus, *et subjicite eam.* Id autem operari debuit ad quod ordinata est. Cæterum nunquam conjugatis suppliciter eam a Deo postulantibus defuit Gratia, qua caste in Matrimonio viverent. Verum hæc Gratia quæ bonis nuptorum operibus ac fidei conceditur, multum differt a Gratia sacramentali.

PROPOSITIO VI.

Matrimonium quod inter personas baptizatas et habiles ad contrahendum ritu Ecclesiæ legitimo perficitur, est verum et proprie dictum Legis evangelicæ Sacramentum.

Propositio est de Fide contra Lutheranos et Calvinistas.

robatio. 1. *ex scripturis:* S. Paulus Eph. 5. 25. et seq. *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Viri debent diligere uxores suas ut sua corpora, sicut Christus dilexit Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus, propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una. Sacramentum hoo magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Unde sic conficitur argumentum. Tria requiruntur ad verum novæ Legis Sacramentum, 1°. ut sit sensibile signum rei sacræ. 2°. Ut sit Gratiæ efficax et productivum. 3°. Ut signum sit ex institutione Christi quod Gratiam producat: atqui tale est Matrimonium Christianorum legitimo Ecclesiæ ritu celebratum.

1°. Est signum sensibile rei sacræ, seu unionis Christi cum Ecclesia. Hoc enim expresse affirmat S. Paulus, Matrimonium appellat Sacramentum *magnum in Christo et in Ecclesia*, græce, in Christum et in Ecclesiam, ut significetur unionem conjugalem magnum esse Sacramentum seu signum, quatenus refertur ad Christum et Ecclesiam.

2°. Est signum Gratiæ efficax et productivum. Nam viri debent, ex S. Paulo, diligere uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, quia Matrimonium est magnum Sacramentum, seu signum unionis Christi cum Ecclesia, *viri diligite uxoses vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam ... Sacramentum hoc magnum est.....in Christo et in Ecclesia.* Atqui viri non

non tenerentur diligere uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, eo quod Matrimonium sit magnum signum unionis Christi cum Ecclesia, nisi Gratia et quidem uberrima huic signo esset annexa; quia sponsi sine Gratia et quidem uberrima tantæ charitatis non essent capaces. Ergo Matrimonium prout signum est unionis Christi cum Ecclesia, annexam habet Gratiam, seu est Gratiæ efficax et productivum.

3°. Signum illud a Christi institutione habet non solum quod significet illius cum Ecclesia unionem, sed etiam quod conferat Gratiam qua conjuges sese mutuo diligant ea charitate qua Christus dilexit Ecclesiam. Cum enim constet illud non producere Gratiam ex se, solum igitur id habet ex institutione et ordinatione Christi qui est omnium novæ Legis Sacramentorum Institutor. " Quemadmodum igitur " Christus, inquit Theologus Parisiensis, virtutem " pœnitentiæ, quæ in omni statu lapsis fuit necessa- " ria, evexit ad Sacramenti dignitatem: ita Matri- " monium quod ab Adamo ad ejus usque adventum " fuerat signum rei sacræ, nempe futuræ unionis " Christi cum Ecclesia, novo ac angustiori modo " instituit signum suæ conjunctionis peractæ cum " Ecclesia, et huic signo Gratiam alligavit qua " sponsi sanctificantur."

Scio multos Theologos existimare ex Scripturis solis efficaciter non posse probari Matrimonium Sacramentis esse annumerandum, nec illis arridere probationem ex Ephes. 5. desumptam. Ad nobis aliter visum est, nec judicamus deserendum esse istud argumentum, cum Patres Tridentini eo usi fuerint sess. 24. de Matrimonio, cap. unico, ubi sic loquuntur: *Gratiam vero quæ naturalem illum amorem perficeret..... conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum Institutor atque Perfector, sua nobis passione promeruit; quod Paulus Apostolus innuit dicens: viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam; et semetipsum tradidit pro ea. Mox subjungens: Sacramentum*

tum hoc magnum est.....cum igitur Matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Christum Gratiam præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum SS. Patres docuerunt. Quibus verbis patet Concilium Tridentinum ex verbis Apostoli concludere Matrimonium veteribus connubiis Gratiam præstare, novaque Legis esse Sacramentum.

Probatio 2°. *ex SS. Patribus*, quorum alii asserunt matrimonium esse rem sacram, nec fieri apud Christianos nisi cum benedictione Sacerdotis nec proinde inter Christianos habitum fuisse ut ritum mere profanum. Alii illud appellant nomine Sacramenti. Alii tandem declarant per illud produci Gratiam sanctificantem.

Primum tradunt S. Ignatius Martyr Epist. ad Polycarpum: *Decet*, inquit, *ut sponsi et sponsæ de sententia, Episcopi conjugium faciant, quo nuptiæ sint secundum Dominum.....nubant in Ecclesia, benedictione Ecclesiæ, ex Domini præcepto.*

Tertullianus lib. 2. ad uxorem: *Matrimonium Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignat benedictio, pater ratum habet.*

S. Ambros. Epist. 19. novæ editionis: *Conjugium velamine, et sacerdotali benedictione sanctificari oportet.*

Idem asserunt Siricius Papa Epist. ad Himerium, S. Epiphanius, hær. 67. Patres Concilii Carthag. 4. can. 13. Innocent. I. Epist. 2. cap. 6. et. alii multi.

Secundum habent S. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 7. sic loquens de eo qui alterius uxori vult nubere: *Qui sic egerit, peccat in Deum cujus Legem violat, Gratiam, solvit, et ideo quia in Deum peccat Sacramenti cœlestis amittit consortium.*

S. Augustinus Lib. de Bono conjugali cap. 18. *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* S. Doctor centies in suis Operibus Sacramenti nomen Matrimonio tribuit.

Tertium

Tertium, nempe per Matrimonium Gratiam sanctificantem produci, nec illud proinde esse Sacramentum sensu latiori, seu signum Gratiæ vacuum, docet S. Athan. Epist. ad Ammonium, ubi sic loquitur: *Qui ducit uxorem, esti parem Gratiam non consequatur cum eo qui virginitatem complectitur, consequitur tamen aliquam, quippe quæ ferat fructum centesimum.* Idem docet S. Cyrillus lib. 2. in Joan. c. 22.

Innoc. I. Epist. 9. ad probum dicit *conjugium divina Gratia fundatum.*

Idem probat modo laudatus S. Ambrosii textus.

S. Aug. in Lib. de Bono conjugali, et in lib. 1. de Nuptiis et Concupiscentia docet 1°. *in Christianorum nuptiis* conferri *sanctitatem* 2°. Matrimonium comparat Baptissmo et sacræ Ordinationi, quæ vera sunt indubie Sacramenta. 3°. Ex illa comparatione concludit non magis in Lege evangelica solvi posse Matrimonium, viventibus conjugibus, quam solvi possit per apostasiam Baptismus, vel Ordinatio per suspensionem: quæ quidem argumentatio manca prorsus foret, si Matrimonium non esset vere ac proprie Sacramentum, sed tantum latiori sensu.

Probatio 3°. *ex usu perpetuo Ecclesiæ.* Id quod longe ante natas Lutheri et Calvini hæreses universa tenebat Ecclesia, nisi illius initium assignari possit, Traditionis apostolicæ merito censetur; neque enim tota Ecclesia sic a Deo potest derelinqui ut ritum mere profanum inter Sacramenta recenseat. Atqui longe ante natas Lutheri et Calvini hæreses universa Ecclesia tum orientalis tum occidentalis, Matrimonium habuit ut Sacramentum proprie dictum, ut constat ex Euchologiis et Ritualibus utriusque Ecclesiæ, quorum seriem et catalogum improbo collegit labore, et singulorum testimonia refert Gibertus in sua de Matrimonio Historia tom. 1.

Probatio 4°. *ex Conciliis.* Lugdunense 2. anno 1274. in quo Græcorum cum Latinis unio facta

est, definit septem esse Sacramenta, in quorum numero Matrimonium collocat.

Idem docet Eugen. IV. in Decreto pro Armenis.

Conc. Trid. sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere ac proprie unum e septem Legis evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque Gratiam conferre, anathema sit.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. *cum Protestantibus contra* 1. *probationem ex Scripturis depromptam.* Non ipsum Matrimonium vocatur ab Apostolo *magnum Sacramentum*, sed ipsa Christi cum Ecclesia unio, quæ revera magnum est Sacramentum seu mysterium. Ergo Matrimonium nequidem signum est ex D. Paulo, nedum sit verum ac proprie dictum novæ Legis Sacramentum.

R. non unionem Christi cum Ecclesia, sed ipsum Matrimonium vocari a D. Paulo magnum Sacramentum, 1°. quia sic interpretantur Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus et alii quos citat Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 2.

2. Quia in textu græco legitur, *ego autem dico, in Christum et in Ecclesiam :* quæ verba indicant Christum esse terminum ad quem refertur Sacramentum de quo loquitur Apostolus, non vero eum esse ipsum Sacramentum.

3°. Apostolus dixit: *Sacramentum hoc magnum est.* At vero pronomen, *hoc*, necessario refertur ad id quod proxime præcedit. Proxime autem præcedunt hæc verba: *Relinquet patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*, quibus unio veri et mulieris seu Matrimonium exprimitur. Ergo Sacramentum de quo loquitur Apostolus, necessario refertur ad Matrimonium, non autem ad unionem Christi cum Ecclesia.

Inst. In præfato loco loquitur Apostolus de Matrimonio Adami cum Eva, siquidem utitur ipsis verbis Adami,

Adami, *propter hoc relinquet homo patrem suum ;* ergo si Matrimonium, in mente Apostoli, signum est unionis Christi cum Ecclesia, Gratiæ efficax et productivum, consequens est ipsum Adami Matrimonium, pariter fuisse signum unionis Christi cum Ecclesia, Gratiæ efficax et productivum, seu verum fuisse Sacramentum : quod tamen antea negatum est.

R. neg. ant. et dico verba Pauli ad Fidelium conjugia referri. Nam 1°. verba Genes. *relinquet homo patrem et matrem*, de omni Matrimonio, intelliguntur; non enim dixit Adamus, *ego relinquam*, sed indefinite, *relinquet homo.* 2°. Hæc verba Matrimonio Adami cum Eva stricte non conveniunt, cum Adamus patrem et matrem nunquam relinquere potuerit, ut adhæreret uxori suæ, siquidem nullos parentes habuit. Igitur verba Geneseos non speciatim de Matrimonio Adami, sed generatim de omni conjugio intelligi debent. 3°. S. Paulus, licet Geneseos verba referat, quæ conjugio generatim sumpto ac proinde ipsis Christianorum Matrimoniis applicari possunt, specialiter tamen in mente habet conjugia Fidelium, quandoquidem loquitur de Matrimonio quod annexam habet Gratiæ singularis promissionem : *Gratiæ scilicet*, inquit Colletus, *per quam conjuges adimpleant impositam sibi obligationem eadem se charitate diligendi, qua Christus dilexit Ecclesiam :* quæ quidem magna et supernaturalis obligatio solos Fideles, ut qui soli Christum norint, respicere potest.

Obj. 2°. Ideo Matrimonium inter Sacramenta recensetur, quia Gratiam annexam habet. Atqui non valet illa ratio. Martyrium enim Matth. 10. 22. annexam habet Gratiæ promissionem, nec tamen inter Sacramenta numeratur.

R. neg. ant. Nec enim ad Sacramentum sufficit Gratiæ promissio, sed necessum est ut sit ritus sensibilis a Christo institutus ad Gratiam significandam et producendam, qui constet materia et forma, et perficiatur ab Ecclesiæ Ministris cum intentione faciendi

faciendi quod facit Ecclesia. Hæc autem in Martyrio non inveniuntur.

Obj. 3°. Contractu mere naturalis non est Sacramentum: atqui Matrimonium est contractus mere naturalis; ergo, &c.

R. dist. Non est Sacramentum sua natura, si a Christo ad Sacramenti dignitatem non fuerit evectus, *conc.* secus neg. Si enim aquam, licet res sit mere naturalis, ad Sacramenti dignitatem in Baptismo elevaverit, procul dubio civilem contractum, ut nuptias sanctificaret, ad eamdem Sacramenti dignitatem evehere potuit.

Obj. 4°. Sacramenta novæ Legis id operantur quod significant: atqui Matrimonium non operatur id quod significat, unionem scilicet Christi cum Ecclesia; ergo, &c.

R. Matrimonium seu mutuam conjugum consensionem, ex Christi institutione, duo significare, 1°. unionem Christi cum Ecclesia, 2° Gratiam quæ conjugum animos et voluntates mutuo connectit. Porro non operatur quidem unionem Christi cum Ecclesia, quia est solummodo illius unionis signum speculativum; sed producit Gratiam conjugum animos connectentem, cujus est signum practicum et efficax. Sic Baptismus non operatur Christi sepulturam et resurrectionem, quia ista speculative tantum repræsentat; sed operatur in baptisato spiritalem sepulturam et resurrectionem, quatenus baptisatus moritur peccato, et resurgit in vitæ novitate.

Obj. 5°. Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis; ergo non est Sacramentum; alioquin Sacramentum cum Sacramento pugnaret.

R. neg. ant. Nam 1° conjugatus, de consensu uxoris, ordinari potest, manente vinculo conjugali. 2° Non Sacramentum cum Sacramento pugnat, sed unus status altero perfectior est. 3 Conveniens erat ut Christus Sacramenta pro validioribus, alia institueret, pro infirmioribus.

Obj. 6°. Nihil in substantiam Sacramentorum valet

valet civilis aut etiam ecclesiastica potestas. Atqui tamen utraque illa potestas multum valet in Matrimonii substantiam ; cum factum sit utriusque illius potestatis concursu ut Matrimonia quæ olim valida erant, jam nunc, appositis quibusdam impedimentis, sint irrita. Talia sunt Matrimonia clandestina, et in certo cognationis gradu contracta. Ergo, &c.

R. dist. Factum est utriusque potestatis concursu ut Matrimonia quæ olim erant valida jam nunc sint irrita, quia contractus desiit esse id quod erat, *conc.* licet id remanserit quod erat antea, *neg.* Nimirum fieri potest utriusque potestatis concursu, ut contractus sive civilis sive ecclesiasticus, qui antea erat validus, jam postea non valeat, sicque ut jam non sit Sacramentum defectu materiæ sufficientis. At non inde consequens est utramque potestatem aliquid valere in substantiam Sacramenti : sic qui ex vino acetum facit, non ideo censetur aliquid posse in Eucharistiam. Multum quidem posset utraque potestas in substantiam Matrimonii, si efficeret ut contractus legitimus non esset ipsius materia, secus vero si efficiat tantum ut contractus olim legitimus, jam non sit legitimus.

Obj. 7°. Sacramenta novæ Legis tribus perficiuntur, materia, forma et Ministro : atqui Matrimonium tribus illis non perficitur ; ergo, &c.

R. n. min. Responsio patebit ex dicendis.

Obj. 8°. Magister, Sententiarum, Durandas et nonnulli Canonistæ docent Matrimonium annexam non habere Gratiam. SS. Thomas, Bonaventura, Scotus sententiam eorum qui Matrimonium inter novæ Legis Sacramenta recensent, duntaxat ut probabiliorem tenent. Igitur Trid. Synod. non potuit sub anathemate definire Matrimonium novæ Legis esse Sacramentum.

R. 1°. *neg. conseq.* Nec enim ex paucorum opinione Dogmatis catholici veritas æstimanda est, sed ex communi Traditione, ut patet ex controversia de Baptismo ab Hæreticis collato, quem Ecclesia

clesia validum esse declaravit, licet S. Cyprianus, Firmilianus et alii Episcopi non pauci in alia sententia versarentur. Nec mirum si divus Thomas et alii nostram sententiam tenuerint ut probabiliorem tantum, cum tunc nihil esset ab Ecclesia definitum.

2°. Addunt alii, et quidem gravissimi Theologi, Magistrum Sententiarum lib. 4. distinct. 2. Matrimonium aliis Sacramentis annumerare, et dist. 26. illud habere ut signum Gratiæ efficax. Unde contendunt illum, cum ait Matrimonium Gratiam sanctificantem non habere, id unum velle, Matrimonium primitus non esse institutum ad producendam Gratiam, sed tantum ad frænandam, concupiscentiam. Durandum pariter benigne interpretantur, nihilique faciendam esse quorumdam Canonistarum sententiam et auctoritatem asserunt, præsertim cum pugnent contra communem aliorum Canonistarum sententiam.

Solvuntur nonnullæ quæstiones.

Quæres 1°. quo tempore Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit?

R. tempus illud incertum esse. Nonnulli existimant Sacramentum hoc institutum esse, cum Matth. 19. dixit Christus, *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Communior opinio est hanc institutionem factam esse, cum Christus in Cana Galileæ nuptias sua præsentia cohonestavit, eisque *benedixit*, ut loquuntur Patres Ephesini et alii Doctores Ecclesiæ permulti.

Quæres 2°. an quodlibet Christianorum Matrimonium sit Sacramentum proprie dictum?

R. cum Pontio, Almaino, Vasquesio, Turnelio, Colleto et aliis multis contra Sanchesium et alios nonnullis sive antiquos sive recentiores, Matrimonium, si Legibus civilibus vel ecclesiasticis non irritetur, posse inter Christianos valere ut contractum, nec tamen esse necessario Sacramentum. Nam 1°. contraria

contraria opinio nullum prorsus fundamentum habet sive in Scripturis, sive in Operibus SS. Patrum, in Conciliorum Decretis ; sed gratis omnino asserunt illius Defensores Christum, elevando contractum connubialem ad Sacramenti dignitatem, voluisse ut quilibet contractus matrimonialis inter Christianos initus Sacramenti rationem haberet. 2°. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 1. expresse declarat *clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Atqui tamen matrimonia clandestina quæ ante Concilium Tridentinum celebrata sunt, Sacramenti rationem non habebant, cum fierent absente Sacerdote sine quo stare non potest Matrimonii Sacramentum, cujus ille est Minister, ut infra dicemus. Ergo matrimonium inter Christianos valere potest ut contractus, licet non sit Sacramentum.

Dices 1°. Trid. sess. 24. c. 1. declarat Matrimonium baptizatorum esse *vere et proprie Sacramentum.* Atqui nulla est ratio, inquit Simonettus, hanc Concilii definitionem ad quædam tantum Christianorum matrimonia restringendi.

R. dist. esse vere et proprie Sacramentum, quoties reperiuntur omnia requisita ad Sacramentum, nempe Ecclesiæ Minister, intentio faciendi quod facit Ecclesia, *conc.* secus, *neg.* Porro fieri potest ut posito contractu connubiali, desint tamen aliquando quædam ad Sacramentum requisita, v. g. Ecclesiæ Minister, intentio faciendi quod facit Ecclesia, ritus ab Ecclesia institutus, qualis est benedictio nuptialis.

Dices 2°. Si contractus inter Christianos a Sacramento separari posset, id saltem aliquando fieret, imo fieri deberet. v. g. cum conjuges in statu sunt peccati, nec nuptias differre valent. Atqui tamen contractus a Sacramento nunquam separari potest.

R. neg. maj. Quilibet enim tenetur, inquit Colletus, *actionem quam Christus sacramentalem instituit,*

stituit, tractare sacramentaliter, adeoque Sacramentum intendere. Unde sicut qui in peccato positus celebrare tenetur, non potest metu sacrilegæ Communionis abstinere a consecrando, sed debet vel ad Confessarium recurrere, vel acrem actum contritionis elicere; sic et sibi iisdem modis consulere debet, cui imminet una cum peccato tempus nuptiarum.

Quæres 3°. utrum valeat Matrimonium inter absentes per Procuratorem initum, et utrum tale Matrimonium Sacramenti rationem habeat?

R. 1°. illud valere in ratione contractus, etiam post Concilium Trid. Prima ratio est quia omnes contractus qui consensu perficiuntur, inter absentes per Procuratoem contrahi possunt. Secunda est quia nec Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evehens, nec Ecclesia contractus connubialis naturam immutavit. Tertia ratio est quia Reges et Principes fere omnes solent hisce diebus, non improbante Ecclesia, sponsas per Procuratorem ducere, ea proinde Matrimonia saltem ut contractus valent.

Dixi autem, etiam post Concil. Trid. quia immerito quidam Theologi ex istis Concil. Trid. sess. 24. c. 1. *verbis, Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum consensu intellecto, dicat, ego vos in Matrimonium conjungo,* concludunt præsentiam partium esse necessarium, ut nempe possint interrogari. Enim vero sicut partes possunt in diversis contractibus per Procuratorem consentire, sic etiam possunt respondere, quia nimirum si physice sint absentes, moraliter saltem præsentes sunt, videlicet per Deputatos.

Cæterum procuratio ad contrahendum Matrimonium alicui concessa, 1°. debet esse specialis, id est, pro tali uxore ducenda, ex Lege generali 34. ff. *de Ritu Nuptiarum,* quam secutus est Bonifacius VIII. in capite *Procurator.*

2°. Requiritur ut Procurator per se rem exequatur, non per alium, nisi hoc specialiter eidem sit commissum.

3°. Requiritur

3°. Requiritur ut procuratio non sit revocata, nec expresse nec etiam tacite, ut si quis, v. g. sponsam alteram ducat, vel mandatum det ad contrahendum cum altera. Si enim procuratio sit revocata, tunc nullus Matrimonio datur consensus, nullum proinde Matrimonium. Hæc autem vera sunt, sive revocatio Procuratori cognita fuerit aut denuntiata, sive non. Attamen ex communi sententia, non requiritur ut Procurator scriptis constituatur, nisi aliter speciali locorum lege statutum sit, ut statuendum esse videtur, quoad viros privatæ conditionis, quos Parochus nunquam in Matrimonium jungere debet, nisi sibi indubie constet de eorum mandato.

R. 2°. *circa secundam quæstionem* non eamdem esse Theologorum opinionem, aliosque velle Matrimonium per Procuratorem contractum Sacramenti rationem habere, alios vero id negare. Sententiam affirmantem probabiliorem judicamus, 1°. quia si hæc Matrimonia Sacramenti rationem non haberent, ea non toleraret Ecclesia, vel saltem exigeret ut partes per Procuratorem contrahentes Matrimonium per se ipsas iterarent, cum ii qui per Procuratorem contrahunt, non minus quam ii qui per se ipsos nubunt, Gratia ad pie vivendum indigeant. Atqui tamen Ecclesia Matrimonia per Procuratorem contracta tolerat, nec exigit ut sic contrahentes Matrimonium per se ipsos iterent.

2°. In ejusmodi Matrimoniis omnia reperiuntur ad verum Sacramentum requisita, nempe materia, quæ in consensu consistit; forma, sive posita sit in verbis Parochi, sive in verbis contrahentium; testium et legitimi Sacerdotis præsentia, intentio faciendi quod facit Ecclesia. 3°. Quia, nisi hæc Matrimonia Sacramenti rationem haberent, Ecclesia non sineret ea celebrari cum ritibus cunctis qui Matrimonii Sacramentum comitari solent; nec enim decet sacro ritu profana celebrari.

Cum tamen hæc opinio sit tantum probabilis, nec omne dubium excludat, expedit, ad removendos

dos omnes scrupulos, ut partes quæ per Procuratorem contraxerunt, per se ipsas coram testibus et Parocho, consuetisque solemnitatibus, renovent consensum quem secundus Sacerdos conditionate tamen, et in quantum opus est, confirmabit.

Dices 1°. Alia Sacramenta non possunt absentibus per Procuratores conferri. Hinc damnata est a Clemente VIII. doctrina quorumdam qui asserebant absolutionem posse per litteras absentibus dari. Ergo nec Matrimonium, &c.

R. n. conseq. et parit. Ratio disparitatis est quia Matrimonium est contractus. At vero contractus inter absentes per Procuratorem, nemine diffitente, perfici possunt. Alia autem Sacramenta non sunt contractus.

Magnum est inter Matrimonium et Pœnitentiæ Sacramentum discrimen. Nam Pœnitentiæ Sacramentum est certum judicii genus, quod pronuntiari non potest, nisi cognitis a Confessario requisitis in Pœnitente dispositionibus. Non possunt autem dispositiones Pœnitentis ad recipiendam absolutionem requisitæ a Confessario cognosci, nisi Pœnitens ille præsens sit, infirmasque mentis affectiones aperiat. Ad Matrimonium vero sufficit consensus qui in omnibus contractibus per Procuratorem dari potest.

Inst. Si Matrimonium per Procuratorem initum Sacramenti rationem habeat, sequitur aliquem Gratiam recipere dormiendo, si tunc contrahat ejus Procurator. Atqui illud repugnat.

R. n. min. Si enim infantes et insani Gratiam per Baptismum recipiunt, quamvis de ea tunc nihil cogitent, cur dormientes Gratiam recipere non possent? Cæterum expedit ut contrahentes sciant tempus quo celebrandum sit eorum Matrimonium, ut nempe per id temporis ad Gratiam recipiendam sese disponant.

Inst. iterum. Saltem sequitur contrahentem dormiendo peccare, si nempe contrahat illius Procurator,

rator, dum ipse non est in Gratia. Quid autem absurdius?

R. hominem illum non peccare præcise dormiendo, sed eo tempore quo prævidens futuram esse circiter tali temporis intervallo sui Matrimonii celebrationem, neglexit tamen acquirere dispositiones ad Gratiam tempore celebrationis recipiendam requisitas. At peccatum illud seu potius sacrilegium non impedit quominus Matrimonium Sacramenti rationem habeat: sic Matrimonium quod a sponsis præsentibus peccati lethalis reis contrahitur, non minus est Sacramentum, quamvis neutri eorum Gratia conferatur.

Dices 2°. Carolus VIII. Galliæ Rex Annam de Aremorica, quæ per Procuratorem Maximiliano Austriaco nupserat, uxorem duxit, testibus omnibus Historicis. Atqui tamen si valeret Matrimonium per Procuratorem initum, ac præsertim si esset Sacramentum, non potuisset Carolus VIII. præfatum Matrimonium contrahere; cum Matrimonium, præsertim si Sacramentum sit, perpetuum sit ac indissolubile, ut postea videbimus.

Respondent nonnulli cum Daniele tom. 5. Hist. Gallic. ad annum 1591. hoc factum fuisse per dispensationem S. Pontificis, nec defuisse exempla hujusmodi dispensationum, forte quia pacta hæc per Procuratorem tunc magis haberentur pro sponsalibus quam pro conjugiis omnino absolutis.

Verum, omissa hac responsione, reponimus invalidum fuisse Maximiliani cum Anna de Aremorica Matrimonium per Procuratorem contractum, 1°. quia Anna tunc ætate minor sine cognatorum consensu nupserat: 2°. quia præsertim, cum esset e regio sanguine nata, sine Regis consensu sponsum ducere non potuit, ut alibi dicemus, ubi de Matrimonii impedimentis. Vide Historiam Gallicam D. *Vely* per Garnerium continuatam, tom. 20. ad an. 1490.

Quæres 4°. utrum non baptizati, quales sunt Infideles, Judæi, Mahumetani, possint inter se

Matrimonium

Matrimonium contrahere, et utrum illud Matrimonium sit verum Sacramentum ?

R. 1°. Infideles, si patrias Leges servaverint, verum, ratione contractus, Matrimonium inter se contrahere, fatentibus omnibus; idque evidens est, cum illa unio nec a Deo, nec ab Ecclesia quæ aliunde nihil juris habet in conjugia Infidelium. prohibita sit.

R. 2°. ejusmodi conjugia Sacramenti proprie dicti rationem non habere, cum nemo ante Baptismum sit Sacramenti proprie dicti capax.

3°. Conjugia illa sunt tamen Sacramentum latiori quodam sensu, quia omnia Matrimonia posterorum Adami Matrimonii protoparentum aliquam rationem participant. Matrimonium vero protoparentum, ex dictis, Sacramentum fuit latiori sensu, quatenus unionem Christi cum Ecclesia repræsentavit.

Quæres 5°. an Matrimonium a duobus Infidelibus seu non baptizatis, juxta patrias Leges contractum, eo ipso ad rationem Sacramenti assurgat, vel in altero, cum unus, vel in utroque, cum ambo baptizantur ?

R. id negare eos omnes qui contendunt Sacramenti Matrimonii Ministrum esse Sacerdotem, et formam esse verba a Sacerdote prolata : quæ quidem sententia probabilior est, ut infra dicemus. Alterius vero sententiæ Patroni id omnino incertum esse putant, ut quod a Deo pendeat, qui satis ea de re voluntatem suam non manifestavit.

Quæres 6°. an Infidelium istorum, si convertantur, Matrimonia in facie Ecclesiæ et cum benedictione nuptiali sint iteranda ?

R. Nec apud SS. PP. nec in Conciliis legitur id olim fuisse factitatum, nec etiam illud apud Indos et Sinenses nostris temporibus a Missionariis observatur. Ab agendiratione illa non esse recedendum, nec proinde Matrimonia, de quibus hic agitur, esse in facie Ecclesiæ iteranda, sentiunt Fagnanus, Navarrus, quos sequitur Collator Parisiensis,

sis, qui addit Gratias Infidelibus nuptis et conversis necessarias per alia Sacramenta frequenter recepta posse impetrari. Sentimus cum istis omnibus in praxi tenendam esse illam disciplinam, nisi aliter statuerit Episcopus.

Quæres 7°. quid sentiendum sit de Matrimoniis Hæreticorum inter se?

R. 1°. Matrimonia illa, si juxta patrias justasque Leges inita fuerint, in ratione contractus esse valida. Id nemo diffitetur, manifestoque sequitur ex antea dictis.

2°. Illa Matrimonia Sacramenti rationem non habent, si agatur de Hæreticis qui nec servatis Ecclesiæ Legibus et Ritibus, nec adhibito Sacerdotis ministerio, contrahunt; siquidem Ecclesia jus habet statuendi Leges circa Sacramentum Matrimonii, etiam illud irritantes; iisque ratione Baptismi subjiciuntur ipsimet Hæretici. Aliunde Sacerdos est minister Sacramenti Matrimonii, ut infra dicemus.

3°. Si agatur de Hæreticis qui ritu Ecclesiæ et Ministerio Sacerdotis, in suis Conventiculis, aut etiam, ad vitanda quædam mala, in templis Catholicorum Matrimonium contrahunt, quidam volunt eos recipere Sacramentum; idque verum est eo sensu quod eis applicetur signum externum vim habens Gratiam sacramentalem conferendi. At certum est eos non recipere Gratiam Sacramento seu signo annexam.

4°. Quod si posteriores illi Hæretici pœnitentia tacti ad Ecclesiam redierint catholicam, censent nonnulli tunc eos Gratiam Sacramento annexam recipere, Matrimoniumque eorum ad Sacramenti rationem assurgere, etiamsi antea non fuisset Sacramentum; sed illa sententia incerta videtur, nec ullo fundamento nixa.

5°. Ex constanti Ecclesiæ disciplina non iterantur in facie Ecclesiæ et cum benedictione nuptiali Matrimonia Hæreticorum ad Fidem catholicam regredientium, si ante conversionem valide

contraxerint; illa in praxi tenenda est disciplina, nisi forte aliter decreverit Episcopus, ut decrevit Sanctesius Ebroicensis Episcopus qui ann. 1576. sequens Statutum edidit. *Si in Hæreticorum Conventiculo vir et mulier Matrimonium contraxerint et celebraverint, statuimus, cessante silicet omni impedimento canonico, ipsis, cum ad Fidem regrediuntur, in facie Ecclesiæ benedictionem in nuptiali Missa a Curato vel Vicario conferri, ne saltem dubitari possit an eorum Matrimonium careat Sacramenti ratione et Gratia.* Si autem Hæretici invalide, nimirum propter aliquod impedimentum dirimens, ante conversionem contraxerint, procul dubio post eorum ad Ecclesiam regressum, ritu Ecclesiæ a Sacerdote cum benedictione nuptiali iterandum est eorum Matrimonium, alioquin in fornicatione viverent.

Ad valeant nunc in Galliis Hæreticorum Conjugia, expendemus, ubi de præsentia Parochi et Matrimonii clandestinitate.

Quæres 8. quid sentiendum sit de Matrimonio Fidelium cum Infidelibus, an videlicet sit validum, licitum, et Sacramentum?

R. 1°. illud esse validum in ratione contractus, si fiat secundum patrias Leges, ut satis constat ex dictis.

2°. Matrimonia hæc Lege evangelica nunquam generatim prohibita fuerunt; alioquin mulieres christianæ quæ viris infidelibus nupserunt, ut Monica Augustini parens quæ a Patricio, Clotildis quæ a Clodovæo Gallorum Rege ducta est, non fuissent Sanctorum fastis inscriptæ.

3°. Ejusmodi Matrimonia quinque prioribus sæculis, aliquando ac certis in circumstantiis propter Ecclesiæ utilitatem tolerata sunt, ut constat ex laudatis modo exemplis.

4°. Ecclesia nihilominus, antiquis istis temporibus, ea conjugia generatim improbavit tanquam multis periculis obnoxia, ut constat ex S. Cypr. Lib. de Lapsis, Synodo Eliberit. can. 15. Ipse S. Paulus

Paulus ea improbare videtur per hæc verba 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, nisi videlicet exigant graves circumstantiæ, ut interpretantur omnes, sequiturque ex aliis Scripturæ locis.

5°. Ecclesia nunc absolute reprobat, imo pro irritis habet ea Matrimonia, cum cultus disparitas sit impedimentum dirimens, ut postea videbimus. Dubitari tamen potest utrum in omni casu ista Connubia reprobet Ecclesia. Nec enim improbabile est Christianum qui solus fere christianæ Religionis sectator in Regione infideli commorari teneretur, posse licite uxorem infidelem ducere aut propter incontinentiæ periculum, aut propter aliud malum grave ac diuturnum, quandoquidem sub tanto incommodo non obligant Ecclesiæ Leges.

Missionarii apud Indos et Sinenses impediunt, quantum possunt, nec recens conversi, cum adest subversionis periculum, matrimonium cum Infidelibus contrahant. Si vero satius ipsis videtur, minusque sit periculum, virtute potestatis a Sede apostolica acceptæ ab impedimento dirimente dispensantes ea matrimonia permittunt.

6°. Fatentur omnes matrimonium Fidelis cum Infideli nunquam esse Sacramentum ex parte Infidelis cum Infidelis ille non sit Sacramenti capax. At disputant inter se Theologi utrum matrimonium illud, si fiat cum dispensatione Ecclesiæ, servatisque Legibus ecclesiasticis non secus ac patriis, Sacramenti rationem ex parte Fidelis habeat. Dominicus Soto, Catharinus, Turnelius id affirmant. Alii cum Vasquesio, Sanchesio, negant. Sententiam nostram aperiemus in responsione sequenti ad quæstionem similem de matrimonio Orthodoxorum cum Hæreticis.

Quæres 9°. quid sentiendum sit de matrimonio Orthodoxorum cum Hæreticis?

R. 1°. Illa matrimonia, nisi specialibus locorum Legibus irritentur, in ratione contractus esse valida, ut constat tum ex consensu unanimi Theologorum

ologorum, tum quia nullo jure generali irrita declarantur.

2°. In Galliis matrimonia Catholicorum cum Hæreticis quantum ad contractum civilem speciali Lege irritantur. *Voulons*, inquit Rex Gallorum in Edicto an 1680. *qu'a l'avenir nos Sujets de la Religion Catholique ne puissent, sous quelque pretexte que ce soit, contracter mariage avec ceux de la Religion pretendue Reformee, declarant tels mariages non valablement contractes, et les infans qui en proviendront, illegitimes, et incapables de succeder aux biens meubles et immeubles de leurs peres et meres.* Neque Lex ista novo Regis Edicto an. 1788. revocata fuit.

3°. Ejusmodi conjugia, quamvis, generatim loquendo, non sint quantum ad contractum civilem irrita, tamen illicita sunt ac multis Ecclesiæ Legibus prohibita, propter varia pericula quibus objiciuntur sive Catholici similia matrimonia contrahentes, sive proles ex iis matrimoniis suscepta.

4°. Non sic tamen vetita sunt quin justis de causis, cautionibusque adhibitis, ad impediendam partis fidelis, prolisque nascituræ subversionem, ex dispensatione contrahi possint, ut constat tum ex unanimi pene Theologorum consensu, tum quia non desunt exempla fidelium pietate eximiorum qui conjugia cum Hæreticis inierunt, tum quia in iis matrimoniis aliquando dispensarunt SS. Pontifices et Episcopi.

In locis ubi Catholici Hæreticis permixti secum invicem connubia contrahere solent, peccaret graviter, et in quibusdam Diœcesibus suspensionem incurreret Sacerdos qui ea matrimonia sine dispensatione celebraret, quia constat ea saltem Legibus ecclesiasticis esse vetita. Ita Collator Andegavensis. Si tamen, ut in pluribus Germaniæ Provinciis, usus generaliter et constanter obtinuerit ut ejusmodi matrimonia, videlicet Catholicorum cum Hæreticis, sine dispensatione celebrentur, inculpate

servari

Servari poterit illa praxis, quia tunc Leges ecclesiasticæ quibus solis hæc matrimonia prohibentur, desuetudine tacitoque Episcoporum et SS. Pontificum consensu, ut vult Isambertus, censentur abrogatæ.

5°. Disputant inter se Theologi utrum illa matrimonia, si justis de causis contrahuntur, cum benedictione nuptiali celebranda sint, utrum Sacramenti rationem habeant, et utrum aliquam, aut in recipiente aut in celebrante aut in dispensante profanationem importent?

Ad hanc quæstionem difficilem, quæque ad praxim attinet *resp.* 1°. moris non esse ut Catholico et Hæretico nuptias celebrantibus impendatur benedictio. Id prohibuit Clemens VIII. teste Colleto, tom. 14. edit. in 8°. p. 167. Id omnino illicitum est, cum reverentia Sacramentis debita exigat, ut hæc nec recipiantur in statu peccati mortalis; nec scienter conferautur homini peccatum mortale habenti, quando peccatum fuerit notorium, qualis est hæresis. Nec ipse S. Pontifex habet potestatem mutandi jus non modo divinum, sed etiam naturale ut Sacramenta digne et reverenter tractentur. Hinc matrimonia de quibus agitur, quando ex dispensatione S. Pontificis contrahuntur, solent, in locis ubi viget Tridentina disciplina, celebrari ante januam Ecclesiæ coram testibus et Parocho qui partium contrahentium consensum recipit, nulla eis impensa benedictione nuptiali. Ita fieri solet. Ita factum est in matrimonio Henricæ Regis nostri Ludovici XIII. sororis cum anglorum Rege Carolo I.

His positis *resp.* 2°. matrimonia de quibus agitur Sacramenti rationem non habere, siquidem benedictio nuptialis a Sacerdote prolata, est forma Sacramenti Matrimonii, ut postea certissimis argumentis ostendemus. Cum itaque benedictio hæc in iis matrimoniis desit, ea sunt contractus mere civiles, quos Ecclesia per suam dispensationem nequidem

quidem directe approbat, sed tantum justis de causis tolerat, declaratque in iis circumstantiis nec juri naturali nec divino esse oppositos.

Ex his patet 3°. nullam aut in contrahentibus aut in Sacerdote, aut in dispensante esse profanationem. Si quæ sit in hocce negotio contrahentis et Sacerdotis communicatio cum Hæretico, ea communicatio solo jure ecclesiastico prohibita est, cum matrimonia de quibus agitur, nec jure naturali nec divino vetita sunt. Hæc autem fit licita, cum Ecclesia per suam dispensationem, ex hypothesi, suam prohibitionem sustulerit.

Scio nonnullos velle matrimonium omne inter Christianos necessario Sacramenti rationem habere; sed hanc sententiam quæ nunc præsertim paucorum est, antea confutavimus.

Quæres 1°. quandonam licite possint Fideles cum Hæreticis matrimonium contrahere?

R. id licitum esse, 1°. cum ii serio nec ficte, ut sæpissime contingit, conversionem promittunt.

2°. Cum id suadent gravissimæ causæ, v. g. spes certa conjugem ad Ecclesiam revocandi, inimicitias extinguendi, flectendi animum Principis in gratiam Catholicorum.

3°. Cum pars catholica justam habitura est facultatem omnia Religionis officia adimplendi, nec ullum sive illi sive liberis nascituris timendum est subversionis periculum, nullaque contractui apposita est clausula quæ bono eorum spirituali noceat; alioquin illud matrimonium jure naturali vetitum esset.

Nec licitum est, ut merito notat Navarrus, pactum quo convenitur ut masculi in Religione patris, puellæ vero in matris Religione enutriantur, sicut fit in multis locis, quia pars catholica consentire non potest ut quidam e suis liberis Diabolo mancipentur.

4°. Cum habetur legitima Superioris dispensatio. Hæc autem, cum agitur de magnis Principibus qui in Religionem magis influunt, debet expresse

presse a S. Pontifice concedi, uti æquum est, ac praxi antiqua constitutum. In iis vero quæ ad plebeios spectant, tenenda est locorum consuetudo. Monet Pichlerus lib. 4. Decretalium, tit. 1. n. 131. *vulgares homines in Germania præscripsisse quoad licentiam ab Episcopo obtinendam.* Saltem Catholici vulgares nihil in hoc tanto negotio agere debent, nisi consulto prius Parocho, qui clausulas prolis educationem spectantes attente perpendat, quique, si periculum Fidei immineat, consensum deneget, aut rem totam ad Episcopum rejiciat.

Specialis adnotatio.

Sedulo animadvertendum est nos in propositione 6. non dixisse simpliciter cum pluribus Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum; sed nos id asseruisse tantum de Matrimonio *quod inter personas baptizatas ritu Ecclesiæ contrahitur*, et quidem merito. Cum enim ex modo dictis constet Matrimonium inter non baptizatos, inter Hæreticos, imo aliquando inter Fideles posse in ratione contractus valere, licet non sit Sacramentum, inde consequens est omne Matrimonium non esse Sacramentum proprie dictum, sed illud tantum quod inter personas baptizatas ritu ecclesiastico perficitur. Nec alium sensum habet Tridentina Synodus sess. 24. ubi definit *Matrimonium esse novæ Legis Sacramentum.* Ibi enim, inquit Jueninus, Concilium loquitur de Matrimonio quod a legitimo Ministro dispensatum fuerit, perstringens videlicet Lutheranos et Calvinistas qui nequidem Matrimonium ejusmodi inter Sacramenta recenseri volebant. Sic Pœnitentia et Ordo sunt Sacramentum ex Concilio Trid. nec tamen omnis Pœnitentia et Ordo est Sacramentum. Igitur Matrimonium a Sacramento Matrimonii distinguitur, cum unum possit existere sine altero. Distinctionem hanc apertis verbis exprimunt plures Catechismi, in quibus dicitur Matrimonium a Sacramento

mento sanctificari, non vero Matrimonium esse ipsummet Sacramentum. *Qu'est-ce que le mariage*, inquit Catechismus Montis-Pessulani? R. *C'est une societe legitime entre l'homme et la femme, que Dieu a etablie pour la multiplication du genre humain :* en matrimonium. Si autem quæsiveris quid sit Sacramentum Matrimonii? Respondet Catechismus Parisiensis: *C'est un Sacrement qui donne la Grace pour sanctifier la societe legitime de l'homme et de la femme.* Catechismus Ambianensis an. 1691. *Qu'est-ce que le Sacrement de Mariage?* R. *C'est un Sacrement que Jesus-Christ a institue pour benir l'alliance de l'homme et de femme.*

Eadem distinctio reperitur in Catechismis Andegavensi an. 1676. Suessionensi an. 1696. Blesensi an. 1728. Rhemensi an. 1692. Bizuntino an. 1608. Carnutensi an. 1699. Augustodunensi an. 1793. Trecensi an. 1733. et in aliis multis.

Matrimonium itaque et Matrimonii Sacramentum a se invicem distinguuntur, nempe *matrimonium est conjunctio viri et mulieris individuam vitæ societatem continens.* Matrimonii vero Sacramentum est ritus exterior Ecclesiæ, cui Gratia ex institutione Christi annectitur. Hinc forte minus accurate loqui videntur ii qui, ut vulgo legitur in Scriptis Theologorum, simpliciter et sine addito asserunt *Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum.* At vero durius ii reprehenduntur ab Auctore anonymo Libri in multis censura et reprehensione digni, cui tit. *examen de deux questions importantes sur le mariage*, an. 1753. Cum enim isti Theologi asserunt Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum, id intelligunt de matrimonio quod inter baptizatos, cum sacris cæremoniis administratur, intelligunt per hæc verba Christum in nova Lege Sacramentum instituisse, quo nuptiæ consecrarentur, Gratiaque nubentibus conferretur. Cum docent Christum in nova Lege matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexisse, non intelligunt Christum matrimonii naturam mutavisse, sed illum voluisse

voluisse ut matrimonium cum sacris cæremoniis administratum, per Gratiam sanctificaretur. Hinc ii Theologi ab illis qui dicunt matrimonium et Matrimonii Sacramentum distingui, tantum quoad terminos qui forte minus sunt accurati, sed non reipsa differunt, ut patet ex eo quod ii ipsi Theologi qui statuunt Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum, diverse tamen matrimonium et Matrimonii Sacramentum definiant, adeo verum est illos aliquam inter utrumque distinctionem admittere, nec intelligere quodlibet Matrimonium esse verum novæ Legis Sacramentum.

CAPUT TERTIUM.

De solemnitatibus quæ Matrimonium præcedere solent.

Duo sunt quæ matrimonium præcedere solent, sponsalia et bannorum proclamatio.

ARTICULUS I.

De Sponsalibus.

Dicendum occurrit de sponsalium natura, definitione, circumstantiis, ministro, effectibus, dissolutione, &c.

De natura et definitione Sponsalium.

Sponsalia, gallice *les fiancailles*, sic dicuntur a verbo, spondeo seu promitto. Quandoque sumuntur pro arrhis seu muneribus sponsæ aut sponso offerri solitis ; quandoque pro matrimonio rato quidem, sed nondum consummato, quo sensu Beata Virgo licet bene nupta, dicitur tamen *desponsata Joseph*. In præsenti Tractatu accipiuntur pro matrimonii promissione inter personas jure habiles.

Sponsalia definiuntur in Jure canonico, cap. *Nostrates*, 30. causa 5. *promissio mutua futurarum nuptiarum.* Differunt a matrimonio, quod videlicet matrimonium fiat per verbum de præsenti, *accipio te in conjugem;* sponsalia vero fiant per verba de futuro, *promitto te accepturum in conjugem.* Duplicis sunt generis sponsalia; alia ecclesiastica et solemnia, quæ fiunt in facie Ecclesiæ coram Sacerdote benedicente; alia non solemnia quæ carent illa solemnitate, et privatim fiunt, v. g. coram Notario, aut privatis scriptis in quibusdam Diœcesibus.

De conditionibus ad Sponsalium validitatem requisitis.

Sex vulgo numerantur conditiones ad validitatem sponsalium requisitæ. 1°. Ut promissio matrimonii sit vera. 2°. Ut sit mutua et ab utraque parte acceptata. 3°. Ut sit libera. 4°. Ut sit inter personas determinatas. 5°. Ut sit verbis, scriptis, aut aliis signis manifestata. 6°. Ut sit inter personas jure habiles.

Prima igitur conditio ad validitatem sponsalium requisita, est ut matrimonii promissio sit vera. Id patet ipsa sponsalium definitione. Si promissio ficta esset, non esset verus consensus ex parte simulantis, sed dolus. Hinc in foro conscientiæ nulla essent ista sponsalia. In foro tamen externo, ubi de intentione per verba judicatur, valida pronuntiarentur, quia simulans, si non virtute sponsalium, saltem ratione injuriæ alteri parti factæ, teneretur, promissionem servare, aut saltem injuriam illatam resarcire.

Secunda conditio est, ut ea promissio sit mutua, et ab utraque parte acceptata. Ratio est quia in omnibus contractibus onerosis utriusque partis obligationem inducentibus, utriusque illius partis consensus requiritur.

Hinc 1°. obligationem non parit matrimonii promissio etiam jurata, nisi acceptetur, quia in ista promissione

promissione subauditur conditio, *si velis, si acceptes;* nec in Tribunalibus Ecclesiasticis, nec in Curiis supremis admittitur ejusmodi promissio.

Quamvis autem sive ex Jure canonico cap. *Attestationes de Despons. impub.* sive ex Edicto Ludovici XIII. an. 1629. licitum sit in iis quæ ad matrimonii promissionem spectant, probationem testimonialem admittere, nihilominus ejusmodi probatio nunc in Galliis rejicitur. Sed ex Edicto altero ejusdem Regis an. 1639. requiritur in Tribunalibus ecclesiasticis et civilibus probatio scriptis firmata, etiam quando agitur de partibus infirmo loco natis.

In foro tamen conscientiæ obligat matrimonii promissio verbis aut quovis alio signo exteriori acceptata.

Quæritur vero an silentium rationem habere possit acceptationis vel promissionis? Id nobis pendere videtur ex circumstantiis: v. g. potest silentium haberi pro acceptatione et repromissione, in iis circumstantiis in quibus verecundiæ magis quam dissensui vel animo suspenso debet adscribi, ut si agatur de sponsalibus jam pridem optatis, ac industrie quæsitis. Idem dicendum est quoties silentium, ex occurrentibus circumstantiis, verum consensum denotant. Secus vero in aliis circumstantiis.

Tertia conditio est ut ea promissio sit libera, id est, facta cum ea advertentia quæ ad peccandum mortaliter sufficeret. Si enim in omnibus contractibus libertas sit necessaria, maxime in matrimonio ac proinde in sponsalibus ei connexis. Sponsalia sub peccato mortali obligant; ergo libertatem requirunt, qualis ad peccatum mortale requiritur.

Hinc sponsalia contrahere nequeunt 1°. ebrii. 2°. Amentes, rationis impotes, nisi lucida habeant intervalla. 3°. Ii qui, cum cæci, muti et surdi sint a nativitate, nequidem per signa matrimonii naturam capere queunt. Secus tamen de surdis, mutis et cæcis aliis qui multa difficilia intelligunt, suasque ideas signis externis manifestant, ut plures qui etiam

etiam confiteri et absolvi possunt. 4°. Nec etiam sponsalia contrahunt qui errant circa personam, quia talis error voluntatem ac proinde libertatem tollit.

Hinc 5°. sponsalia metu gravi, id est, qui cadere possit in virum constantem, inique extorta, defectu libertatis, nulla sunt. Ideo in Curiis supremis irritæ declarantur matrimonii promissiones a puellis aut viduis, perseverante ægrotatione, suis Medicis aut Chirurgis factæ, quia tales promissiones ut timoris ex morbo nascentis effectus habentur.

At vero controvertitur inter Theologos utrum sponsalia metu gravi extorta, pleno jure sint irrita, adeo ut etiam ante sententiam Judicis nihil valeant, nec ullam obligationem inducant; utrum vero solum veniant a Judice irritanda, adeo ut ante sententiam Judicis valeant. Probabilior nobis videtur opinio eorum qui contendunt ejusmodi sponsalia, si non jure naturali, saltem jure positivo, nimirum canonico, esse prorsus nulla. 1°. Quia ita sentiunt Theologi et Canonistæ celebriores. 2°. Quia matrimonium gravi metu extortum, fatentibus omnibus, nullum est ad minus jure positivo, sponsalia autem et matrimonia sunt connexa.

Nec eadem sponsalia valent, etiamsi juramento confirmata fuerint, quia juramentum, ut vulgo docent Theologi et Canonistæ, contractum jure nullum ac Legibus prohibitum ratum facere non potest. Volunt tamen perplures juramentum illud per se obligare, sicut obligat juramentum usuras solvendi, ex cap. 6. de *jurejurando*. Ratio eorum est quia hoc juramentum sine culpa servari potest. Unde, juxta eos, ut solvatur illa obligatio, in hoc casu dubio ab Episcopo petenda est dispensatio. Quæ quidem sententia probabilis est, aut saltem tutior, proindeque in praxi tenenda. Ex his sequitur ex sponsalibus metu gravi contractis non nasci impedimentum honestatis publicæ, cum ex Trid. sess. 24. de Matrimonio cap. 3. sponsalia invalida ejusmodi impedimento locum dare non possint.

Attamen

Attamen cum opinio eorum qui sponsalia metu gravi contracta pleno jure invalida esse contendunt, non sit omnino certa, procul dubio consultius est ac tutius ut pars quæ metum sibi gravem incussum quæritur, curet ut sponsalia sua per Judicem ecclesiasticum declarentur irrita. Addimus obtinendam esse in eo casu dispensationem honestatis publicæ, non a Papa, sed ab Episcopo qui in dubio potest a casibus Papæ reservatis dispensare, ut alibi videbitur.

Quarta conditio est ut sponsalia sint inter personas determinatas, non secus ac matrimonium quod, fatentibus omnibus, non potest contrahi nisi inter personas tales et determinatas. Hinc nec sponsalia, nec proinde impedimentum honestatis publicæ contraheret, qui unam e tribus sororibus se in conjugem accepturum esse promitteret.

Quinta conditio est ut promissio matrimonii verbis, scriptis aut aliis signis manifestetur. Requiritur enim ut sit reciproca, et utrinque acceptata. Quomodo autem promissio matrimonii potest acceptari, nisi signis manifestetur? Hæc autem manifestatio fieri potest 1°· non tantum verbis et scriptis, sed etiam *aliis signis*, v. g. nutibus, ut in mutis.

2°· Fieri potest non tantum inter præsentes, sed etiam inter absentes, videlicet per Nuntium et Procuratorem aut per Litteras. Eædem porro ad sponsalia per Procuratorem, quæ ad matrimonium, requiruntur conditiones. 3°· Fieri debet verbis affirmativis. Unde formula hæc, *non aliam ducam præter te*, sponsalia non inducunt. Hæc enim verba matrimonium futurum inter partes absolute non denotant, sed tantum conditionate, nimirum si matrimonium velint inire. 4°· Fieri debet verbis de futuro, ut habetur in pluribus Ritualibus, sicque multum differunt a matrimonio quod fit verbis de præsenti. Sponsalia verbis de præsenti inita Sanctione Blesensi art. 44. expresse prohibentur. Multis Curiarum supremarum Judiciis prohibitum est ne Sacerdotes ejusmodi sponsalibus assisterent.

Hæc autem vetita sunt ne sponsi id sibi licere existiment quod solis conjugibus licet. Si tamen impubes per verba de præsenti sponsalia contraxit, ex dispositione Juris, verba de præsenti non matrimonium, sed sponsalia tantum efficiunt.

Sexta conditio est ut ea promissio sit inter personas jure habiles.

Hinc 1°. sponsalia ante septennium completum contracta nullius sunt valoris, quia Jure canonico sive masculi sive fœminæ ante illam ætatem sponsalia valide contrahere non possunt. Fieri quidem potest ut rationis usus septennium præveniat, sed non idcirco valent sponsalia ante eam ætatem contracta, quia Lex absolute et sine illa restrictione ea irritat. Quamvis autem valida sint sponsalia a septennibus, rationis tamen usum adeptis, contracta, ac in quibusdam Diœcesibus permittantur, satius est tamen partes quarum interest, de iis dissuadere, propter incommoda quæ non raro ex iis nascuntur.

Hinc 2°. non valent sponsalia cum persona quæ habeat impedimentum dirimens vel prohibens, si perpetuum sit, nec per dispensationem auferri possit. Ratio est quia talis promissio esset de re impossibili vel illicita, ac proinde Jure naturali nulla, cum nemo teneri possit ad impossibile, nec debeat ad vetitum se obligare.

Si vero impedimentum sit duntaxat ad tempus, aut per dispensationem auferri possit, ut defectus pubertatis, votum castitatis pro certo tempore, iniri possunt sponsalia ut eo tempore impleantur quo cessabit impedimentum.

Igitur valent sponsalia contracta sub ea conditione, *si Papa dispensaverit*, cum nihil sit in ea conditione inhonesti vel impossibilis. Tenentur autem partes contrahentes, nisi alia sint pacta conventa vel locorum usus, communibus sumptibus dispensationem petere, quia hoc in ea promissione matrimonii tacite includitur, et est commune negotium. Si vero dispensatio denegatur, nulla fiunt ejusmodi sponsalia, ut satis intelligitur.

De

De variis Sponsalium circumstantiis.

Quæres 1°. an parentes pro filiis impuberibus sponsalia contrahere possint? Idem quæritur de socero, fratre, tutore.

R. 1°. parentes posse sponsalia contrahere pro impuberibus septennio majoribus, eosque impuberes, *si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, iis sponsalibus obligari*, inquit Bonifacius VIII. cap. *Si infantes, de Despons. impub. in* 6. Illud vero debitum, inquit Glossa, est honestatis tantum, non necessitatis, et ideo filii isti, cum pervenerint ad pubertatem, possunt ab iis sponsalibus etiam juratis resilire, nisi tamen antea conjunctio carnalis intervenerit, *ex cap. de illis, tit. de Despons. impuberum.* Illa tamen resiliendi facultas non impedit quominus contractum fuerit publicæ honestatis impedimentum.

Dixi autem, *etiam juratis*, quia juramentum sponsalibus oppositum eorum conditionem sequitur, nec præjudicare potest Legi in se utili qua possunt impuberes sponsalia resilire.

R. 2°. Quantum ad impuberes septennio minores, si parentes pro iis sponsalia contraxerint, nulla ex iis sponsalibus nascitur obligatio, nec filii septennium adepti tenentur ea pro ratis habere, quia nulla sunt ex Jure sponsalia ante septennium contracta. Si vero post septennium adeptum eadem rata habeant, iis obligantur, nec poterunt resilire ante pubertatem, bene vero post illam, modo statim contradicant. Hæc omnia comprobantur *ex cap. unico de Despons. impub. et ex cap.* 8 *eod. tit. extra.*

Dixi, *modo statim contradicant*, seu illico, ut loquuntur Canonistæ. *Illico* autem *fieri dicitur quod intra triduum fit*, ex Lege finali, Cod. *de Judiciis.* Igitur sine mora reclamandum est vel saltem reclamandi intentio manifestanda, alioquin rata

rata erunt ejusmodi sponsalia. Excipiendum tamen, si quis ignorat se ad pubertatem pervenisse, vel sibi competere jus resiliendi, quia tempus non occurrit ignoranti. Cæterum non verbis tantum sed factis sponsalia possunt approbari, ut si quis sponsi nomen gerere pergit, munera mittit ad eum, vel ab eo recipit.

Hic duo notanda sunt 1°. Si impuberes sponsalia contraxerint, qui primo pubes factus est, potest statim post pubertatem resilire, nec tenetur expectare donec alter pubescat. 2°. Si pubes cum impubere desponsatus fuerit, pubes resilire nequit, bene vero impubes, sed tantum cum pubertatem attigerit.

R. 3°. socrum, fratrem vel tutorem non posse pro privigno, sorore vel pupillo sponsalia contrahere, quia facultas hæc iis a Jure non confertur, nec proinde illis concedi debet, cum odiosa sit, impuberumque libertatem lædat.

Quær. 2°. an filiifamilias, invitis aut insciis parentibus aut tutoribus, sponsalia contrahere possint?

R. 1°. nec Jure communi, nec ulla speciali Lege in Galliæ regno irrita esse ejusmodi sponsalia. Qui tamen existimant filiorumfamilias matrimonia sine consensu contracta in hoc regno esse nulla, eodem modo de sonsalibus sic contractis opinari videntur, quia sponsalia matrimonio sunt connexa.

R. 2°. graviter illicita esse ejusmodi sponsalia, propter violatas tum Ecclesiæ Leges, tum reverentiam parentibus debitam. Unde ad sponsalia ecclesiastica filiosfamilias non debent admittere Parochi, nisi de parentum tutorumve *consensu* scriptis, aut voce certissime constet. Cætrum sponsalibus sic contractis obligarentur filiifamilias, si postea consenserint parentes, secus vero si dissenserint.

Quæres 3°. an matrimonium ante pubertatem contractum, adeoque defectu ætatis irritum, saltem valeat in ratione sponsalium?

R. affirmative.

R. affirmative, ex cap. unico de Spons. in- 6. Verumtatem a tempore Concil. Trid. ut matrimonium ejusmodi vim sponsalium habeat, contrahi debet cum conditionibus Jure novo requisitis, v. g. coram Parocho et testibus. Hæc praxis Romæ servatur, teste Fagnano *in cap. de illis, de Desp. impub.*

Quæres 4°. quid sentiendum de sponsalibus inter Catholicum et Hæreticum initis?

R. hæc ordinarie illicita esse, imo et invalida. Nam matrimonium Catholici cum Hæretica, licet non sit invalidum communiter, tamen est illicitum. Porro sponsalia non possunt obligare ad illicitum.

Quæres 5°. an sponsalia quæ cohabitatio subsecuta sit, matrimonii rationem acquirant?

R. Rem ita olim fuisse ex Jure veteri; sed ex Conc. Trid. cui consentanea Sanctio Blesensis, art. 4. nullum nunc valere potest matrimonium, nisi coram Parocho et testibus celebratum fuerit.

Quæres 6°. an valeant sponsalia contracta sub conditione?

R. 1°. sponsalia contracta sub conditione aut necessario futura, vel præsenti quæ actu existat, vel præterita quæ exstiterit, valere statim ac contracta sunt; tum quia nullo Jure irritantur; tum quia non suspenduntur ex conditionum eventu, cum proprie non sint conditiones.

2°. Sponsalia contracta sub conditione de futuro contingenti, honesta et possibili, vim habent statim atque conditio posita est.

3°. Sponsalia contracta sub conditione impossibili, sunt invalida, cum ex Jure nulli ac irriti sint contractus omnes sub conditione impossibili initi, præter matrimonium et testamentum, propter favorem illis contractibus a Jure concessum.

4°. Sponsalia facta sub conditione de futuro, turpi et substantiæ matrimonii contraria, v. g. *ducam te, si prolis generationem vitaveris*, sunt invalida, ex consensu omnium Theologorum. Ratio est quia irritum est ipsum matrimonium sub tali conditione contractum, uti infra dicemus.

5°.

5°. Sponsalia contracta sub conditione inhonesta quidem, sed matrimonii substantiæ non repugnante, v. g. *ducam te, si forniceris mecum*, non valent, nec obligant, si conditio non fuerit impleta; quia nemo ad malum obligatur. At post impletam conditionem valida sunt. Nam ubique receptum est ut quipuellam sub matrimonii promissione deturpavit, si nihil aliud obstet, eam ducere teneatur.

6°. Sponsalia contracta sub conditione honesta, sed bonis matrimonii contraria, v. g. sub conditione castitatis servandæ, valent si conditio versetur circa matrimonii usum, jus vero reservetur quo uti licebit, si ita visum fuerit Superioribus. Ratio est quia jus solum, non usus, ad essentiam matrimonii pertinet.

6°. Notandum est ex probabiliori sententia sponsalia sub conditione inita statim post impletam conditionem valere absque novo consensu, si neutra pars consensum revocaverit; quia consensus conditionalis transit in absolutum. Si vero pars altera consensum revocaverit, sponsalia valere non possunt nisi novus consensus accesserit. At sponsus qui consensum revocavit, tenetur illum renovare, nihil aliunde obstet; quia contractus conditionatus duplicem obligationem inducit, aliam eventum conditionis expectandi, alteram fidem adimpletæ conditioni datam exsolvendi.

8°. Cum ex sponsalibus conditionatis multa nascantur incommoda, nec ejusmodi sponsalia sint Ritualium regulis consentanea, non debent ea permittere Parochi, nec sua præsentia approbare, nisi urgeant gravissimæ causæ.

9°. Notandum est ex sponsalibus conditionatis nunquam publicæ honestatis impedimentum, nisi post impletam conditionem, exoriri.

De pœnis a Sponsalibus resilienti impositis.

Quæres 1°. utrum liceat in sponsalibus pœnam apponere

apponere a resiliente persolvendam : v. g. si resilieris, centum nummos mihi solves ?

R. 1°. stipulationem ejusmodi pœnæ illicitam esse ac invalidam, ut constat sive ex Jure canonico cap. 29. *de Sponsalibus et Matrimon.* sive ex Jure civili in Lege Titia 134. *ff. de Verborum obligat.* sive ex Jurisprudentia Curiarum hujus Regni supremarum ; sive quia ejusmodi stipulatio matrimoniorum libertati nocet.

2°. Ejusmodi stipulatio non tantum a sponsis, sed ab eorum consanguineis vel amicis facta, de Jure nulla est ; quia matrimonii libertatem lædit, cum quisque cordatus malit se quam amicos vel consanguineos sui causa damnum pati.

3°. Nec valent istæ stipulationes quamvis juramento firmatæ, sive in foro interno sive in foro externo, cum minime liceat juramentum contra Leges factum adimplere.

4°. Si quis tamen sciens se ad solvendum non obligari, pœnæ resilienti impositæ satisfecerit, non tenetur, ad restitutionem qui conventionalem pecuniæ summam recepit ; quia in eo casu donans de suo jure cessisse, et gratuito ad leniendum partis læsæ mœrorem ex agendiratione sua conceptum, non vi promissionis, dedisse censetur, Si vero qui solvit, ex errore existimaverit se ad solvendum obligari, qui mulctam recepit, non potest eam retinere, quia donans ex errore dominium non transfert.

5°. Si quis, altera parte resiliente, sponsalium occasione impensas fecerit, aut damnum passus fuerit, damni illati reparationem coram Judice laico repetere potest. Inde aliquando factum est ut Curiæ supremæ partem resilientem damnaverint ad solvendam mulctam inter contrahentes majores statutam, non quidem ut pœnam, sed ut damni reparationem a partibus contrahentibus determinatam.

Quær. 2°. utrum arrhæ possint sponsalibus apponi ?

R.

R. 1°. arrhas licite et valide posse sponsalibus apponi; arrha enim res est pretio æstimabilis sive a sponsis sive a parentibus in futuri matrimonii pignus et confirmationem data. Atqui res ejusmodi licite et valide potest sponsalibus apponi, ut constat ex Lege *Arrhis* 3. *Cod. de Sponsalib. et Arrhis.* Non tamen arrhæ debent esse admodum graves, ne recidant in pœnam pactitiam quæ in esponsalibus sedulo vitanda est.

2°. Post conjugium arrha danti restituenda est, nisi obstet loci consuetudo. Ratio est quia promissio impleta est.

3°. Sponsus injuste resiliens perdit arrham a se datam, quia fregit fidem.

4°. Quando alter solummodo sponsorum arrham tradidit, tunc qui eam recepit, si injuste resilit à sponsalibus, debet ex Lege 5. *Cod. de Sponsalibus*, eam in duplum restituere, imo in quadruplum, *si ex communi consensu inter contrahentes ita convenerit.* Minor tamen restituere non tenetur nisi id quod accepit.

5°. Sponsus justa de causa resiliens nec arrham datam perdit, nec acceptam in duplum restituere tenetur. Ubi enim non est culpa, nec debet esse pœna.

6°. Si sponsus qui arrhas tradidit, sit in mora culpabili, arrhæ cedunt in lucrum recipientis, vel si moritur, ejus hæredum. Æquum est enim *ibi pœnam esse, ubi et noxa est*, lib. 22. Cod. de Pœnis.

7°. " Cum neuter sponsus fuit in mora, et eorum " alter ante conjugium moritur, arrhæ, jocalia, et " alia similia, inquit Colletus, debent ejus hæredi- " bus restitui; quia ubi non præcessit culpa, nec " pœna sequi debet. Si tamen puella diu expec- " tando, commodi matrimonii occasionem præter- " misit, poterit accepta dona titulo compensationis " servare, præsertim si non reclament defuncti " sponsi hæredes.

De

De Sponsalium necessitate, utilitate, loco et tempore.

Quæres 1°. utrum sponsalia matrimonio sint necessario præmittenda?

R. negative, cum, Ecclesia non improbante, omittantur in multis Diœcesibus, cumque ad matrimonium sufficiat corporum traditio.

Ubi tamen sponsalia ecclesiastica præcipiuntur, juxta ritum præscriptum celebranda sunt, nec sine peccato gravi negligi possunt; quia potestati legitimæ debetur obsequium.

Quæres 2°. utrum utilia sint sponsalia?

R. ea utilia esse, 1°. ut facilius detegantur impedimenta dirimentia aut prohibentia, si quæ sint, 2°. Ut sponsi precibus aliisve bonis operibus faustum conjugium obtineant. 3°. Ut in re tanti momenti maturius agant. Nec dubium est quin ob eos fines instituta fuerint sponsalia.

Quæres 3°. quo in loco sponsalia celebrari debeant?

R. 1°. in Diœcesibus ubi sponsalia civilia tantum obtinent, posse ea quolibet in loco celebrari; quia specialem locum ubi celebrari debeant Lex nulla sancivit. Non decet tamen ut in popinis fiant. 2°. In Diœcesibus ubi sponsalia ecclesiastica vigent, debent, ex Ritualibus, in loco sacro et publico celebrari; nec proinde in Oratoriis Religiosorum aut Sacellis domesticis.

Quæres 4°. quo tempore celebrari possint sponsalia?

R. quovis tempore, etiam quadragesimali, quia id nulla Lege vetitum est.

De Ministro Sponsalium, ejusque officiis erga Sponsos.

Quæres 1°. quis sit sponsalium Minister?

R. Ministrum sponsalium ecclesiasticorum de quibus hic agitur, esse Parochum, aut eum qui

vices ejus gerit ; tum quia is solus est matrimonii Minister, ut postea videbimus ; tum quia sic in Libris ritualibus præscribitur.

Quæres 2°. an post Concilii Tridentini de Matrimoniis clandestinis Decretum, valeant sponsalia clandestina seu mere civilia, id est, ea quæ sine Parocho et testibus contrahuntur ?

R. 1°. illa valere et partes contrahentes in foro conscientiæ obligare, nimirum ratione promissionis ; et sub isto respectu eorum executio urgeri solet in foro ecclesiastico etiam externo.

2°. Iis in locis ubi sola vigent sponsalia civilia, ex Jure communi valent in ratione sponsalium et pariunt impedimentum publicæ honestatis. Nam

1°. juxta sententiam Juris civilis Leg. *Præcipimus* 32. *Cod. de Appellat. a Jure veteri non recedendum, nisi per novum exprimatur.* Porro Jure veteri valebant ante Concil. Trid. sponsalia civilia aut clandestina, nec jus illud immutatum est, cum sola matrimonia clandestina, non autem sponsalia a Concil. Trident. fuerint irritata. 2°. Sponsalia hæc Romæ habentur pro validis, ut sæpe declaravit sacra Concil. Trid. Congregatio. 3°. Sponsalia nihil aliud sunt nisi mutua matrimonii promissio. Atqui stat promissio hæc, sive privatim sive publice fiat. Igitur stare debet illius effectus seu honestas publica.

Nota in Galliis non valere in foro externo sponsalia citra Parochi præsentiam facta, nisi fuerint scriptis consignata, quia sanctione regia an. 1639. vetitum est ne Judices sponsalium probationem, nisi scripta sit, admittant.

3°. In multis Diœcesibus, v. g. Burdigalensi, Senonensi, Rhotomagensi, Parisiensi, in quibus vigent sponsalia ecclesiastica, imo in nonnullis ubi non vigent, v. g. Blesis, sponsalia civilia non valent in ratione sponsalium, nec inducunt impedimentum honestatis publicæ ; quia, ex veteri consuetudine, quæ, ex Greg. IX. *vincit Legem, cum generalis est et rationalis,* non tam ut sponsalia

quam

quam ut sponsalium pollicitationes in iis Diœcesibus habentur.

Dixi, *in multis Diœcesibus.* Nam in quibusdam aliis Diœcesibus, v. g. Carnutensi, Cameracensi, et aliis ubi vigent sponsalia ecclesiastica, nihilominus sponsalia mere civilia in ratione sponsaliuni valent, et publicæ honestatis impedimentum pariunt, ut constat ex Collationibus Carnutensibus, Manuali Cameracensi, &c.

Hinc sequitur in præsenti materia inquirendas esse locorum leges ac consuetudines, quibus spectatis, si dubium supersit, sponsalia clandestina seu civilia pro validis habenda sunt.

Quæres 3°. quænam sint Pastorum aut Confessariorum quoad sponsos officia?

R. 1°. Debent omni opera efficere ut desponsandi perpendant an vocati sint ad conjugalem statum, quandoque etiam ad hoc vel illud conjugium. 2°. Curare debent ut ab omni impedimento liberi sint. 3°. Omnia agere debent ut Sacramentum in statu Gratiæ recipiant, Confessionem sacramentalem præmittant, &c. 4°. Eosdem monere debent non majori post sponsalia quam antea ipsis utendum esse libertate, non esse sub eodem tecto commorandum, removenda quæ sponsis christianis indigna sunt, v. g. protervam juvenum et puellarum turbam, insolentem lætitiam, lautiores epulas, mensarum apparatum, aliaque id genus multis incommodis obnoxia. 5°. Parochus Neophytos, nisi ante perspecta fuerit eorum fides, vagos, inconsulto Episcopo, impedimento etiam prohibente tantum detentos, ante postulatam dispensationem, ad sponsalia contrahenda admittere non debet. Cavendum tamen ne propter impedimentum occultum aut non probatum, aut ex vagis tantum incertisque rumoribus notum quempiam a sponsalibus arceat.

Quæres 4°. quæ sint sponsorum erga Parochos officia?

R. sponsos teneri Parocho aut alteri Confessario

circa

circa ea quæ ad matrimonium præcipue spectant, inquirenti non solum candide respondere, sed et intimos conscientiæ recessus aperire, ut moniat, documenta, remedia pro circumstantiarum diversitate recipere possint.

De Sponsalium effectibus.

Sponsalium effectus præcipue duplex, obligatio nimirum et honestas publica. De posteriori dicemus, ubi de Impedimentis dirimentibus. De priori nunc disserendum.

Quæres 1°. an sponsalia valida, sub peccato ad matrimonium ineundem obligent, et quo tempore obligent ?

R. ea obligare, et quidem sub gravi, ut docent summi Pontifices in Jure canonico. Ratio est quia promissio mutua, utrinque onerosa, et quidem in re gravissima, parit obligationem justitiæ, et quidem sub peccato mortali, fatentibus omnibus Theologis.

2°. Si nullum obstat legitimum impedimentum, servari debet tempus in sponsalibus præfixum, nisi cum pars expresse vel tacite in moram consenserit. Sic enim obligant cæteri contractus.

3°. Si tempus nullum præfixum fuerit, sponsalia ad matrimonium ineundum obligant, quamprimum commode fieri poterit, ac petierit contrahentium alter, ut constat ex regula Juris omniumque Theologorum consensu.

Quæres 2°. an vir nobilis ac divitiis potens qui cum puella conditionis longe inferioris, cognita ut tali, sponsalia contraxit, nec spe matrimonii eam corrupit, teneatur eamdem ducere ?

R. per se teneri, modo non obstet legitimum impedimentum, quia sciens et volens cum ea contraxit. Scienti autem et volenti non fit injuria.

Dixi, *per se, et modo non obstet legitimum impedimentum.* Obstare autem possunt graves familiarum simultates, conjugum odia, rixæ, gravis pœnitudo

tudo viri, aliaque id genus mala, si ex conjugio tam dispari exoritura prævidentur, prout oriri solent. Nemo enim tenetur ad illicitum. Porro tale est matrimonium tantis malis obnoxium.

Si quid tamen damni sponsa inde passa fuerit, resarciendum erit vel dotem præstando, si opus fuerit, vel augendo.

Quæres 3°. utrum quis teneatur ducere puellam, quam, ficta matrimonia promissione, seduxit?

R. Vel puella intelligere potuit ex circumstantiis non sinceram, sed dolosam ad crimen obtinendum fuisse matrimonii promissionem: vel id intelligere non potuit. Si posterius, tenetur eam ducere qui corrupit, modo sit sui juris et major 25. an vel saltem honorem ablatum alia via resarcire. Si prius, non tenetur eam ducere, quia consensit puella, nec proprie seducta est. Licet autem casus sint in quibus nihil puellæ corruptæ debeat comparticeps criminis, plerumque tamen debet illius parentibus, si nimirum puellæ corruptæ dotem augere cogantur, ut paris conditionis viro nubere possit.

Quæres 4°. an debeat ad matrimonium compelli qui promissionem sponsalitiam implere sine justa causa recusat?

R. 1°. in foro conscientiæ eum esse compellendum aut denegando aut differendo absolutionem, quia gravis injustitiæ reus est, nec proinde absolutione dignus.

2°. Jure communi in foro externo, si instet altera pars, a Judice ecclesiastico legitimis compelli potest mediis, v. g. censuris, mulctis, nisi inde nascitura prævideantur mala quæ ex matrimoniis non raro nascuntur, ut gravia jurgia, divortia, homicidia, &c.

3°. In Galliis sponsus qui matrimonium inire sine causa recusat, per censuras ecclesiasticas non cogitur ad contrahendum. Si compelleret Officialis, Sententia illius in Tribunalibus laicis abusiva declararetur: si tamen sponsus ille in dissensu

perseveret, a Judice ecclesiastico certa stipe pauperibus eroganda mulctari potest. At pro damni compensatione ad Judicem laicum recurri debet.

De causis Sponsalium dissolvendorum.

Diversæ sunt sponsalium dissolvendorum causæ.

Causa 1. *Mutuus Sponsorum consensus.*

Sponsalia solvit mutuus liberque sponsorum consensus quo sese invicem a promissione data liberos faciunt. Excipiendi sunt tamen impuberes qui non possunt, etiam ex mutuo consensu, a vinculo sponsalium eximi; idque prudenter statutum est, ne videlicet propter fragilis ætatis levitatem, nova sæpius sponsalia contrahant, totiesque resiliant.

Causa 2. *Religionis ingressus.*

Constat 1°. sponsalia etiam jurata per professionem Religionis approbatæ dissolvi, cum per eamdem professionem matrimonia etiam rata, si tamen non consummata, dirimantur, uti postea videbimus. Nec violatæ fidei accusari potest sponsus qui Religionem ingreditur, quia sponsalia conditionem continent, nimirum ex iis nullam obligationem orituram esse, si sponsorum alteruter statum perfectiorem suscipere velit.

2°. Communiter et quidem merito, sentiunt Theologi per solam habitus religiosi susceptionem dissolvi sponsalia ex parte sponsi in sæculo remanentis, qui consequenter statim a fide data eximitur. Ratio est quia eo ipso quo sponsus Noviciatum ingreditur, suo juri renuntiasse censetur, ac subit mutationem, prudentum judicio, notabilem, quæ sufficiens est sponsalia dissolvendi causa.

3°. Sponsalia non dissolvuntur ex parte sponsi qui Religionem ingressus est, adeoque, si eam postea deseruerit, debet, altero requirentem, fidem datam

datam servare. Ratio est quia, ex Jure, sola professio, non ingressus Religionis sponsalia ex omni parte dirimit.

Cæterum licet quidem sponso, invita comparte, Religionem ingredi, sed modo id non fiat in fraudem et cum alterius infamia vel damno quod non possit aliter quam per matrimonium resarciri, v. g. si sponsa gravida sit; tunc enim ingressus Religionis et votum illius forent illicita.

CAUSA 3. *Sacrorum Ordinum susceptio.*

Certum est 1°. sponsalia non dissolvi ex parte, viri per minorum Ordinum susceptionem; tum quia id nullo Jure statutum est; tum quia inde fraudi pateret aditus, cum Ordines isti qui non ligant, facile suscipi possint.

2°. Sponsa tamen in eo casa libera fit a promissione sponsalitia; sive quia suscipiens minores Ordines censetur tendere ad majores, matrimonioque renuntiare; sive quia levitatem magnam, ac proinde mutationem notabilem ostendit.

3°. Certum est sponsalia per sacrorum Ordinum susceptionem dissolvi, quia Ordines sacri ad continentiam obligant, ex Trid 24. can. 9.

Quæres 1°. an qui sponsalia contraxit, licite possit sine alterius partis consensu sacros Ordines recipere?

R. affirmative, modo id fiat non in fraudem, sed bona fide, et sine gravi sponsæ damno; tum quia in sponsalibus subintelligitur conditio hæc: *nisi contingat notabilis mutatio vitæ in melius;* tum quia sponsa rationabiliter non potest resistere Deo sponsum ad statum perfectiorem ac vergentem in Ecclesiæ utilitatem vocanti.

Si vero sponsus, sponsa non consentiente, sacros Ordines susceperit, sicque damnum eidem intulerit, illud resarcire tenetur.

Quæres 2°. an sponsalia dissolvantur per simplex votum castitatem perpetuam servandi, aut Religionem

Religionem profitendi, aut Ordines sacros suscipiendi?

R. 1°. sponsalia, tali voto, si præcesserit, dissolvi; quia sunt de re jam Deo obligata, ac proinde Deo displicent, nec valere possunt. Si tamen sponsa occasione sponsalium ac sub spe matrimonii corrupta fuerit, et voti a sponso emissi nescia, nec damnum ipsi illatum aliter quam per matrimonium reparari possit, censent vulgo Theologi, idque videtur æquitati consentaneum, sponsum teneri, requirente sponsa, factam ei promissionem implere.

2°. Si tale votum sponsalia subsecutum sit, multi affirmant, et quidem probabilius contra nonnullos id negantes, sponsalia in eo casu valere, votum autem istud esse invalidum. 1°. Quia Deus coli non vult cum injuria alterius. 2°. Quia id a contractibus arcendum est, per quod eorum obligatio elidi facillime possit. Quid autem facilius sponsis, si velint contractus initi vim eludere, quam castitatem vel Ordinum susceptionem vovere? 3°. Ideo præcipue, juxta alterius sententiæ Patronos, valet in præsenti casu votum, et sponsalia per illud dissolvuntur; quia hæc conditio sponsalibus inest, *nisi statum perfectiorem elegero.* At ista conditio non est generalis, sed ex Jure et Ecclesiæ Legibus ad solos casus Professionis religiosæ et Ordinum susceptionis extenditur.

Fatendum tamen, id iisdem Theologis, ejusmodi voti vim aliquam inesse, qua fit 1°. ut qui castitatem vovit, non possit, si nubat, ad uxore debitum petere, nec, ea defuncta, aliam ducere. 2°. Ut, eadem consentiente, vel mortua, votum castitatem servandi, Religionem profitendi, aut Ordines suscipiendi implere teneatur.

Causa 4. *Discessus alterius partis.*

Si sponsus absque consensu sponsæ terram, ubi cum sponsa habitabat, dimiserit, et ad alias partes domicilium transtulerit, vel in regionem remotam commigraverit,

commigraverit, sponsæ liberum erit ad alia votatransire, nisi spes subsit eum brevi rediturum. Ratio est quia censetur sponsus voluntatem mutasse, spretaque sponsæ amicitia, suo in eam juri renuntiare. Ita definit Alex. III. *lib.* 4. *Decretalium, tit.* 1. *c.* 5. *de Sponsalibus.*

Vera est responsio, 1°. etiam cum sponsus animum habet revertendi, sed post multum tempus; tum quia sponsa tandiu expectando, commodi matrimonii occasionem amittere potest; tum quia non meretur expectari sponsus qui nequidem sponsam de secessu aut mora diuturna consulere dignatus est; tum quia Alex. III. jam laudatus modo illimitato loquitur.

Vera est eadem responsio, 2°. etiam cum sponsus ex causa necessaria vel utili ad longum tempus abesse cogitur, propter easdem rationes.

Dixi autem *nisi spes subsit eum brevi rediturum;* tunc enim ratio dictitat eum esse expectandum, vel si saltem tempus esse præfigendum, ultra quod sponsa sibi providebit.

Causa 5. *Mora in Sponsalibus adimplendis.*

Vel tempus ad contrahendum matrimonium in sponsalibus præfixum est, vel non.

Si tempus præfixum sit, hoc elapso, liberum est ei resilire per quem non stat quominus celebratum fuerit matrimonium. Ita expresse definit Innoc. III. in *cap. sicut Desponsal. et Matrimon.* Ratio est quia resiliens in eo casu jure suo utitur, statque pacto inito, nec proinde peccat. At vero qui in mora est, non potest resilire, quia culpa nemini patrocinari debet.

Si tamen mora sit extra omnem culpam, nec nisi ad breve tempus, censent communiter Theologi sponsalia tunc minime dissolvi; nec censuram publicam declinaret sponsa quæ promissionem revocaret, v. g. quia sponsus, die ad matrimonium statuto, patrem morientem invisit, aut similibus de causis ad

ad paucos dies cæremoniam nuptialem distulit. Quia tamen nonnulli aliter sentiunt, consulendus est Judex ecclesiasticus, cujus est rem ex circumstantiis definire.

Si vero nullum tempus ad matrimonii celebrationem in sponsalibus præfixum fuerit, tunc sponsalia vim servant in omne tempus, nisi fuerit extraordinarium. Nec tamen culpa carebit ea pars, præsertim sponsus, qui nimium differet; imo censebitur suo juri renuntiari, si longiorem moram afferat. In his casibus parti negligenti tempus præfigendum est, ultra quod jam sponsalia non obligant. In Gallis, cum pars quæ in mora est, ab anno alteram non inviserit, si eodem erat in loco; nec ad eam scripserit, si absens erat, sponsalium rationem nullam habent Officiales.

Notandum est ea cuncta quæ de sponso modo dicta sunt, de sponsa pariter esse intelligenda.

Causa 6. *Notabilis mutatio.*

Sponsalia etiam jurata dissolvit notabilis rerum mutatio quæ talis sit ut matrimonium longe difficilius ac magis injucundum efficiat, partemque alteram a sponsalibus deterruisset, si prius exstitisset aut cognita fuisset. Ratio est quia in omni promissione sponsalitia continetur hæc tacita conditio: *non contigerit mutatio notabilis*, ut traditur *cap* 27. *de Jurejur.* Diversæ sunt autem illæ mutationes propter quas sponsorum alteri licitum sit sponsalia revocare aut dissolvere. Sequentes assignari solent.

1°. Ratione corporis, si in altero sponso detegatur lepra, paralysis, morbus aliquis contagiosus et incurabilis; si supervenerit gravis deformitas oculi, nasi, brachii amissione, aut quocumque alio modo. Item si sponsa ab oris venustate notabiliter exciderit, quia licet virtus cæteris omnibus anteponenda sit, verendum est tamen ne sponsus, horrore de sponsa concepto, fidem conjugi debitam frangat.

2°.

2°. Ratione animi, v. g. si alter ex sponsis hæresim amplexus sit aut professionem impiam, si gravem incurrerit infamiam juris aut facti, ut si in furto deprehensus sit, si scortator, aleator, ebriosus, ferox moribus, &c. Si puella quæ putabatur virgo et honestis moribus, temerata est, vel pravis moribus, vel, ut multi dicunt, vidua: item si inter sponsos aut eorum parentes natæ sint discordiæ, unde probabiliter secururi sunt funesti in matrimonio successus.

3°. Ratione fortunæ, v. g. si dos promissa defecerit; si sponsorum alter in gravem inopiam inciderit; si rationabilis metus exhæredationis superveneriit. Quin imo, si ambo e fortuna commoda ad paupertatem devenerint, communior sicut probabilior opinio est utramque partem posse resilire, quia per utriusque inopiam gravius redditur matrimonii jugum, fortasseque a sponsalibus deterruisset, si prævisa fuisset illa paupertas.

Si vero, una parte in eodem statu perseverante, partis alterius opes insigniter excreverint, alii affirmant negant alii sponsalia dissolvi. Si eadem fere sit utriusque sponsi conditio, nec immenso fortuna distet intervallo, urgendus est ditior ut stet promissis, non tamen cogendus sub privatione absolutionis. Quidquid sit, resiliens tenetur saltem damnum parti relictæ illatum compensare.

His quædam addenda sunt. 1°. Si pars una ante sponsalia defectu quodam laboret, quem tanta arte occultasset, ut ab altera parte prorsus ignoraretur, non teneretur pars ignorans, defectu jam cognito, stare promissis, juxta hanc regulam Juris: *Paria sunt non esse et non apparere, res dicitur fieri quando primum innotescit.*

2°. Pars quæ laborat occulto defectu, et cognoscit aliam partem, si ei cognitus foret ille defectus, matrimonium nec esse promissuram, nec inituram tenetur illum defectum manifestare aut a sponsalibus abstinere; aut si jam inita sunt sponsalia, debet a matrimonio abstinere eo meliori modo quo poterit, idque

idque præsertim, si pars altera damnum grave ex eo defectu passura sit, ut si sponsa esset gravida, et futurus maritus cogeretur alienam prolem alere; vel si prævideat hunc defectum, cum detectus fuerit, ægerrime esse ab alia parte ferendum, eumque multorum jurgiorum futuram esse causam.

Causa 7. *Impedimentum superveniens.*

Dissolvuntur sponsalia per superveniens Juris impedimentum dirimens, v. g. per affinitatem ex fornicatione unius cum consanguinea alterius in primo vel secundo gradu provenientem. Ratio est quia ejusce modi impedimento detenti nter se matrimonium contrahere nequeunt.

Verum tamen si pars innocens id exegerit, tenetur auctor criminis unde nascitur impedimentum dispensationem postulare; tum quia jus alterius sua culpa violavit, ac proinde tenetur illud resarcire; tum quia nemini crimen patrocinari debet.

Causa 8. *Fornicatio.*

Unius partis fornicatio sponsalia subsequens, legitima est sponsalium dissolvendorum causa, cap. *Quemadmodum, tit. de Jurejur.* Quod S. Antoninus intelligi vult de spirituali fornicatione, puta hæresi et apostasia. Sola autem pars innocens a vinculo sponsalium eximitur; non rea, cum ex regula Juris, *nemo ex delicto, meliorem suam conditionem facere possit.*

Notandum est 1°. decisionem hanc tam pro sponsa quam pro sponso valere; quia sponsus non secus ac sponsa, si fidem fregerit, merito suspectus fit de fide in posterum non servanda, nec locum dat sperandi felices futuros esse matrimonii promissi exitus.

2°. Si sponsus aut sponsa utrinque peccaverint, censent nonnulli dari compensationem delicti, neutrique

trique licitum esse a sponsalibus resilire. At vero probabilior nobis videtur opinio eorum qui existimant sponso licitum esse resilire, non autem sponsæ, quia longe funestiores exitus habet sponsæ quam sponsi incontinentia, quandoquidem spurios cum legitimis filiis in partitionem hæreditatis advocat. Unde omnia non sunt paria, nec datur compensationi locus.

3°. Sufficiunt ad dissolutionem sponsalium liberiores amplexus a sponsa cum alieno permissi, quia tunc puella inde vilior fit, ac parum pudica merito præsumitur. At non idcirco sponsus resilire potest, quod sponsatam erga se faciliorem invenerit; tum quia fidem et datam non fregit; tum quia facilius sponsa sponso cedere censeter; nec licet inferre eam cum alieno æque facilem esse futuram; tum quia sponsus suæ compartis lapsum sibi imputare debet.

4°. Datur sponsalium dissolutioni locus, etiamsi sponsa vi fuerit oppressa seu ad crimen coacta, cap. *Raptor*, casua 27. q. 1. Ratio est quia sponsa inde mutationem notabilem subiit, et ex æstimatione communi vilior facta est. Præterea raro contingere potest ut ab omni imprudentia excusari possit, valdeque dubium an nullus accesserit consensus.

Quæres an fornicatio sponsalia antecedens, prius ignorata, deinde vero cognita, sufficiat ad eorum dissolutionem?

R. 1°. sponsum, ob fornicationem sponsæ antea ignoratam, sed postea detectam, sine dubio posse resilire; tum quia vilior facta est, ex prudentium judicio; tum quia timendum est ne, sub matrimonii velamine, quo crimen obtegitur, deinde facilius delinquat.

2°: Controvertitur an sponsa propter simile sponsi crimen possit ei datam fidem retrahere. Ratio dubitandi est, quia sponsi crimen in viro minus turpe est, minusque exitiosum. Quidquid sit, saltem certum nobis videtur sponsam posse resilire,

si sponsus cum pluribus peccare consueverit, aut prolem ex aliena susceperit. Hæc enim mutationem notabilem inducunt.

Causa 9. *Matrimonium subsequens.*

Nona dissolvendorum sponsalium causa est matrimonium valide ab uno ex sponsis cum alia persona initium; cum enim matrimonium sit indissolubile, promissio de priori matrimonio jam impleri non potest. Sed qui fidem datem violavit, graviter peccavit, *pœnitentiaque ei de violatione fidei, injugenda est*, ait Greg. IX. cap. *Si inter, de Sponsal. et Matrim.* Pars autem altera libera manet, nec opus est ut Judex sponsalia hæc irrita esse declaret, cum ex ipso Jure nulla sint. Potest eadem pars damni compensationem in Tribunalibus petere.

Si matrimonium post sponsalia contractum, foret invalidum, dissolventur sponsalia ex parte sponsi derelicti, propter injuriam ei illatam. Stant vero ex parte alterius sponsi. Non enim præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum, ex regula Juris 52, *in*-6. Imo probabile multis videtur sponsalia priora ex parte sponsi matrimonium validum cum aliena contrahentis, non omnino dissolvi, sed tantum suspendi, adeo ut, matrimonio soluto, v. g. per conjugis obitum, teneatur priorem sponsam ducere, si id requirat, nec juri suo verbis aut actibus renuntiaverit. Ratio eorum est, quia sponsalia hæc nec Jure naturalia nec positivo dissolvuntur. 2°. Quia nemo ex infracta fide utilitatem percipere debet.

Quædam aliæ Sponsalium dissolvendorum causæ.

Legitima sponsalium dissolvendorum casua est 1°. alterius partis diffamatio sive a comparte sive a voce publica, modo sit vere publica. Ratio est quia notabilis mutatio supervenit. Hinc si sponsus

palam

palam falso aut vere jactet se cum sponsa peccavisse, hæc non tenetur promissis stare.

Idem decendum est, si fama percrebuit alterutrum sponsum impedimento dirimenti esse ligatum. Addidimus, modo vox sit vere publica Hæc enim valde distinguenda est a vagis incertisque rumoribus animo credulo, levi aut etiam malevolo sparsis.

2°. Gravis scandali vel infausti futurarum nuptiarum exitus timor, si bene sit fundatus. Ratio est quia sine delicto nemo potest id agere, ex quo sequitur grave scandalum, et unde nascuntur multa odia et jurgia sive inter contrahentes sive inter eorum consanguineos.

3°. Contradictio parentum, cum matrimonium a filiisfamilias sine consensu parentum minime contrahi debeat.

4°. Sponsalia ab impuberibus initia dissolvuntur, cum pars altera annos pubertatis adepta reclamat; idque privilegii tenellæ eorum ætati concessere Leges.

5°. Potest una pars a sponsalibus resilire, cum ex metu gravi contraxit, nec postea verbis aut factis priorem contractum approbavit.

Utrum Sponsalia priora per posteriora dissolvantur?

Constat generatim loquendo, sponsalia priora per posteriora minime dissolvi; cum ex duabus obligationibus æqualiter et ejusdem generis, si ambæ non possint impleri, posterior priori cedere debeat. At difficultas nasci potest ex quibusdam circumstantiis quæ aliquando posterioribus sponsalibus adjunguntur. Hinc dubium esse potest 1°. an sponsalia priora etiam non jurata dissolvantur per posteriora jurata. 2°. An sponsus, dissolutis prioribus sponsalibus, v. g. per prioris sponsæ mortem, aut alio modo, teneatur posteriora exequi. 3°. An sponsus, si secundam sponsam sub spe matrimonii defloravit, teneatur in damni compensationem eam ducere.

Ad.

Ad 1. *resp.* sponsalia non jurata minime dissolvi per sponsalia juramento confirmata. Ratio est quia juramentum in hoc casu est de re illicita et contra bonos mores. Porro ex regula Juris 58. in-6. juramentum non potest esse iniquitatis vinculum, *nec contra bonos mores obligare.*

Hæc tamen sponsalia, respectu partis cui prior fides data fuerat, non sunt obligatoria; sive quia violator fidei suo juri hoc ipso renuntiavit; sive quia fides ei non debetur qui prius fidem datam infregit.

Ad 2. *resp.* sponsum, dissolutis prioribus sponsalibus, non astringi posterioribus, nec teneri secundam sponsam ducere. Ratio est quia posteriora sponsalia ab initio fuerunt invalida, cum essent de re illicita. Porro, ex Reg. Jur. *non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.*

Hinc idem sponsus nequidem posteriorem sponsam ducere tenetur, etiamsi prior sponsa ex charitate vel alio motivo jus suum in gratiam illius cedat. Quod enim Jure nullum est, obligare nequit. Fieri tamen potest ut sponsus non vi sponsalium, sed ratione scandali et damni compensandi, posteriorem ducere teneatur.

Ad 3. *resp.* sponsum qui secundam sponsam sub ape matrimonii corrupit, non teneri eam ducere, si ipsa priorum sponsalium fuerit conscia. Id constat sive ex consensu omnium Theologorum; sive quia hæc non fuit decepta, sibique ipsi quod passa est damnum imputare debet; sive quia jus priores sponsæ lædi non potest per injuriam ipsi a posteriore sponsa illatam.

Si vero hæc sponsa priorum sponsalium fuerit nescia, sponsus saltem aliquando eam ducere tenetur, modo sponsa prior de jure suo cedat. Ratio est quia damnum ei illitam aliquando non potest alio modo resarciri.

Utrum vero prior sponsa teneatur aliquando de suo jure cedere, ex circumstantiis judicandum est: nimirum si prior sponsa ex inexecutione sponsa-

lium

lium nullum aut leve damnum patiatur, facileque maritos alios inveniat; posterior vero nisi ducatur a corruptore, maximum damnum passura sit, v. g. hæreditatem paternam amissura, vel a tota familia deserenda, prior sponsa procul dubio ex charitate tenetur de jure suo cedere, ut tot mala avertat: *Quodcumque vultis ut vobis faciant homines, et vos facite illis.*

De auctoritate ad sponsalium dissolutionem requisita.

Quæres utrum ad dissolutionem sponsalium Judicis Sententia requiratur?

R. 1°. Sententiam ex communi opinione non requiri, quando sponsalia partium consensu dissolvuntur, sive causa dissolutionis adsit, sive non, nisi aliter locorum Legibus constitutum sit. Nulla enim viget Lex generalis, quæ ad sponsalium dissolutionem Judicis Sententiam requirat, quando partes mutuo consentiunt.

Dixi, *nisi aliter Legibus locorum constitutum sit.* Nam in quibusdam Diœcesibus, v. g. Gratianopoli, Carnuti, statutum est sponsalia nequidem consensu partium sine Judicis Sententia posse dissolvi: quod iis in locis observandum est.

R. 2°. Cum sponsalia sunt clandestina vel occulta, et aliunde ea dissolvendi habetur causa moraliter certa, possunt sine Judicis Sententia dissolvi. Ratio est quia Ecclesia in casus occultos nullam habet jurisdictionem. Sponsus itaque qui jus habet sponsalia dissolvendi, potest propria auctoritate suo jure uti.

R. 3°. Nec quoque ad sponsalium dissolutionem requiritur Judicis Sententia, si hæc publica sint, modo tamen publica sit, sive de jure sive de facto, resiliendi causa, ut, v. g. partis unius matrimonium subsequens aut Religionis ingressus. Ratio est quia non inita sunt sponsalia, nisi sub ea conditione: si supervenerit aut detegatur notaria resili-

endi causa, licitum erit propria auctoritate resilire, modo tamen nullum inde sequatur scandalum. Porro in casu de quo loquimur, adest notoria resiliendi causa, neque ex sponsalium dissolutione ullum nascitur scandalum, siquidem causa dissolutionis est publica.

R. 4°. Si sponsalium dissolvendorum causa sit dubia, vel incerta tum jure tum facto, si unus ex sponsis renitatur, requiritur Judicis auctoritas. Ratio est quia nullus debet esse Judex in propria causa, neminique licet in dubio privata auctoritate alterum suo jure spoliare.

R. 5°. Solius est ecclesiastici Judicis, non laici sponsalia matrimonii dissolvere. Ratio est quia hæc ad Sacramentum proindeque ad rem spiritualem referuntur.

R. 6°. sponsalium dissolutionem pertinere ad illum Judicem ecclesiasticum solum qui jurisdictionem habet in foro externo. Ratio est quia sponsalium dissolutio est materia contentiosa, quæ non nisi scriptis, factis, testimoniis externis dijudicari potest.

ARTICULUS II.

De Bannorum denuntiatione.

Vox, *Bannum*, germanica est, cujus usum Franci et Franconia oriundi olim in Gallias invexerunt. Eo nomine intelligitur futuri matrimonii proclamatio coram frequenti populo facta vel facienda. Antiquissimus est in Ecclesia hodiernæ promulgationis ritus. Alii 9. sæculo, alii tardius eum incœpisse volunt. Quo præcise tempore incœperit videtur incertum. De matrimoni bannis nonnulla discutienda veniunt, quorum cognitio Pastoribus animarum maxime necessaria est.

De necessitate et causis Bannoram.

Quæres 1°. quæ sit bannorum denuntiationis necessitas ?

R. 1°. eam esse necessarium necessitate præcepti ecclesiastici. Concil. enim Trid. sess. 24. de Reform. c. 1. post Concil. Later. 4. jubet ut *in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.* Lex ista Ritualibus universis, perpluribusque Conciliis post Tridentinum celebratis confirmatur.

2°. Bannorum denuntiatio in Regno Gallico necessaria est necessitate præcepti civilis. Sic enim habet Edictum Blesense, art. 4. *Ad occurrendum abusibus et damnis quæ ex matrimoniis clandestinis oriuntur, decrevimus et decernimus, quod Subditi nostri cujuscumque status, qualitatis et conditionis existant, contrahere valide non poterunt matrimonium sine publicis bannorum promulgationibus factis tribus diversis diebus festis cum competenti temporis intervallo, a quibus dispensatio obtineri non poterit nisi post factam primam promulgationem : et hoc tantum ob urgentem et legitimam causam et ad supplicationem præcipuorum e consanguineis eorum qui contrahere volunt.* Confirmatum est Edictum Blesense Constitut. Ludov. XIII. an. 1629. multisque aliis Constitutionibus Regiis.

3°. Bannorum tamen proclamatio necessaria non est necessitate Sacramenti, seu, quod idem est, illius omissione irritum non fit Sacramentum. 1°. Quia de iis prorsus silent Scripturæ. 2°. Quia Concilia Lateranense et Tridentinum bannorum quidem proclamationem præcipiunt, sed nullibi ejus omissioni clausulam irritantem adjungunt. 3°. Si

Si bannorum promulgatio ad Sacramenti validitatem necessaria foret, non statuisset Tridentina Synodus Episcopos habere facultatem ab ista promulgatione dispensandi. Sic non permisit ut dispensarent a Parochi vel testium præsentia. Atqui tamen id statuit Trident. Synodus. 4°. Tandem Congregatio Concil. Trid. Interpres, matrimonium sine bannorum promulgatione posse valere apertis verbis declaravit : *Si omittantur denuntiationes*, inquit, *per hoc matrimonium non est irritum, si fuerint servata requisita.*

Frustra objiceretur Edictum Blesense modo laudatum expresse decernere Subditos Regis non posse sine bannorum proclamatione valide matrimonium contrahere, *declarons que les Sujets du Roi ne pourront valablement contracter mariage sans proclamation de bans.* Nam 1°. Edictum Blesense intelligi debet ad mentem Concil. Trid. cujus verba refert et confirmat. Atqui, ex modo dictis, Concil. Trid. minime statuit bannorum omissione irritum fieri matrimonium. 2°. Cum Episcopi Gallicani Ludovic. XIII. exorassent ut hæc Sanctionis Regiæ 1629. verba interpretari vellet : *Voulons que tous mariages contractes contre la teneur de l'Ordonnance de Blois, soient declares, non-valablement contractes*, responderunt Commissarii Regii verba hæc, *non-valablement contractes*, de civili tantum contractu esse intelligenda, ut videre est tom. 5. Memor. Cleri Gallic. p. 671. 3°. Multa sunt Curiarum supremarum Arresta quæ matrimonia non pauca sine præviis bannorum proclamationibus inita, modo alia ad eorum validitatem necessaria non deessent, valida declararunt, prout videre est in Arrestorum Dictionario. 4°. Demum si diversa fuerit olim quarumdam Curiarum jurisprudentia, saltem hac nostra ætate assertioni nostræ omninó consentanea est totius Galliæ disciplina : *on peut avancer*, inquit posterior Fevreti Scholiastes, *que selon la Jurisprudence de notre temps, le seul defaut de la publication des bans ne rend pas nul*

un

un mariage contracte entre majeurs, avec toutes les autres formalites.

Ex his concludere est matrimonium clandestinum præcise ex defectu promulgationis bannorum non esse invalidum. Si Curiæ supremæ iis ac præsertim minoribus qui sine bannorum denuntiatione matrimonium contraxerant, alias nuptias permiserint, id factum est ex defectu præsentiæ Parochi aut testium, aut aliis de causis, non vero præcise propter bannorum omissionem.

Quæres 2°. an Lex illa obliget sub gravi peccato ?

R. affirmative. 1°. Quia præceptum istud est in materia gravi, et datum est ut occurratur abusibus magni momenti. 2°. Quia graves pœnas in delinquentes decernit utraque potestas, præsertim civilis. Hinc Parochus, nequidem urgente Adventus tempore, et impossibili ad Episcopum recursu, privata auctoritate potest banni unius denuntiationem omittere ; alias in Curiis ecclesiasticis ac præsertim civilibus severe plecteretur. Vide Collatorem Paris. tom. 1. p. 185.

Quæres 3°. an omnes bannorum Lege teneantur ?

R. teneri omnes, *cujuscumque status, qualitatis et conditionis existant,* inquit Edictum Blesense. Excipiuntur tamen supremi Principes, quia eorum genus omnibus notum est.

Quæres 4°. quibus de causis instituta sit bannorum proclamatio ?

R. 1°. ut præcaverentur matrimonia clandestina. 2°. Ut detegerentur matrimonii, si quæ sint, impedimenta. 3°. Ne filiifamilias, inconsultis parentibus, matrimonium contrahant. 4°. Ut qui jam uni desponsatus, aliam ducere prohibeatur. 5°. Ut creditores hypothecarii qui in nonnullis Provinciis e jure suo per matrimonium excidunt possint matrimonio debitoris opponere. 6°. Ut Fideles de futuro conjugio præmoniti benedictionem cœlestem in sponsos suis precibus adducant.

Inde colliges alta et intelligibili voce fieri debere bannorum

bannorum proclamationem. Nec enim leviora nascuntur incommoda, sive intelligibili voce fiat, sive prorsus omittatur bannorum proclamatio.

De tempore quo Banna promulgari debeant.

Statutum est a Conc. Trid. antea laudato *tribus continuis diebus festivis inter Missarum solemnia* fieri debere bannorum proclamationem.

Quæres 1°. quid intelligi debeat per diem festivum ?

R. eum esse qui de præcepto Ecclesiæ ut festivus celebratur saltem in ea Parochia ubi contrahendum est matrimonium. Hinc banna nec promulgari debent in Festis ex sola devotione institutis, nec ad meridiem desinentibus, nec in diebus Cinerum, nec Feria 4. aut 6. majoris Hebdomadis.

Vetitum est in quibusdam Diœcesibus ne in Festis Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini fieret bannorum denuntiatio, quæ tamen in Festis immediate sequentibus fieri potest.

Quæres 2°. quo sensu accipiendæ sint voces illæ, *tribus continuis diebus festivis?*

R. verba hæc non sic esse intelligenda quod bannorum proclamatio fieri debeat tribus diebus festis immediate sese contingentibus, v. g. Paschatis, vel Pentecostes; cum potius tempus *competens*, juxta Concil. Later. et Edictum Blesense, id est, pro variis locorum consuetudinibus, saltem plena dies vel inter primam et secundam, vel inter secundam et tertiam intercedere debeat. Itaque Concil. Trid. mens est promulgationem unam non longiori ab alia intervallo sejungendam esse.

Similiter inter ultimam denuntiationem et ipsam matrimonii celebrationem intercedere debet aliquod intervallum, quod in variis Diœcesibus saltem diei unius esse debet. Hinc Parochus de promulgatione facta non debet testimonium statim tradere

tradere, sed duntaxat post aliquod temporis spatium, v. g. unius diei, ut denuntientur, si quæ sint, impedimenta.

Quod si post factas denuntiationes ad tempus paulo longius differatur matrimonium, novis opus est denuntiationibus ut cognoscatur novum quod suboriri potuit impedimentum. Spatium autem illud diversum est pro diversis locis. In quibusdam Diœcesibus sufficiunt duo menses, in aliis requiruntur tres aut quatuor, sex vero Parisiis.

Quæres 3°. quid sit intelligendum peristas voces, *inter Missarum solemnia?*

R. his verbis significari Missam parochialem et quidem solam. Non valet igitur bannorum denuntiatio in aliis Missis et quoquomodo extra Missæ parochialis solemnitatem facta. Si plures in eadem Ecclesia Missæ sunt parochiales, in unaquaque ex illis ad libitum proclamatio fieri potest. Vulgo tempus eligitur quo Evangelium exponi solet.

Fevretus Tract. de Abusu, lib. 5. c. 2. n. 23. contendit bannorum promulgationem extra Missæ parochialis solemnia, v. g. inter vesperas factam, daturam esse in Gallia locum appellationi tanquam abusu. Ita judicavit suprema Curia Tolosana, an. 1642. ut videre est in Dictionario Arrestorum. Idem Auctor ibidem alterum in simili causa Curiæ supremæ Parisiensis an. 1608. Arrestum refert, quo Parochus Legis Infractor in judicium vocatus est. Dubitant tamen alii viri eruditi in eo casu ejusmodi appellationi locum dari.

De loco in quo fieri oporteat Bannorum proclamatio.

Cum constet ex dictis banna intra Missam parochialem esse denuntianda, sequitur in ipsamet Ecclesia parochiali, non autem ad ejus fores, ea esse promulganda.

Quæres 1°. an semper sufficiat banna in una Parochia proclamari?

R.

R. non semper sufficere. Nam 1°. si contrahentium alter vel uterque commoretur in Annexa, quæ nempe ab alia principaliori seu matrice Ecclesia pendeat, usus quibusdam in locis obtinuit ut banna in utraque Ecclesia proclamarentur. Aliis tamen in locis alia viget consuetudo quæ in praxi tenenda est.

2°. Si contrahentes diversarum sint Parochiarum, in utraque bannorum fieri debet proclamatio.

3°. Si contrahentes, licet in eadem Parochia maneant, sufficiens tamen domicilium ibi nondum acquisiverint, banna denuntianda sunt tum in præcedentis tum in præsentis domicilii Parochia.

4°. Si pars una, vel utraque, ex alia Diœcesi venerit, nec in Parochia ubi nunc degit, per annum integrum habitaverit; vel si ex Parochia ejusdem Diœcesis in aliam migraverit, nec in Parochia quam actu incolit, per sex menses completos fuerit commorata; tunc non censetur ibi sufficiens domicilium acquisivisse, adeoque banna non tantum denuntianda sunt in actuali domicilio, sed insuper in Parochia quam ante migrationem habitabat. Ita expresse sancitum est Edicto Ludovici XIV. an 1697, quod per totum Galliæ regnum sedulo servari debet.

Quod si commoratio partium in utraque Parochia in qua ultimo habitarunt, sex menses aut annum ad domicilium requisitum non constituat, Episcopum suum consulat si cujus est celebrare matrimonium, ab eoque licentiam, vel, ut alii dicunt, domicilii dispensationem ad matrimonium celebrandum obtineat, nisi banna denuntientur in locis ubi antea per aliquod temporis intervallum animo commorandi manserunt.

5°. Si partes contrahentes æquale circiter duobus in locis domicilium habent, banna in utroque domicilio promulganda sunt. Monet Collator Andegavensis eos qui majorem anni partem ruribus agunt, ab hac duplici promulgatione non eximi, sub

eo

eo prætextu quod in urbe vectigalia solvant, ibique paschale debitum expleant. Quantum vero ad eos qui per majorem anni partem in urbe degunt, nec rure commorantur nisi rerum agendarum aut cœlo liberiore fruendi causa, sufficit eorum banna in urbe denuntiari.

6°. Si puella ætate major, per notabile tempus in Monasterio commorata sit, non solum in Parochia Monasterii, ubi parum nota est, sed etiam in patris aut matris Parochia, ubi notior est, banna promulganda sunt, ut docet Collator Andegav. Si vero sit 25. annis minor, non potuit etiam per commorationem annuam domicilium, ut matrimonium contrahat, acquirere. Unde sufficit, ad tenorem Edictorum regiorum, ut in domicilio novo actuali et in domicilio juris banna proclamentur. Ita decidit Officialis Parisiensis in Opusc. an. 1786. a Domino Thuet edito.

Quæres 2°. ubinam banna minorum qui necdum 25. ætatis annum assecuti sunt, denuntiari oporteat?

R. eorum banna esse denuntianda non solum in Parochia ubi habent domicilium facti, seu ubi de facto commorantur, sed etiam in Parochia ubi habent domicilium juris, id est, in Parochia parentum, tutorum aut curatorum, uti declaratum est in Edictis Ludov. XIV. an. 1669, et anni 1647.

Idem conservandum est etiam respectu viduorum et viduarum, si 25. annos nondum expleverint; nullam enim exceptionem patiuntur præfata Edicta. Imo sequitur ex eodem Edicto banna eorum qui 25. aut 30. annis majores sunt, *viduæ sint* aut non, si una cum parentibus commorentur, sed iis insciis domicilium in alia Parochia paulo ante matrimonium, conduxerint, in utraque Parochia, videlicet in domicilio parentum, et domicilio clanculum electo esse denuntianda. Sed majores qui bona fide extra domicilium parentum commorantur, non videntur saltem Edictis regiis adstricti

ad banna in duabus Parochiis proclamanda; sufficit vero si banna in domicilio facti proclamari curent, et parentum, ut contrahatur matrimonium, consensum obtineant.

Quæres 3°. quo in loco banna Famulorum denuntiari oporteat?

R. in Parochia Herorum, servatis aliunde Legibus modo expositis, sive majores sint, sive minores. Cæterum, nisi aliunde noti sint, sedulo inquirendum est tum in loco unde originem ducunt, tum in præcedenti domicilio, an a quocumque seu sponsalium seu matrimonii vinculo liberi sint.

Quæres 4°. quo in loco Militum banna promulgari oporteat?

R. denuntianda esse in Præsidiis aut in locis ubi ab anno degunt, vel anno proxime elapse commorati sunt. Aliunde sive minores, sive majores sint, Leges modo memoratas, quantum ad parentes aut tutores, vel domicilii dispensationem, si sufficiens non acquisiverint, observare tenentur.

Cæterum hic observabimus an 1683, vetitum fuisse Ludov. XIV. Edicto ne exercituum Officiarii, ut aiunt, sine Inspectoris generalis licentia scripto mandata matrimonio conjungantur. Quamvis in hac parte nihil a codice militari, quantum ad Milites statutum sit, graviter tamen reprehensione dignus foret Parochus qui eos absque Ductoris (Capitaine) licentia matrimonio conjungeret, prout a legionum Tribunis (Colonels), didicisse testatur Collator Andegavensis. Valerent tamen hæc matrimonia, sive quoad Sacramentum, sive quoad effectus civiles.

Quæres 5°. quo in loco denuntiari oporteat Vagorum et Alienigenarum banna?

R. banna eorum esse denuntianda non solum in loco ubi nunc degunt, sed insuper in loco originis, vel saltem ubi diutius commorati sunt; eumque contingat sæpe ut ejusmodi homines, priore uxore relicta, aliam vel etiam plures alias ducant

ducant, sedulo inquiri debet an aliam aut alias uxores non habeant, exigique debent, quantum fieri potest, virorum fide dignorum ea de re testimonia.

Cætérum de matrimoniis Vagorum, Alienigenarum, et aliquando Militum consuli debent Episcopi, idque a Concil. Trid. et a pluribus Ritualibus præscribitur. Vide ea quæ dicturi sumus ubi de præsentia Parochi et clandestinitate matrimonii.

De iis quorum est Banna promulgare.

Certo constat banna a proprio contrahentium Parocho esse denuntianda. Ita statutum est a Concil. Trident. diversis Ritualibus, Edictoque regio an. 1639. Hinc nec promulgari debent a Parocho primitivo, nec a quovis alio Sacerdote, nisi a Parocho proprio aut Episcopo deputatus sit; multo minus a Notario vel Apparitore aut quovis Laico; alias nulla foret ista promulgatio, dareturque locus appellationi tanquam abusu, ut constat multis Curiarum supremarum Arrestis.

Nota hic per proprium Parochum intelligi non solum Curatum, sed etiam ejus Vicarios aut alios Sacerdotes ab eo deputatos.

Quæres quænam cautiones a Parocho sint adhibendæ sive ante sive post bannorum promulgationem?

R. minorum banna a Parocho nunquam esse denuntianda, nisi prius constiterit de parentum aut tutorum consensu. Ita sancitum est Edicto regio an. 1624. Imo consensus iste sponsalibus præire debet, si hæc sponsalibus præmittantur.

2°. Nec promulgari debent, nisi postulantibus ipsismet nupturis; aut si id alienorum sollicitationibus concedendum esse videatur, exigi debet ut postulationem chirographo muniant, ne videlicet, quod aliquando contingit, irrisionis aut contumeliæ causa id efflagitent.

3°.

3°. Si unius aut duplicis banni dispensatio concessa fuit, aut concedenda præsumitur, monendi sunt astantes, ut cito revelent qui aliquid revelandum norunt.

4°. Non licet nupturos ipsa denuntiationis die, nisi concesserit Episcopus, in matrimonium conjungere.

5°. Si impedimentum aliquod præsertim dirimens, quodque foro contentioso obnoxium esse possit, extra Confessionem Parochus detexerit, nupturum monebit, licet is invicte hoc suum vinculum ignoret, vixque ullam obsequii spem injiciat.

6°. Diligenter a sponsis eorumve consanguineis sciscitetur Parochus an contrahentes libere consenserint, an nullo cognationis impedimento laborent, an aliis matrimonium non spoponderint, an Fidei mysteria sint satis edocti, an paschali officio satisfecerint.

7°. Cum bannorum denuntiatio maximi sit momenti, neminem Parochus matrimonio conjungere debet, nisi testificatione sufficienti compertum habuerit ejusmodi bannorum denuntiationem sine oppositione factam fuisse in omnibus locis ubi ex Legum præscriptis fieri debet. Id patet, sive ex praxi universali; sive quia id sequitur ex Conciliis et Edictis regiis, quibus hæc denuntiatio præscribitur; sive quia alias Parochus matrimonium celebrans certo cognoscere non poterit nullam esse, in locis ubi denuntiatio facta est, matrimonio oppositionem. Ut autem sufficiens censeatur illa testificatio, diversa requiruntur pro diversa Ecclesiarum disciplina. Ex usu communiori, si partes diversæ sint Diœcesis, requiritur Parochi testificatio sigillo Episcopi seu Vicarii generalis, aut saltem Judicis aut Magistratus munita. Si vero partes sint ejusdem Diœcesis, tunc vulgo sufficit testificatio a Parocho qui banna denuntiavit subscripta. Si tamen Parochus ille foret longe dissitus, nec ipsius subscriptio recognosceretur a Parocho cujus est

Matrimonium

matrimonium celebrare, frausque in suspicionem veniret, exigi debet testificatio sigillo Episcopi vel Judicis munita, ut nullus de testimonii legitimitate dubitandi locus sit.

De bannorum forma.

1°. In bannis exprimi debent nomen, patria Parochia, conditio seu professio contrahentium, et eorum ex quibus nati sunt aut nati esse censentur. Si de vidua sermo sit, mentio fieri debet de priori marito. Si pater vel mater vita functi sunt, dicendum est, *filius vel filia talis defuncti.*

2°. Si sponsus uterque aut alteruter ex illegitimo matrimonio procreatus sit, reticenda erit illa circumstantia, silendumque parentis utriusque nomen, licet registris consignatum, idque ad removendam infamiæ labem. Unde satis erit exprimere illius nomen, artem, Parochiam.

3°. Si agatur de sponsis qui olim expositi sunt, prætermisso hoc vitio, designandi sunt sub nomine tunc ipsis indito, et quo in Parochia notiores esse solent.

4°. Si mulier cujusdam viri vidua existimetur, quamvis tamen nunquam illius uxor fuerit legitima, debet, ut vitetur infamia, designari sub viduæ nomine quo solet appellari.

5°. Dicendum est post singulas denuntiationes, hanc esse primam vel secundam vel tertiam, monendique astantes de dispensationibus concessis vel concedendis.

De obligatione quam Fidelibus importat Bannorum proclamatio.

Certum est Fideles matrimonii impedimenta sive dirimentia sive prohibentia, quæ ipsi noverint, nisi urgenti causa excusentur, teneri sub gravi peccato revelare. 1°. Quia Lex qua potestas utraque præcipit ut impedimenta matrimonii ma-

nifestentur ab iis qui ea noverint, est in materia gravi. 2°. Quia sub gravibus pœnis, nempe excommunicationis, ab Episcopis vulgo Fidelibus injungitur obligatio matrimonii impedimenta revelandi. 3°. Quia Fideles familiarum perturbationem, Sacramentorum profanationem, nubentium iniquitatem, peccataque ex illicito matrimonio secutura, quantum possunt, impedire tenentur.

Quæres 1°. an nemo Fidelium ab ista obligatione sit immunis ?

R. 1°. neminem, nisi urgenti causa, ut modo diximus, ab illa obligatione eximi.

2°. Nec alterius Parochiæ aut Diœcesis Incolæ a Lege impedimenta revelandi immunes sunt, si ea noverint. Episcopus enim præcipit revelationem non tam suo nomine quam Ecclesiæ et Principis, quibus sane non in unam Diœcesim tantum, sed et in vicinas inest jurisdictio.

3°. Nec ab ea Lege eximuntur sponsorum cognati aut amici, etiamsi sub secreti conditione impedimenti notitiam habuerint. Ratio est quia titulo cognationis et amicitiæ strictius amici vel consanguinei, crimen, scandala et omnia mala quæ ex talibus conjugiis solent exoriri, impedire tenentur. Insuper obligatio Legis ex qua pendet Reipublicæ tranquillitas, prolis nascituræ bonum, Sacramenti reverentia, soli titulo amicitiæ et obligationi secreti ex colloquio familiari, non ad consilium petendum accepti, sine dubio anteponenda est. Ita S. Thomos 2. 2. quæst. 68. art. 1. ubi ait *quod revelare secreta in malum personæ, est contra fidelitatem, non autem, si revelentur propter bonum commune, quod semper anteponendum est bona privato, et ideo contra bonum commune nullum secretum licet recipere.*

4°. Quidam tamen propter urgentes et gravissimas causas, uti modo dictum est, ab ea Lege eximuntur, ut si v. g. ex revelatione impedimenti nascitura sint mala gravissima, magnum Religionis detrimentum, familiarum perturbatio, sui ipsius

sius et aliorum infamia vel ingenus damnum. Nec enim Legislatores, cum nihil nisi æquitati naturali consentaneum intendant, sub tantis malis obligare voluerunt.

Ex eo principio sequitur 1°. ad revelationem impedimentorum nec teneri eos qui via Confessionis ea noverint; nec eos a quibus petitum sit ea de re consilium, ut sunt Parochi, Doctores, Advocati; imo nec amicos qui propter peritiam aut prudentiam consulti sunt; nec eos qui ratione professionis suæ rem didicerunt, ut Medici, Chirurgi, Obstetrices; si enim isti omnes fidem fallant, nemo est quem liceat in rebus difficilibus consulere, consiliisque omnis præcluditur aditus. 2°. Nec ad id tenentur ii qui sunt auctores criminis, unde nascitur impedimentum, v. g. soror quæ cum sororis amasio rem habuit; quia nemo tenetur sibi infamiam inurere; nec ii qui criminis reum adjuverunt, ut Ancilla quæ Dominæ suæ in turpitudine committenda consortem aut adjutricem se præbuit; nec Famulus aut Villicus cui, si Herum prodat, mors imminet aut grave detrimentum. Ratio est quia in istis duobus ultimis aut aliis similibus casibus gravissima mala ex revelatione sequerentur. Cæterum nihil consultius agere possunt viri parum edocti quam Confessarium aliumve virum prudentem ac rerum istarum peritum consulere.

Quæres 2°. an ratio habenda sit revelationis cujusdam hominis, qui impedimentum etiam propria infamia revelavit?

R. aliqualem habendam esse ejusmodi revelationis rationem, ut notat Collator Andegav. ex cap. *Prætera* 2 de Sponsal. Sed cum turpitudinem revelanti modica fides sit adhibenda, ex circumstantiis expendendum est an plenam fidem mereatur illa revelatio.

Quæres 3°. an revelare teneatur qui impedimentum occultum solus novit?

R. affirmative. Quamvis enim testis unus fidem non faciat, nec sufficiat ad juridicam impedimenti probationem

probationem, prodesse tamen potest in eo casu revelatio ut res accuratius expendatur, partes contrahentes vel saltem earum altera benigne moneantur, et in dubio obtineatur Episcopi dispensatio.

Cæterum qui impedimentum occultum et ex crimine ortum noverit, sive possit illud probare, sive non, partem ream ante omnia secreto præmonere debet, juxta Legem evangelicam. Quod si ea noluerit a matrimonio desistere aut dispensationem impetrare, res Parocho vel Episcopo revelanda erit cautionibus tamen adhibitis ut revelans pro calumniatore non habeatur, nullumque inde sequatur scandalum. Quod si pars criminis rea in mente Superioris infamia notetur, id cum vitare possit, sibi imputare debet. At vero si ex revelatione sequeretur tertiæ alterius personæ infamia vel gravissimum damnum, non debet manifestari impedimentum; quia Leges ecclesiasticæ et civiles sub tanto damno non obligant, nec animus Legislatorum est ut unius peccatum per grave alterius detrimentum avertatur.

Quæres 4°. an contrahens ipse impedimentum quo constringitur, revelare teneatur, præsertim si illud non possit citra propriam infamiam?

R. eum teneri impedimentum istud revelare et illius dispensationem impetrare, nisi a matrimonio desistere velit.

Quæres 5°. quo tempore fieri debeat impedimentorum revelatio?

R. quamprimum fieri potest moraliter, ut ait S. Carolus: præsertim cum sictur contrahentes unius vel duplicis banni dispensationem esse petituros; quia tunc periculosior est mora. Dixi, *moraliter*, quia æquum est ut qui consilio indigent, sapientis interrogandi tempus habeant.

Quæres 6°. an impedimentum revelare teneatur qui noverit trium bannorum dispensationem esse impetratam aut impetrandam, matrimoniumque sine ulla promulgatione esse contrahendum?

R. eum ad revelationem teneri, non quidem jussu

jussu Ecclesiæ et vi præcepti, sed ex religione et charitate ad dispellendam impedimenti ignorantiam qua forte laborant sponsi, et ad impediendam Sacramenti profanationem.

De iis quibus Matrimonii impedimenta revelari debeant.

Si impedimentum ex natura suâ publicum sit ut cognatio, affinitas, sponsis aut parentibus eorum ordinarie declarandum est. Si partes nihilominus matrimonium sine dispensatione contrahere velint, res denuntianda est Parocho, et interdum Episcopo, si Parochus, spretis regulis, matrimonio favere velit.

Si vero impedimentum sit occultum, et ex crimine, v. g. incestu proveniat, servanda est regula quam in responso ad quæsitum tertium præcedens, ubi de impedimento occulto, paulo antea retulimus.

De iis quæ Parocho præstanda sunt, cum quis obsistit Matrimonio.

Dupliciter potest quis matrimonio obsistere, 1°. via revelationis, cum videlicet declarat contrahentes aliquo ligari impedimento, 2°. via intercessionis, gallice, *par la voie de' opposition.*

Quæres 1°. quid Farocho præstandum sit, cum quis matrimonio per simplicem viam revelationis obsistit?

R. exigendum esse a revelante ut suam declarationem instrumento scripto consignet, quo probationes impedimenti contineantur. Parochus insuper curare debet ut hæc declaratio, si fieri potest, duorum testium chirographo muniatur. Quod si Denuntiatur fide non omnino indignus id præstare noluerit, nec revelationis falsitas certo comperta habeatur, *Parochus*, inquit S. Carolus syn. 3. *nec ad matrimonii celebrationem nec ad aliam progrediatur denuntiationem*

denuntiationem, etiamsi id impedimenti quod affertur vel falsum vel malitiosum sibi videatur, vel nullius momenti, sed rem ad Episcopum deferat, et ab eo quid faciendum sit accipiat.

Notandum est 1°. rumorem publicum etiam sine ulla revelatione ad suspendendam matrimonii celebrationem sufficere: *fama impedit matrimonium contrahendum*, inquit Glossa in cap. *Super eo*, de Consanguin. et Affin. Sed cum fama, inquit eadem Glossa in can. *Si testes*, cap. 4. q. 2. per se nihil probet, si re, mature per pensa, eam Parochus frivolam ac male fundatam invenerit, stare debet contrahentium declarationi, eisque, si pertierint, benedictionem nuptialem impendere. Si vero eam bene fundatam invenerit, rem ad Episcopum deferat. 2°. Parochus etiam ob unius testis revelationem matrimonium ac ipsorum bannorum promulgationem differre debet, si modo testis non omni fide sit indignus, ex cap. *Præterea* 2. de sponsal Re autem per tempus dilationis attente perpensa, si revelationis falsitas comperta habeatur, celebrandum est matrimonium; modo alia non sit oppositio; si vera ac bene fundata revelatio, monendi sunt sponsi ne ultra progrediantur. Si vero aliqua sit dubitandi ratio, nec impedimentum confiteantur sponsi eorumve parentes, consulendus est Episcopus, a quo Parochus quid præstandum sit accipat.

Quæres 2°. quid præstare debeat Parochus, si solus alia quam Confessionis via noverit impedimentum?

R. eum teneri, si impedimentum illud probari non possit et a partibus contrahentibus fuerit negatum, benedictionem nuptialem illis impendere. Prudentius tamen se geret qui prius Episcopum consuluerit.

Quæres 3°. quid præstare debeat Parochus, si per sacramentalem Confessionem noverit impedimentum?

R. Tenetur partem vel partes a quibus illud didicerit, a nuptiis divini judicii comminatione deterrere

terrere, aut eos adhortari, quantum potest, ad differendam matrimonii celebrationem, donec impetrata fuerit impeddimenti dispensatio. Si vero in perversa nubendi nec dispensationem obtinendi voluntate perstiterint, eis absolutionem sacramentalem denegabit, nec tamen, si ad matrimonii celebrationem sese offerant, ministerium suum recusabit ne in revelatæ Confessionis suspicionem veniat.

Cæterum si ex unius tantum partis Confessione impedimentum didicerit, caveat ne illa scientia utatur ad partem alteram de impedimento præmonendam.

Quæres 4°. quid a Parocho præstandum sit, ubi matrimonio per viam intercessionis seu oppositionis obsistitur?

R. 1°. Parochum exigere debere ut ille qui adversus matrimonium aut bannorum denuntiationem intercedit, scripto suam intercessionem muniat, eamque per Apparitorem significet, aut saltem Ecclesiæ registris inscribat pro diversis locorum usibus; nec debet ille Parochus intercessioni viva voce tantum factæ cedere. Ratio est 1°. quia id judicatum videtur supremæ Curiæ Parisiensis Arresto, quo an. 1691. Constitutum est intercessiones in causis matrimonii intercessorum chirographo esse muniendas. 2°. quia si intercessioni viva voce factæ crederetur, malevolus quisque matrimonium impedire posset, nec quicquam inde reformidandum haberet, quippe factam ac se oppositionem coram Judice facile negaret; nec probabile est probationem per testes, etsi fieri posset, in eo negotio fore admittendam. 3°. Quia nescirent contrahentes adversus quem sibi agendum esset; unde Parochum ipsum juridice insequi cogerentur.

2°. Ab illa regula tamen excipiendi sunt patres, matres, tutores filiorumfamilias matrimonio aut bannorum proclamationi viva voce obsistentes. Debet enim Parochus ad eorum vocem hærere, nec

nec ultra procedere; eum nullum matrimonium nisi de parentum consensu celebrari liceat. Hinc anno supra memorato rescissum est a Curia Parisiensi matrimonium filii non obstante verbali matris intercessione celebratum. Cæterum abs re non erit hic annotare tutores, si semel pupillorum matrimonio ex consilio cognatorum consenserint, non posse eidem matrimonio postea obsistere, juxta hanc regulam Juris: in alterius injuriam non licet variare, ut pœnitere, et probatum reprobare. Ita constitutum est Arresto supremæ Curiæ Parisiensis an. 1654.

3°. Postquam oppositio opponentis chirographo munita fuit et per Apparitorem Parocho significata, aut Parochiæ registris inscripta, ut fit in quibusdam Diœcesibus, debet Parochus contrahentes monere, eisque instrumenti sibi significati exemplum (copie) tradere, quo sibi provideant. At ipsum autographum (l'original) sedulo apud se conservare debet, au saltem non tradere, quin, ut aiunt, *recepisse* illius obtinuerit, quo traditum fuisse constet.

4°. Quandiu stat oppositio, Parochus manus habet ligatas, nec debet ulterius procedere, quamvis hæc ipsi mala ac malitiosa videretur. Matrimonium tamen, stante intercessione, celebratum non ideo est nullum, nisi adfuerit impedimentum dirimens. Sed Parochus qui suum ministerium ad ejusmodi celebrationem commodaret, peccaret graviter, pœnisque mulctaretur in Tribunalibus tum ecclesiasticis tum civilibus. Peccant quoque ii que in hisce circumstantiis matrimonium contrahunt.

5°. Nec Parocho solventur manus per Judicis Sententiam qua intercessor a sua intercessione dejectus sit, nisi fuerit ipsi rite significata. Nam fieri potuit ut ab ea Sententia ad superiorem Judicem interjecta fuerit appellatio.

6°. Si res nondum ad forum contentiosum deducta est, sufficit ad matrimonii celebrationem aut bannorum

bannorum promulgationem simplex ab oppositione discessio (desistement) coram Notario peracta, aut saltem intercessoris chirographo munita, modo tamen juridice Parocho fuerit intimata. Ita Collator Parisiensis. Excipiendæ tamen nonnullæ Diœceses ubi ex Statuto Episcopi exigitur Sententia Judicis juridice significata. Si vero res ad forum contentiosum delata fuerit, dubitatur an simplex ab oppositione discessio sufficiat, an non requiratur significatio Sententiæ qua intercessores a sua oppositione dejecti sint. Quæstionem solvere nobis videtur sequens regula quam affert Colletus: Quoties nimirum, inquit, aliquis matrimonio obsistit in gratiam juris cui renuntiare potest, ut mater quæ consensum suum negaverat, sufficit recessio simplex coram Notario facta, riteque intimata: quoties vero quis obsistit matrimonio in gratiam Sacramenti, ut si quis affinitatem aut votum castitatis a nupturo emissum declaraverit, requiritur Sententia Judicis rite significata. Cæterum de his quisque locorum Leges sequatur.

7°. Notandum est an. 1778. prohibitum fuisse a Senatu Parisiensi ne quivis, præter patrem et matrem, tutorem et curatorem, sororem et fratrem, avunculum et amitam, oppositionem apponeret matrimoniis aut bannorum proclamationibus majorum aut minorum, nisi tamen oppositio fiat propter impedimentum dirimens, quo in casu causa erit exprimenda in denuntiatione oppositionis.

Quæres 5°. ad quem Judicem pertineat de intercessionibus adversus matrimonium factis Judicium ferre?

R. Sæculares inter et Ecclesiasticos eo de negotio summam esse litem, quæ sic posse componi videtur.

1°. Certum est Judicium ecclesiasticorum, nempe Officialium, esse de iis pronuntiare quæ Sacramentum contingunt, v. g. de affinitate, honestate publica, sponsalibus, &c. *Si quis dixerit*, inquit Concilium Tridentinum, *causas matrimo-*

niales non spectare ad Judices ecclesiasticos, anathema sit. Concinit Sanctio Regia an. 1606. *Voulons que les causes concernant les mariages soient et appartiennent a la connoissance et jurisdiction des Juges ecclesiastiques, a la charge qu'ils seront tenus de garder les Ordonnances.*

2°. Non minus certum est ea quæ in matrimoniis mere sunt temporalia et civilia, ut si agatur de paterni consensus defectu, sub Judicio Magistratuum sæcularium cadere, quorum est de bonis ac fortunis Civium judicare. Juxta hanc jurisprudentiam suprema Curia Parisiensis nonnullas Officialium, qui de oppositionibus in re temporali matrimonio factis pronuntiaverant, Sententias abusivas declaravit, ut refert Collator Audegavensis.

Cæterum facile intelligitur eos peccare graviter qui ficta contra matrimonium impedimenta proponunt aut malitiosas *intercessiones* opponunt, eosque de omni quod inde nascitur detrimento teneri.

De Bannorum relaxatione.

Certum est posse aliquando relaxari bannorum legem, 1°. quia id decernit Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. ubi dispensationem in bannorum promulgatione Episcoporum judicio relinquit. 2°. Edictum Blesense permittit in prima et secunda denuntiatione dispensari. 3°. Lex ea positiva est. Porro Leges positivæ relaxari possunt, si legitimæ sint causæ.

Quæres 1°. cujus sit in bannorum denuntiationibus dispensare?

R. soli Ordinario id juris inesse, ut constat ex usu et Concil. Trident. mox laudato. Per Ordinarium vero intelligitur Episcopus, Vicarius illius generalis aut Capitulum Sede vacante, si tamen limitata non fuerit utraque potestas. Imo Decani quidam et Abbates commendatarii hoc jure gaudent, eo quod jurisdictionem quasi episcopalem habeant. At nec Parochi, nec Archidiaconi, nec Officiales privilegio tali fruuntur.

Quæres

Quæres 2°. an possit Episcopus etiam in Galliæ regno trium bannorum dispensationem concedere?

R. 1°. de jure communi id posse Episcopum propter urgentissimas causas, ut constat ex Concil. Trid. sess. 24. c. 1.

2°. Dubium aliquantulum est utrum in Gallia jus illud Episcopi possint exercere, quia Edicto Blesensi cautum est ne bannorum dispensatio nisi post factam saltem unam denuntiationem obtineatur. Nihilominus ubique receptum est posse Episcopum gravibus de causis trium bannorum dispensationem concedere, ut probat Fevreti Scholiastes tum ex multis Senatus Parisiensis Arrestis, tum ex agendiratione plurimorum Galliæ Episcoporum.

3°. Excipienda sunt matrimonia filiorumfamilias viginti quinque annis minorum, qui non possunt a trina bannorum promulgatione, nisi requirentibus parentibus aut tutoribus, in Gallia dispensari, ex Edicto Blesensi cui concinit Senatus Parisiensis jurisprudentia.

4°. In quibusdam Diœcesibus, ut Burdigali, Statutis vetitum est ne unquam trina bannorum dispensatio concedatur.

Quæres 3°. an bannorum dispensationes scriptis consignari debeant?

R. in Galliæ regno ex Constitutione Ludovici XIV. an. 1691. et matrimonia, et bannorum promulgationes, et eorum dispensationes sigillo Curiæ episcopalis subsignatas in tabulis a Parocho referri debere: *Declarons qu'a l'avenir, du jour de la publication des presentes, les dispenses des bans de mariage et les publications des bans, ou les dispenses qui en auroient ete accordees, ensemble l'insinuation desdites dispenses soient enoncees dans les actes de celebration de mariage, lorsqu'ils seront enregistres par les Cures ou Vicaires. Leur defendons de mettre lesdits actes de celebration sur les registres, si lesdites dispenses ne sont insinuees, et sans y faire mention desdites dispenses desdites publications de bans, ensemble*

semble de leur insinuation et de sa date, le tout a peine, &c.

Quæres 4°. utrum si contrahentes diversæ sint, Diœceseos, unus Episcopus utrumque contrahentem a bannis dispensare possit ?

R. negative, quia unius Diœcesis Episcopus nullam in alterius Episcopi Subditum jurisdictionem habet. Hinc in eo casu requiritur utriusque Episcopi dispensatio.

Quæres 5°. an si trium bannorum obtenta fuerit dispensatio, banna post matrimonii celebrationem proclamari debeant ?

R. Concilium Trid. in loco citato velle id fieri nisi aliter judicaverit Episcopus cujus prudentiæ et judicio id relinquitur. Id raro fit in Galliis, hoc tamen faciendum præscribitur in quibusdam Diœcesibus, v. g. in Gratianopolitana.

Quæres 6°. quænam sint causæ dispensandi in proclamatione bannorum ?

R. causas legitimas requiri, cum omnis dispensatio Legis alicujus sine legitimis causis illicita sit, peccentque sive qui eam petunt sive qui eam concedunt. Porro inter legitimas dispensandi causas recenseri possunt.

1°. Si proclamationes fieri nequeant absque gravi infamia et scandalo, puta cum ii qui vulgo habentur conjuges, legitimo matrimonio conjungendi sunt.

2°. Cum matrimonium ex impedimento occulto et dirimente nullum, restituendum est.

3°. Cum impossibilis est bannorum proclamatio, v. g. tempore pestis.

4°. Cum partes pœnis Concubinariorum a Judice plectendæ sunt, nisi se legitimo matrimonio conjunctas probaverint.

5°. Cum matrimonium finem sit impositurum crimini, v. g. concubinatus, quo nupturi coinquinati sunt et in quo prævidentur versaturi, si per denuntiationem bannorum differatur matrimonium.

6°.

6°. Cum periculum est in mora, scilicet gravis peccati aut gravis dissidii inter contrahentium parentes.

7°. Cum quis in extremis constitutus vult ducere concubinam ne filii ex ea suscepti sint illegitimi, aut ne illa dedecoretur. Verum notandum est matrimonia in extremis, seu imminente nece, contracta, licet in conscientia valeant, si ægrotans animo sanus sit, nullos tamen in Gallia parere effectus civiles ex Statuto Ludovici XIV. an. 1697. hæc movent tamen aliquando Judices ad assignandam proli susceptæ pensionem.

8°. Cum probabilis suspicio est matrimonium malitiose impeditum iri. Causam hanc recenset Concilium Tridentinum.

9°. Si timendi locus est ne per tempus quo bannorum denuntiatio fiet, sponsus avertatur a matrimonio, quod tamen contrahi postulant spiritales temporalesve partium utilitates, v. g. ab ea ducenda quam defloravit aut infamavit.

10°. Cum timendum est ne contrahentes propter enormem ætatis, fortunæ, aut conditionis inæqualitatem ex bannorum denuntiatione ludibrio objiciantur, pudoreque suffundantur.

11°. Cum graviter urget, nec sine magno incommodo differri potest iter sponsi aut proxime consanguinei, v. g. patris.

12°. Cum instat tempus vetitum, Adventus scilicet et Quadragesimæ. Causam hanc non reprobat S. Carolus in Concilio Mediol. 5. sed eam ut legitimam habet sacra Congregatio, teste Zerola in praxi episcopali. Eam pariter approbat Episcopus Tutelensis, sed ad gemini tantum banni denuntiationem. Atque hæc posterior opinio videtur in praxi tenenda.

Uno verbo, causa est dispensandi legitima, quoties imminet periculum scandali vel gravis damni in bonis fortunæ, corporis, famæ et animæ.

Insuper a Lege bannorum dispensantur supremi Principes seu potius, ut antea diximus, ea Lege

non tenentur; quia, cum eorum genus notissimum sit, ignorari non possunt eorum impedimenta.

De cætero notandum est 1°. ad dispensationem trium bannorum non sufficere singulas illas causas, sed graviores tantum, quas attente ponderare debent Superiores. 2°. Antequam bannorum, præsertim trium, dispensatio concedatur, certo, saltem moraliter loquendo, sciendum est nupturos nullo impedimento dirimente ligari.

Quæres 7°. an sufficiens sit a promulgatione bannorum dispensandi causa, quando moraliter certum est nupturos nullo impedimento ligari?

R. negative quia si valeat hæc dispensandi causa, innumeri erunt qui eamdem dispensationis impetrandæ causam habeant, sicque redibunt omnia prætermissæ bannorum denuntiationis incommoda.

Quæres 8°. an legitima sit causa a bannis dispensandi, eo quod inutilis sit futura eorum denuntiatio, prout inutilis fore videtur, ubi agitur de matrimoni. Vagorum et aliorum qui omnibus loci in quo degunt Incolis ignoti sunt.

R. negative, 1°. quia nunquam a Legis littera recedendum est, nisi sit ratio recedendi. 2°. Quia fit aliquando ut qui ignotus creditur, notus sit tamen alicui loci Incolæ, vel fortuito per locum transeunti. 3°. Quia per tempus quo banna promulgantur, contingere potest ut quædam de illius hominis conditione aut per litteras aut alio modo comperiantur.

Ex his sequitur, inquit Habertus post Van-Espen, *indignum et scandalosum esse nonnullos tot Ecclesiæ et Regum Sanctionibus constrictos adeo faciles esse in remittendis proclamationibus, ut Leges tantum pauperibus et infimæ quasi plebi præscriptæ videantur. Unde fit ut plures ad dispensationem obtinendam non accedant ut supplices, sed ut emptores, audacterque dicant se velle banna redimere, ac indignabundi recedant nisi obtinuerint quod nobilibus ac ditioribus vix denegari animadvertunt. Parochorum est*, pergit idem Auctor, *his abusibus pro virili*

virili occurrere et Subditis exponere quam periculosum sit in ipsa Sacramenti susceptione Legem tanta auctoritate firmatam et ubique receptam infringere, neque ipsa dispensatione, si hæc causa legitima destituta sit, ipsos excusari.

Quæres 9°. quid sentiendum sit de matrimoniis conscientiæ, ut aiunt, id est, de matrimoniis secretis quæ sine contractu omissisque bannorum denuntiationibus, aut saltem ita inter dentes obmurmuratis ut ab astantibus intelligi non potuerint, coram Parocho tamen et testibus in Ecclesia celebrata sunt.

R. 1°. ea matrimonia, si partes aliunde nullo impedimento dirimente adstringantur, valere quoad fædus, quia nihil eis deest seu ex parte materiæ, formæ, Ministri, seu ex parte contrahentium. Sola bannorum omisso, quamvis plurimum noxia sit ac prorsus illicita, Sacramentum tamen irritum non facit, ut antea vidimus.

2°. Tallia matrimonia, si per totam contrahentium vitam celentur, sunt graviter illicita, 1°. quia concubinatum sapiunt, scandalumque pariunt ; cum sit valde scandalosum conjugaliter vivere cum iis qui pro conjugibus non habentur. 2°. Quia ex iis incerta prorsus efficitur puerorum inde natorum conditio. Si enim folium registri quo inscribitur ejusmodi matrimonium aliquo casu laceraretur, ii pro spuriis habebuntur. 3°. Quia Ludovicus XIII. in Edicto an. 1639. ea conjugia, quantum ad effectus civiles, irrita declaravit. Hinc Confessarii vel Parochi, nisi urgentissimæ et gravissimæ sint causæ, nunquam pati debent aut talia matrimonia contrahantur, aut si contracta, diu secreta maneant. Hæ autem causæ quæ aliquando, licet rarissime, contingere possunt, æstimandæ sunt non ex ipso arbitrio contrahentium, sed ex judicio Prudentum et Doctorum præsertimque Episcopi sine cujus nutu in re tanti momenti nihil unquam agendum est.

CAP.

CAPUT QUARTUM.

De conditionibus ad Matrimonium contrahendum requisitis.

Ad matrimonium contrahendum requiritur 1°. ut contrahentes sint ad contrahendum habiles, 2°. ut interveniat mutuus partium consensus, 3°. ut accedat parentum consensus, 4°. ut illud celebretur coram Parocho et pluribus testibus.

ARTICULUS I.

De habilitate partium ad contrahendum Matrimonium requisita, seu de Matrimonii impedimentis.

Impedimentum matrimonii est circumstantia nuptiis contractis vel contrahendis obicem ponens.

Matrimonii impedimenta duplicis sunt generis, alia vocantur *dirimentia* quæ ad contrahendum matrimonium aliquem reddunt inhabilem, seu quæ matrimonium subsequens efficiunt invalidum. Alia dicuntur *prohibentia* quæ matrimonium reddunt tantummodo illicitum.

Hic agemus 1°. generatim de potestate statuendi impedimenta matrimonii, 2°. speciatim de impedimentis dirimentibus, 3°. speciatim de impedimentis prohibentibus, 4°. de dispensatione ab impedimentis, 5°. de modo matrimonii invalidi redintegrandi.

§. 1. *De potestate impedimenta Matrimonium dirimentia statuendi.*

Impedimenta matrimonium dirimentia alia quidam ab ipsa natura, qualia sunt erroris, impotentiæ; alia civilibus Legibus; alia ecclesiasticis Decretis constituuntur. De impedimentis a natura ipsa constitutis ibi nihil dicendum occurrit. Sed

quæstio

quæstio est an Ecclesia, an Principes sæculares impedimenta matrimonium dirimentia statuendi potestatem habeant?

Lutherus et Calvinus, cum negent matrimonium esse Sacramentum, affirmentque nihil in eo esse præter contractum civilem et humanum, consequenter definiunt non Ecclesiæ sed solius potestatis temporalis esse matrimonii Leges præscribere et impedimenta statuere.

Novatoribus adhæsit Marcus Antonius de Dominis in Tract. de Regia in Matrimonium Potestate. Favit nimium Launoius Theologus Parisiensis qui contendit potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia nativo ac proprio jure ad solos Principes pertinere, nec posse ab Ecclesia nisi indulgentia vel concessione Principum exerceri. Hunc proxime sequitur in recentiore Opere Leridanus. Ii omnes totam in matrimonia Principibus auctoritatem asserunt, nullam vero Ecclesiæ relinquunt.

Sed alii numero paucissimi Principum jura arctioribus limitibus restringunt, et existimant, ex quo matrimonium ad Sacramenti dignitatem evectum est, non amplius penes eos esse ut illi possint apponere impedimenta.

PROPOSITIO I.

Ecclesia jure divino potest statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, nimirum in iis quæ spiritualia sunt.

Prob. 1°. Ecclesia potest exercere potestatem quam exercuerunt Apostoli ut Ecclesiæ Ministri: atqui Apostoli ut Ecclesiæ Ministri statuerunt impedimenta matrimonium dirimentia. Nam S. Paulus 1. Cor. 7. v. 15. inducit impedimentum quod vocatur cultus disparitas; ibi enim permittit uxori fideli discedere a marito infideli, cum nempe vir ille infidelis non vult pacifice absque contumelia

Creatoris

Creatoris habitare cum uxore sua fideli: *cæteris ego dico, non Dominus, si Infidelis,* inquit, *discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Quam potestatem profecto non sibi arrogaret Apostolus nisi Ecclesiæ in persona Petri collata fuisset, cum dixit Christus: *pasce oves.*

Nec dicatur S. Paulum hic solummodo declarare quid a Deo de matrimonio Fidelis cum Infideli statutum sit. Agit enim ut Ecclesiæ Pastor ac virtute potestatis sibi et Ecclesiæ a Christo traditæ. Statuit de matrimonio; *ego dico,* inquit, *non Dominus* ipse et immediate. Igitur Ecclesia jure divino potestatem habet impedimenta matrimoniis apponendi.

Prob. 2°. ex regula S. Augustini: *Si quis in aliquo divinam auctoritatem quærat: quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est hoc non nisi apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Atqui Ecclesia a sui exordio constanter in matrimonia suam auctoritatem exercuit, sive statuendo sive tollendo matrimonii impedimenta, ut fatentur ipsi Adversarii, demonstravitque Gibertus in sua Historia de Sacramento Matrimonii, in qua de singulis matrimonii impedimentis prolixe disserit; nullibique legitur potestatem hanc fuisse Ecclesiæ ab aliquo Concilio irrogatam. Igitur Ecclesia ab Apostolis, proindeque ab ipsomet Christo potestatem illam accepit.

Et vero si Ecclesia potestatem hanc a Christo non acceperit, dicendum est eam auctoritatis sibi a Christo concessæ limites ignorasse, et jus indebitum contra sponsi voluntatem sibi arrogasse. Id porro de sponsa Christi cui semper adest præsens Spiritus Sanctus suspicari nefas est. Insuper si Ecclesia præjudicio Principum hanc sibi potestatem decursu temporum sibi arrogaverit, ut contendunt Adversarii nonnulli, quomodo factum est ut nullus ex Principibus christianis appellari possit qui reclamaverit, nec tempus assignari possit quo primum

mum incœperit hæc usurpatio, nec locus in quo incœperit, nec illius nevitatis auctor, nec via per quam novum illud jus introductum sit.

Nec respondeatur cum nonnullis aliis Ecclesiam jus ferendi Leges circa matrimonium ex indulgentia et concessione Principum exercuisse. Nam 1°. nullus Princeps, nulla Imperatorum Constitutio possunt assignari, a quibus privilegium istud Ecclesiæ concessum fuerit. 2°. Principes quidem christiani sæpissime suis Edictis confirmant, protegunt, executioni demandari jubent Leges ab Ecclesia de matrimoniis latas; sed nullibi legitur impedimenta matrimonium dirimentia statuendi potestatem fuisse ab eis Ecclesiæ indultam. Imo non raro ad auctoritatem Ecclesiæ confugerunt, tum ut impedimenta quæ ipsimet constituerant, ab illa approbarentur, tum ut nova impedimenta ab ea statuerentur. Sic Carolus IX. Galliæ Rex per Oratores suos apud Tridentinam Synodum egit ut irrita declararet matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu inita. 3°. Solent Principes christiani impedimentorum quibus irretiuntur dispensationem ab Ecclesia postulare. Atqui profecto sic non agerent, si ipsi soli impedimenta matrimonium dirimentia statuendi potestatem haberent, nec nisi precariam et ab eis concessam in nuptias auctoritatem exerceret Ecclesia. 4°. Quis dixerit Ecclesiam impedimentum, v. g. monastici voti, affinitatis spiritualis, quæ profecto ad Religionem attinent, ex sola Principum indulgentia, non auctoritate sibi a Christo tradita constituisse?

Prob. 3°. ex Concilio Trid sess. 24. can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

Respondet 1°. Launoius nomine Ecclesiæ in Canone Trid. designari Principes. At illud est alienum a sensu omnium Orthodoxorum, qui Leges ab Ecclesia conditas semper intellexerunt Leges a primis Ecclesiæ Pastoribus conditas. Insuper

Lutherus

Lutherus, cum negabat penes Ecclesiam esse impedimenta matrimonium dirimentia statuere procul dubio non intelligebat per Ecclesiam Principes sæculares, sed Superiores ac primos Ecclesiæ Pastores. Ergo cum Tridentina Synodus adversum eum definivit Ecclesiam habere potestatem ea impedimenta constituendi, nomine Ecclesiæ eosdem intellexit Superiores ac Ecclesiæ Pastores. Nec alio sensu aliis in locis Ecclesiæ nomen a Patribus Tridentinis usurpatum est.

Respondet 2°. Launoius in præfato Canone non Dogma definiri, sed disciplinam tantum invehi quæ non obligat iis in locis, v. g. in Galliis, ubi recepta non est Concil. Trid. Reformatio. Verum quis dicere potest definitionem oppositam Lutheri errori et sub pœna anathematis expressam ad Dogma non pertinere, meræque disciplinæ esse expositionem?

Prob. 4°. *ratione theologica.* Pendet ut plurimum tota vitæ ratio ac salus æterna ex nuptiis debite vel indebite contractis, crescit ex matrimonio civitas Dei spiritualis, Fidelesque ope nuptiarum Cœlo acquiruntur, sicut Regno Cives; igitur non minus spectat ad Ecclesiam quam ad Principes a nuptiis quidquid malum est ac inhonestum amovere, rectamque matrimonii contrahendi rationem instituere: alioquin Christus ei non dedisset quidquid ad regendos Fideles requiritur. *Matrimonium,* inquit D. Thom. lib. 4. contra Gentes, cap. 78. *in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi Legis civilis: in quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat ordinationi ecclesiasticæ.*

Ex iis colligere est non tantum a Conciliis generalibus, sed etiam a summus Pontificibus tanquam universæ Ecclesiæ Pastoribus, tota acceptante Ecclesia, posse statui impedimenta matrimonium irritantia, quæ per totam Ecclesiam obtineant. Nam multa ex impedimentis quæ nunc vigent in Ecclesia, S. Pontificum Decretis introducta

sunt

sunt. Quinimo cum inveterata consuetudo vim Legis habeat, Lex sola alicujus Regni aut etiam alicujus Diœcesis consuetudine potest introduci, modo tamen 1°. illa consuetudo nec jure divino nec naturali adversetur, modo 2°. a Superiore saltem tacite approbetur, modo 3°. legitima præscriptione confirmetur. Fundatur illa decisio auctoritate Alex. III. cap. *Super eo quod*, de cognatione spiritiali. Sic nonnulla impedimenta fuisse introducta vulgo sentiunt Canonistæ.

Gallicani Præsules de matrimonio a Gastone Duce Aurelianensi, Regis fratre, cum Lotharingiæ Ducis sorore, invito Rege, contracto an. 1635. consulti, doctrina modo exposita fundati, auditis sacræ Facultatis et totius Regni Doctoribus, responderunt nullum esse matrimonium Gastonis, nec ferre hujus Regni consuetudinem et Principes stirpis regiæ præsertimque proximiores Regni hæredes sine consensu Regis ac multo minus eo invito nuptias contrahant, prorsusque invalidum esse ejusmodi matrimonium. Huic judicio acquievit Gasto. qui, tandem consentiente Rege qui omnium sanguinis sui Principum pater est et dominus, an. 1643. cum eadem Principe contraxit in Castro Meudonis.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Si Ecclesia potestatem haberet statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, sequeretur eam jus habere mutandi ipsam Sacramenti Matrimonii materia ac proinde essentiam, siquidem efficeret ut partium consensus, qui ante impedimentum, sufficiens erat Sacramenti materia, desineret post latum impedimentum sufficere. Atqui tamen Concil. Trid. sess. 21. c. 2. docet nihil Ecclesiam posse in Sacramentorum substantiam.

R. n. seq. maj. Ut gravissimæ illius difficultatis solutio pateat, notandum est matrimonium posse considerari sub triplici facie, ut contractus natu-

ralis, ut contractus civilis, ut contractus religiosus seu ut Sacramentum; vel aliter considerari potest in triplici satu, in ordine naturæ, in ordine societatis, in ordine religionis. Ut contractus naturalis, qualis foret inter duas personas quæ solæ in Mundo existerent aut inter illas quæ extra societatem viverent, dirigitur solis Legibus a natura vel a Deo naturæ auctore præscriptis, ideoque exigit v. g. consensum in partibus contrahentibus liberum, pubertatis ætatem. Ut contractus civilis, qualis est inter personas in societate civili viventes, dirigitur Legibus civilibus ideoque exigit v. g. ut puellæ non vi rapiantur, ut juvenes non nubant sine parentum consensu. Constat et ostendemus in propositione sequenti contractus naturales Legibus civilibus posse perfici. Sic contractibus venditionis et emptionis variæ conditiones a Principibus apponuntur. Matrimonium ut Sacramentum seu ut contractus religiosus dirigitur non tantum jure divino, sed insuper jure ecclesiastico. Nimirum constat ex dictis in propositione præcedenti Ecclesiam jus habere statuendi impedimenta dirimentia matrimonium, seu, quod idem est, apponendi conditiones, quibus servatis, contractus conjugalis est legitimus, non servatis, est illegitimus et personæ fiunt inhabiles ad contrahendum. Hæc est doctrina S. Thom. lib. 4. contra Gentes, cap. 78. *Matrimonium*, inquit, *in quantum ordinatur ad naturæ bonum, dirigitur a natura: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, dirigitur Legibus civilibus: in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, subjacet regimini ecclesiastico.*

Porro contractus conjugalis est quidem matrimonii materia, sed oportet ut ille contractus sit legitimus. Hinc ut valeat matrimonium in ratione contractus civilis (nihil eo loci dicemus de matrimoniis in ordine naturali, cum jam nullibi existant nisi forte inter quosdam Sylvestres) oportet ut contractus conjugalis Legibus civilibus consentiat. Ut autem existat contractus religiosus vel ecclesiasticus,

ecclesiasticus, ac proinde matrimonium sit christianum et valeat in ratione Sacramenti, oportet ut sit conformis Legibus Ecclesiæ, quæ sacra est Respublica, cui Christus Legum condendarum potestatem dedit, quæque, sicut Respublicæ temporales jure suo contractibus civilibus impedimenta apponunt, pariter contractui conjugali in ordine spirituali potest fines præscribere. Quod si non serventur Leges ad validitatem contractus ab Ecclesia præscriptæ, invalidus ac illegitimus fit ille contractus in ordine Religionis, nec jam potest esse sufficiens Sacramenti materia, licet valere possit ut contractus civilis; ideoque partes fiunt ad suscipiendum Matrimonii Sacramentum inhabiles. Non idcirco tamen Ecclesia Sacramenti Matrimonii materiam mutare censetur, quia non cessat contractus legitimus esse materia illius Sacramenti sufficiens, nec facit Ecclesia ut contractus legitimus jam non sufficiat ad validam Sacramenti materiam, sed tantummodo efficit ut contractus antea legitimus jam non sit legitimus; quemadmodum qui aquam aut panem corrumperet, non diceretur proprie Baptismatis aut Eucharistiæ materiam mutare. Placuit multum Tridentinis Patribus ista comparatio, qua ad enodandam præsentem difficultatem usus est Camillus Campegius Ordinis Prædicatorum Theologos, ut refert Palavicinus Hist. Concil. Trid. c. 22.

Inst. Inde sequeretur Ecclesiam aliquid posse in Regum temporale saltem indirecte, quia irritando contractum religiosum et Sacramentum, consequenter irritaret contractum civilem, cui tanquam basi et fundamento nititur contractus ecclesiasticus et Sacramentum.

R. contractum ecclesiasticum et Sacramentum distingui et absolute seperari posse a contractu civili unumque sine alio subsistere posse. Matrimonium enim, prout est contractus civilis, non raro subsistere sine Sacramento constat ex alibi dictis, præsertim ubi de matrimoniis Infidelium,

Hæreticorum.

Hæreticorum. Et vicissim contractus religiosus, matrimoniumque prout est Sacramentum, sine contractu civili stare potest, v. g. quando quis civiliter mortuus est, ut si damnatus sit ad triremes aut ad mortem sane matrimonium nullum est quatenus contractus civilis; attamen, teste ipso Fevreto, validum est ut Sacramentum, et ut tale in Ecclesia agnoscitur. Ratio est, quia contractus civilis non est basis, fundamentum et substantia Sacramenti, sed solus contractus naturalis Legibus Ecclesiæ ordinatus et perfectus, seu contractus spiritualis quo duo contrahentes se mutuo, servatis Ecclesiæ Legibus, obligant in individuam vitæ societatem, sibique fidem in perpetuum promittunt. Igitur Ecclesia contractum spiritualem irritando, non ideo irritat contractum civilem, unde nequidem indirectam in temporali Regum potestatem exercet.

Obj. 2°. Si existimasset Ecclesia sibi concessam esse a Christo potestatem impedimenta matrimonium dirimentia statuendi, non postulasset, imo non permisisset suos ea de re Canones a Principibus confirmari: atqui tamen sæpe Ecclesia postulavit, &c.

R. dist. min. Postulavit Ecclesia ut Imperatores curarent suos de matrimoniis Canones executioni demandari, *conc.* postulavit ut Principes iis Canonibus auctoritatem tribuerent quam non habebant ex se. *neg.* Sic Ecclesia sæpe postulavit ut judicia quæ de Fidei Dogmatibus pronuntiaverat a Principibus confirmarentur, nec tamen ideo existimavit se a Principibus Fidei Dogmata definiendi potestatem habere.

PROPOSITIO II.

Possunt jure sibi innato Principes sive infideles, sive christiani, statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, nimirum in iis quæ temporalia sunt.

Prob. 1°. Nam matrimonium non solum est Sacramentum et contractus religiosus, sed etiam civilis:

vilis: atqui Principibus denegari non potest jus certas conditiones contractibus civilibus apponendi et impedimenta constituendi, quibus illiciti vel etiam invalidi sint. Sic quotidie Reges contractibus venditionis, emptionis, locationis, prout societatis bonum exigit, conditiones irritantes apponunt.

2°. Eadem profecto potestatem in contractum matrimonii civilem habent Principes, quam Ecclesia in contractum religiosum: atqui ex modo dictis Ecclesia potest statuere impedimenta contractum religiosum ac prionde Sacramentum irritantia; ergo, &c.

3°. Jure proprio ac innato possunt Principes id quod tendit in commune Reipublicæ bonum, cum regia potestas ad hoc præsertim instituta fuerit; atqui postulat commune Reipublicæ bonum ut a Principibus ponantur aliquando contractibus matrimonii civilibus obices; ergo, &c.

4°. Constat Principes sua potestate diversis temporibus usus esse in ferendis circa matrimonium Legibus ac statuendis impedimentis quibus irritum fieret. In eo consentiunt omnes, idque demonstravit multis exemplis Gerbesius in Opere de potestate regia in Subditorum matrimonia. Hanc autem potestatem Reges usurpasse, nisi sit in Principes injuriosus, nemo potest asserere, præsertim cum Ecclesia nunquam reclamaverit, nec de illa usurpatione conquesta fuerit; imo potius istas Principum Leges postulaverit et sæpissime commendaverit. Nec etiam dici potest Principes eam potestatem ab Ecclesia accepisse, ut volunt alii nonnulli; tum quia nec tempus quo concessum Principibus fuerit istud privilegium, nec Concilium a quo indultum sit, assignari possunt; tum quia in rebus civilibus concessione ecclesiastica non indigent Principes. Igitur jure proprio ac sibi innato Principes illa potestate perfruuntur.

Dixi in propositione, *Principes sive infideles sive christiani*, ut refellantur nonnulli qui contendunt

Principes christianos, ex quo matrimonium ad Sacramenti diginitatem evectum est, sua in contractum conjugalem potestate fuisse privatos: quo nihil absurdius dici potest, cum Baptismus et Fides Principum suos in subditos auctoritatem non imminuant, nec ullus ex Scriptura vel Traditione textus afferri possit quo probetur Principes sæculares sua in matrimonium potestate fuisse a Christo spoliatos.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Matrimonium est Sacramentum: atqui Principes nihil valent in Sacramentum; ergo, &c.

R. dist. Matrimonium est Sacramentum simul et contractus civilis, *conc.* Sacramentum tantum, *neg.* Matrimonium quidem, quatenus est contractus religiosus et quatenus Sacramentum, non subjacet auctoritati Principum, secus vero quatenus est contractus civilis.

Inst. 1°. Si possent Reges contractum civilem irritum facere, irritum facerent ipsum Sacramentum, quia contractus civilis est fundamentum et materia Sacramenti: atqui tamen Reges non possunt irritum facere Sacramentum, alioquin potestatem in res spirituales saltem indirectam haberent.

R. n. maj. Nam in hypothesi, in qua Princeps aliquod impedimentum constituat, vel Ecclesia consentiet vel dissentiet. Si consentiat, Sacramentum quidem erit irritum, sed auctoritate ecclesiastica tantum non civili. Sed dissentiat Ecclesia, irritus quidem erit contractus civilis non autem Sacramentum; non enim contractus civilis, sed contractus religiosus, seu contractus naturalis Legibus ecclesiasticis ordinatus, perfectus, sacer factus, qui potest ex dictis sine contractu civili subsistere, Sacramenti Matrimonii materia ac fundamentum est.

Respondent aliter nonnulli, nimirum ex eo non consequi Principes potestatem in res spirituales indirectam

indirectam habere : sicut qui ex vino acetum facit, non ideo censetur aliquid saltem indirecte in Eucharistiam valere. Verum priori responsioni adhærendum esse putamus propter rationes, quas exponere prolixius foret.

Inst. 2°. Ex Concil. Trid. sess. 24. can. 12. *causæ matrimoniales ad Judices Ecclesiæ pertinent ;* ergo non ad Principes.

R. dist. Pertinent ad Ecclesiæ Judices, sed non solos, *conc.* solos, *neg.* Nec enim legitur in præfato Canone causas illas ad solos Judices ecclesiasticos pertinere. Itaque sub diverso respectu pertinent tum ad ecclesiasticos tum ad sæculares Judices.

Obj. 2°. Repugnant duplicem esse potestatem, nimirum ecclesiasticam et civilem, quæ simul possit statuere impedimenta matrimonium dirimentia. Possent enim ferri Leges oppositæ ab Ecclesia et Principibus ; et revera Leges Principum saltem hæreticorum, eorum etiam qui Subditos habent catholicos, de matrimoniis, non raro Ecclesiæ Legibus adversantur.

R. duplicem hancce potestatem nullatenus repugnare ; quia utraque illa potestas est a Deo ; utraque diversum habet finem, Ecclesia spiritualem, Princeps vero temporalem , utraque diversum objectum, Principes attingunt matrimonium ut contractum civilem, Ecclesia ut contractum ecclesiasticum, ut Sacramentum : unde nihil obstat matrimonium esse sub una ratione validum, sub alia invalidum, v. g. ratione contractus civiles esse nullum, et tamen ratione contractus ecclesiastici et Sacramenti valere, ac proinde in conscientia obligare. Ita contingeret si Principes hæretici aut etiam orthodoxi quoddam matrimonium, prout est contractus civilis, irritarent, quod tamen Ecclesia ad solum contractum ecclesiasticum respiciens ratum haberet. *Il. n'y a point d'inconvenient*, inquit Louetus qui Munus Senatorium in suprema Caria Parsiensi diu exercuit, *que dans le for interieur de la conscience ily ait un veritable mariage,*

et

et qu'a l'egard des Loix il n'y en ait point pour les actes et effets civils; parce que le contrat civil et te mariage sont du ressort de deux puissance differentes qui sont independantes l'une de l'autre dans ces faits.

Cæterum cum potestates a Deo ordinatæ sint, sperandum est futuram non esse, nisi forte rarissime, inter potestatem ecclesiasticam et civilem in suis de matrimonio Legibus pugnam, vixque dissensionis ea de re inter illas potestates exempla possunt appellari. Primis sæculis utraque potestas impedimenta statuit absque ulla discordia. Ecclesia postulavit Leges a Principibus, et vicissim Principes ab Ecclesia, Decretaque potestatis utriusque vicissim confirmata sunt ac executioni demandata. Jam a longo tempore Principes christiani ex pietate et ex sua in Ecclesiam reverentia videntur huic soli cessisse impedimenta matrimonium dirimentia : *Civiles Leges*, inquit Petrus Soto lect. 4. de Matrimonio, *in his omnibus expietate certe et voluntate Principum facile cesserunt Ecclesiæ, ut jam censeatur matrimonium illegitimum quod Ecclesia tale judicat... non debent tamen ægre ferre Prælati Ecclesiæ, si sæculares Principes statuant quæ temporali paci necessaria judicarint. Nec est cur se illis opponant, sed permittant potius matrimonium humanis Legibus ordinari, cum officium humanum sit : et addant ipsi, si videbitur, quod ad bonum Religionis pertinet.* Vide præfatum Gerbesii Opus, in quo Petri Soto sententiam tum exemplis tum rationibus multis ac nervosis defendit ac explicat.

Obj. 3°. Nihil valent Principes in contractus naturales: atqui matrimonium est contractus naturalis ; ergo, &c.

R. neg. maj. Certum est enim contractus emptionis, venditionis, donationis, locationis, licet jure naturæ statuantur, Legibus tamen civilibus perfici. Sic contractus naturalis, ut fiat sacer ac Religione dignus, Legibus divinis aut ecclesiasticis perfici ac sanctificari debet.

Inst. 1°. Quod bonum est in ratione contractus naturalis

naturalis, non potest fieri malum, nec proinde a Principibus prohiberi.

R. dist. Non potest fieri malum, rebus in eodem statu permanentibus, *conc.* rebus mutatis, *neg.* Sic contractus emptionis ex natura sua bonus, fieri tamen potest malus propter quasdam circumstantias societati noxias, quæ huic contractui accedere possunt, nimirum præter conditiones generales quas natura per se ipsam contractibus apposuit, quædam sunt peculiares quæ possunt ex diversis locis, temporibus, aliisque circumstantiis pendere, quarum determinationem Principibus natura reliquit. Sicut igitur naturam physicam ars perficit, sic naturam moralem seu contractus naturales Principum Decreta perficiunt: exempli gratia, postulat natura ut consensus sit voluntarius, Princeps vero addit Legi et declarat nullum contractum fieri nisi per majores 25. annorum, propter magna incommoda quæ in societatem vergerent, si liceret ante illud tempus contrahere, et quia ante illam ætatem consensus non præsumitur sufficiens.

Inst. 2°. Quisquis a natura jus habet matrimonium contrahendi: atqui nec Principes nec Ecclesia naturæ jus immutare possunt; ergo, &c.

R. dist. Quisquis matrimonii contrahendi jus habet a natura, quod jure civili, pro iis qui sunt in societate positi, dirigi ac perfici debet, *conc.* secus, *neg.* Responsio patet ex dictis. Præterea cum jure naturali contrahentes abuti possint, Legibus civilibus dirigi ac coerceri debent.

Inst. 3°. Principes non magis possunt statuere impedimentum contra jus naturæ, quam tollere impedimentum quod sit ex jure naturæ: atqui Principes non possunt tollere impedimentum quod sit ex jure naturæ.

R. concedo totum. Principes enim non statuunt impedimentum contra jus naturæ, sed apponunt impedimentum iis in casibus in quibus nihil natura præscripsit, et ne quis jure naturæ abutatur.

§. 2. *De*

§. 2. *De impedimentis Matrimonium dirimentibus.*

Quindecim vulgo numerantur illa impedimenta sequentibus versiculis expressa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas;
Amens, affinis, si clandestinus, et impos.
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De impedimento Erroris.

Error quadruplex distinguitur. 1°. Error *personæ*, quo una persona pro alia ducitur, v. g. cum Jacob Liam pro Rachele assumpsit. 2°. Error *qualitatis*, quo quis judicatur habere qualitates quas non habet, ut si quis sobriam et castam putans ducere, vinolentam et corruptam ducat. 3°. Error *fortunæ*, v. g. quando quis pauperem ducit quam divitem existimabat. 4°. Error *conditionis*, qui secundum impedimentum constituit, quod dicitur conditionis, ut modo dicemus. His positis.

Dico 1°. errorem personæ, quicumque sit sive vincibilis et crassus, sive invincibilis, jure naturali matrimonium dirimit. Tunc enim consensus non fertur in hanc personam cum qua contrahitur, sed in aliam quæ putatur adesse; nullus proinde est consensus, sine quo tamen non potest esse matrimonium: hinc conjugium Liæ cum Jacob validum non fuit nisi ex consensu qui postmodum accessit, ut loquitur S. Thomas. Aliter tamen se res haberet, si error foret solum circa nomen, non circa ipsam personæ substantiam, quia nihil facit error nominum, ut constat lib. 9. ff. de contrah. Empt. cap. de Corpore.

Cum impedimentum illud jure naturali positum sit, nulla dispensatione tolli potest. Hinc matrimonium cum illo impedimento contractum non potest

potest validum fieri, nisi novus accedat conjugum consensus; secreto, si error fuerit secretus; in facie vero Ecclesiæ, si error notorius sit et in foro exteriori probari possit.

Dico 2°. errorem qualitatis aut fortunæ non irritare matrimonium. Ratio est quia manet consensus in personam quæ primarium est matrimonii objectum; error enim ille res tantum accidentales respicit, non ipsam personam quæ vere in conjugium assumitur. *Sic*, inquit S. Thomas, *si quis emerit agrum quem putabat esse uberrimum, quamvis erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere.*

Excipiendi sunt tamen duo casus, 1°. si errans contrahat cum expressa conditione qualitatis; quiá contractus conditionalis, deficiente conditione, nullus est. 2°. Si error qualitatis redundat in errorem personæ; ut si quis intendit contrahere cum filia et hærede certi Comitis, quæ tamen nec sit filia nec hæres illius Comitis; vel si quis contrahere volens cum filia Regis natu majore et Regni hærede præsumpta, contrahit tamen cum natu minore In istis casibus nullum est matrimonium, quia error circa qualitatem transit in errorem personæ. Nam consensus non fertur in personam præsentem, sed in aliam absentem et animo conceptam sub tali qualitate.

De impedimento Conditionis servilis.

Error conditionis ille est quo quis putans ducere Liberam, ducit Servam, gallice, *Esclave.* Servus dicitur ille qui sic est sub potestate Domini, ut illum possit locare vel vendere, quemadmodum usitatum olim fuit apud Romanos, et etiamnum apud Turcas. Unde Famuli nostri et Domestici eo sensu non sunt Servi. Cum status servitutis in hocce Regno jam locum non habeat, statimque libertatem recuperet Servus qui Galliam intravit, ideo pauca de impedimento conditionis sumus

Constat

Constat 1°. errorem conditionis servilis esse impedimentum dirimens, ut habetur in Jure canonico lib. 4. tit. 9. *De Conjugiis Servorum*, et cap. 4. *Ad nostrum*. Igitur ut matrimonium sic contractum fiat validum, oportet ut partes, cognita servili alterius conditione, iterum in facie Ecclesiæ contrahant.

2°. Si tamen persona libera, quando contraxit, sciverit conditionem servilem alterius personæ cum qua contrahebat, validum est matrimonium ex cap. *Si quis*, 29. q. 2.

3°. Ex Jure canonico novo ambæ personæ servituti obnoxiæ valide contrahere possunt, etiam invitis Dominis, cap. *Dignum*, de Conjugiis Serverum. Res tamen aliter se habuit antiquitus.

Quæres an valeant matrimonia eorum qui per Sententiam Judicis fuerunt in perpetuum e Regno expulsi, vel ad triremes aut etiam ad mortem quam fuga declinaverunt, damnati ?

R. 1°. hæc matrimonia, si alii non sint obices, quoad Sacramentum valere, quia nulla Lege ecclesiastica irritantur. Imo Senatus Parisiensis ipse nuptias ab hominibus ad exilium aut etiam triremes in perpetuum damnatis contractas, Arrestis an. 1616. 1625. 1700. latis, quoad vinculum et Sacramentum ratas habuit, ut videre est apud Collatorem Parisiensem tom 1. p. 377. Ita fere omnes Theologi contra paucos qui contendunt matrimonium defectu contractus civilis esse irritum. Quæ quidem ratio nullius est ponderis. Quamvis enim nullus sit contractus civilis cujus isti omnes, fatentibus omnibus, sunt incapaces, saltem adest contractus ecclesiasticus qui sufficiens est Sacramenti materia, sicut antea expositum est.

R. 2°. hæc matrimonia non valere quoad contractum civilem, quia isti omnes mortui sunt civiliter.

Quoniam vero iis qui bonæ sunt fidei Leges subveniunt, si uxor argumentis validis et omni exceptione majoribus probare possit incognitam sibi

fuisse

fuisse conditionem mariti ad triremes aut exilium perpetuum damnati, posset ipsa, non maritus, qui non potest post suam condemnationem in bono fide supponi, conventiones matrimoniales, v. g. dotem, dotalitium, *le douaire*, atque jura communitatis repetere, ut observat *Lebrun* Tract. de Commun. lib. 1. c. 4.

De impedimento Voti.

Hic agitur de voto castitatis aut Religionis. Duplex distinguitur, simplex et solemne. Votum simplex illud est quod sine solemnioribus cæremoniis privatim Deum inter et Voventem emittitur. Solemne illud est quod fit palam ac publice, Ecclesia solemniter acceptante, per susceptionem sacri alicujus Ordinis, aut per professionem in aliquo Ordine approbato emissam. His notatis,

Dicimus 1°. votum simplex castitatis efficere matrimonium subsequens illicitum, non invalidum; illicitum quidem, quia graviter peccat qui contra fidem continentiæ Deo datam uxorem ducit: non tamen invalidum, quia matrimonium contractum ab eo qui privatim castitatem vovit, nulla Lege civili aut ecclesiastica irritum declaratur.

Hic annotare est quædam vota, quamvis emissa cum certa solemnitate et nonnullis cæremoniis ac benedictionibus, qualia sunt vota quarumdam societatum sæcularium, v. g. Sacerdotum Missionis et Doctrinæ christianæ, recenseri tamen inter vota simplicia, nec proinde matrimonium dirimere.

Dicimus 2°. votum castitatis solemne quod emittitur ab iis qui sacros Ordines suscipiunt aut Religionem approbatam ingrediuntur, impedimentum esse quo matrimonium subsequens dirimitur. Ita post multa alia Concilia generalia ac multos Pontifices sanxit adversus Novatores sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse*

matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege ecclesiastica vel voto.....anathema sit. Eadem est Tribunalium civilium disciplina, ut constat ex multarum Curiarum supremarum Decretis.

Dicimus 3°. ex communiori ac probabiliori Theologorum sententia votum solemne dirimere matrimonium, non jure naturali aut divino, sed tantum ecclesiastico. Ratio est 1°. quia votum solemne ex Legibus ecclesiasticis tantummodo habet quod sit solemne, ut dicitur cap. unico *de voto.* 2°. Quia certum videtur Professionem religiosam primis Ecclesiæ sæculis non habitam fuisse ut impedimentum dirimens, sed tantum ut prohibens.

Inde sequitur impedimentum voti solemnis absolute relaxari posse, et revera Sedes apostolica non semel in iis dispensavit. Exemplum habemus in Casimiro, qui ex Diacono Cluniacensi Poloniæ Regnum obtinuit, et uxorem, obtenta dispensatione, in matrimonium duxit.

De impedimento Cognationis.

Cognatio triplex distinguitur, naturalis, quæ suam ex generatione carnali ducit originem, spiritualis quæ oritur ex conjunctione spirituali per Baptismum et Confirmationem inducta, legalis quæ ex adoptione provenit. Cum adoptio olim inter Romanos usitata non vigeat apud nos, nihil de hoc ultimo cognationis genere disseremus.

Cognatio naturalis.

Cognatio naturalis, quæ non raro dicitur consanguinitas, definitur vinculum quod contrahitur a personis ab eodem stipite descendentibus.

Tria in consanguinitate sunt distinguenda, stipes, gradus et linea; *la souche, le degre et la ligne.*

Stipes est persona, ex qua aliæ ducunt originem.

Gradus est distantia quæ est inter consanguineos et

et communem stipitem a quo ducunt originem. Inde gradus numerantur ratione distantiæ.

Linea est series personarum ab eodem stipite per diversos gradus descendentium.

Linea duplex, una recta, alia collateralis seu transversalis.

Linea recta complectitur personas quarum una procreata est ab altera, ut avus, pater, filius, nepos, pronepos. Dicitur *ascendentium*, si a posteris incipiendo perveniamus ad stipitem. Dicitur *descendentium*, si a stipite progrediamur ad posteros.

Linea collateralis est series personarum, quarum una non descendit ab alia, sed quæ solum descendunt ab eodem stipite, ut frater et soror, consobrini et eorum filii. Hæc autem vel est æqualis, cum consanguinei a communi stipite æqualiter distant, ut frater et soror: vel inæqualis, cum consanguineus alter magis, alter minus a communi stipite distat, ut frater et fratis filius.

Quæres 1°. quomodo computandi sint consanguinitatis gradus?

R. tres a Jure canonico dari regulas.

1. *Regula pro linea recta.* In linea recta ascendentium et descendentium tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto stipite. Pater, filius, nepos, pronepos quatuor sunt personæ, et tres tantum gradus, quia tres sunt tantum generationes, tresque personæ, dempto stipite.

2. *Regula pro linea collaterali æquali.* In linea collaterali æquali personæ eodem gradu a se invicem distant quo a stipite communi, v. g. duo fratres uno gradu tantum a se distant, quia ambo æqualiter et uno gradu tantum distant a communi stipite, scilicet a patre in quo conjunguntur. Propter eamdem rationem duo consobrini cognati sunt in secundo gradu.

3. *Regula pro linea collaterali inæquali.* Consanguinei in hac linea eodem gradu a se invicem distant quo illorum remotior distat a communi stipite, juxta hanc regulam Juris: *gradus remotior ad se propinquiorem*

propinquiorem trahit. Hinc frater, v. g. est in secundo gradu cum fratris filia, quia licet ipse uno gradu tantum a communi stipite seu patre distet, filia tamen fratris duobus gradibus ab codem stipite removetur.

Hæ regulæ tam in foro sæculari quam eeclesiastico nunc sunt in usu ac servari debent, quamvis in Jure civili olim observato aliter gradus computarentur, non quidem in linea recta, sed in collaterali, ubi tot gradus numerantur quot sunt personæ, dempto stipite. Hinc secundum Juristas duo fratres sunt in secundo gradu, duo vero consobrini in quarto.

Notandum est 1°. quamvis in linea collaterali gradus remotior ad se trahat proximiorem, tamen in dispensationis petitione exprimendam esse inæqualitatem graduum, si gradus propinquior sit primus; alioquin obreptitia erit dispensatio, cum in eo primo gradu sanctitas sua nunquam dispensare intendat, ut declaravit Pius V. in Bulla an. 1566. Imo ut omnis scrupulus amoveatur, curare debent qui dispensationes in linea collaterali inæquali postulant, ut gradus proximior semper exprimatur.

2°. Cum dispensatio petitur pro personis, quarum altera est in primo gradu et alia in gradu remotiore, exprimendum est qui sexus sit in primo gradu, an vir, an mulier, quia longe difficilius permittitur ut filius sororis vel fratris in uxorem ducat amitam quam patruus aut avunculus sororis vel fratris filiam; magis enim ordini contrarium videtur amitam, quæ quasi alia mater in filium sororis auctoritatem habet, eidem tanquam capiti esse subjectam. Hæc autem duplex ordinis inversio locum non habet, cum patruus fratris filiam in uxorem assumit, quia hæc manet inferior, ut antea.

Cæterum rarissime concessæ sunt ejusmodi dispensationes. Senatus Parisiensis an. 1664. matrimonium inter avunculum et fratris filiam quoad effectus civiles nullum declaravit. Non tamen ubique obtinuit hæc jurisprudentia.

Quæres

Quæres 2°. an consanguinitas, et quo in grau sit impedimentum dirimens ?

R. 1°. in linea recta consanguinitatem seu cognationem quocumque in gradu matrimonium dirimere, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, et usque in infinitum, ut ait Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum c. 39. quod consentaneum est Juri civili lib. 1. Inst. tit. de Nupt.

Conveniunt Theologi omnes consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ matrimonium dirimere jure naturali. Horret enim natura, nec ferunt ipsi Barbari filiam patri conjungi aut matrem filio. Imo Theologi contendunt impedimentum hoc etiam jure naturali ad secundum lineæ rectæ gradum extendi; alii ad omnes gradus usque in infinitum. Quidquid sit, constat nullam in linea recta dispensationem concedi, nec unquam fuisse concessam.

R. 2°. in linea collaterali cognationem ad quartum usque gradum inclusive, nec ultra, impedimentum esse dirimens, ut statutum est a Concilio Lateranensi 4. can. 50. cujus Decretum constanter observatum est. Antiquioribus temporibus diversa fuerat Ecclesiæ disciplina. Primis sæculis in secundo gradu consanguinei contrahere poterant, teste Aug. lib. 25. de Civitate Dei cap. 16. Dein vero usus obtinuerat ut cognatio ad septimum usque gradum matrimonium dirimeret.

Affirmant Theologi perplures jure naturali irritum esse matrimonium inter consanguineos collaterales in primo gradu conjunctos, v. g. inter fratrem et sororem. Probabilius tamen videtur tale matrimonium jure naturali nec prohiberi nec dirimi. Nam a primo Mundi exordio permissum est a Creatore. Quod autem per se ac jure naturali malum est, nunquam permitti potest. Certum est tamen dispensationem in hoc gradu nunquam fuisse ab Ecclesia concessam; sed illa in secundo, tertio et quarto gradu dispensat ac dispensare potest.

Tres potissimæ sunt rationes cur matrimonium inter consanguineos usque ad certum gradum ab

Ecclesia prohibeatur ac etiam irritetur. 1°. Ut homines sibi ipsis extranei diversarum necessitudinum vinculis nectantur, sicque latius diffundatur charitas. 2°. Propter reverentiam sanguine junctis debitam. 3. Ne consanguinei ob spem matrimonii minus caste simul cohabitent.

Quæres 3°. utrum consanguinitas ex conjunctione illicita proveniens sit impedimentum dirimens, adeo ut filius legitimus contrahere non possit cum spuria et cognata usque ad quartum gradum ?

R. affirmative, 1°. quia filius legitimus et filia illegitima ejusdem patris ex eodem sanguine nati sunt. 2°. Quia Innoc. III. cap. *Per tuas* de Probationibus, sic definivit. 3°. Concil. Lateranense nullam inter consanguinitatem, legitimam aut illegitimam distinctionem apposuit, nec Concilium Tridentinum quidquam in Decreto Lateranensi immutavit.

Cæterum consanguinitas sive ex legitimo matrimonio sive ex injusta conjunctione proveniat, non dirimit matrimonium inter personas quarum alia est in secundo aut tertio aut quarto gradu, alia vero in quinto gradu, ut declaravit Greg. IX. cap. *Vir.* lib. 24. tit. 14. de Consang. et Affin.

Cognatio spiritualis.

Cognatio spiritualis est affinitas Jure ecclesiastico inducta, quæ oritur ex Baptismo vel Confirmatione, ut jam dictum est. Cum enim in Baptismate spiritualiter nascamur, hæcque nativitas in Confirmatione perficiatur, qui ad illa Sacramenta concurrunt, ut Minister et susceptores, habentur ut patres spirituales. Unde susceptores dicuntur patrinus et matrina; ideo visum est dedecere ut baptizati cum iis matrimonium inirent, a quibus vel baptizati vel suscepti sunt.

Quæres 1°. quas inter personas cognatio spiritualis matrimonium dirimat ?

R. Jure antiquo late diffundebatur spiritualis cognatio

cognatio, sed Jure novo, scilicet Decreto Concilii Trid. sess. 24. de Reform. 2. cognatio spiritualis inducitur tantum ac matrimonium dirimit 1°. inter susceptores et baptizatum, illiusque patrem et matrem. 2. Inter baptizantem et baptizatum, illiusque patrem et matrem.

Ut autem susceptores seu patrini et matrinæ cum baptizatis et eorum parentibus impedimentum contrahant requiritur 1°. ut sint baptizati, quia alioquin Legibus Ecclesiæ non subjiciuntur. Requiritur 2°. ut rationis usum habeant. 3°. Non requiritur absolute ut baptizatum tangant; sed sufficit ut fuerint in patrinos designati vel a Parocho, vel a parentibus, vel a baptizando si sit adultus, illudque munus acceptaverint ac exercuerunt.

Hæc quoque dicenda sunt de patrinis et matrinis in Sacramento Confirmationis, ubi adhiberi solent, quod nunc rarissime fit.

Quamvis autem ex regula generali cognatio spiritualis inter baptizantem et baptizatum, nec non inter susceptores et susceptum inducatur, nonnullæ tamen admittendæ sunt exceptiones. Hanc enim cognationem non contrahunt 1°. pater aut mater qui prolem *legitimam* baptizant *in articulo mortis, quando alius non reperitur qui baptizet.* Excipiuntur enim a Jure canonico lib. 4. Decret. tit. 11. de Cognat. spirit. cap. *Si vir.* Unde non impediuntur a petitione debiti in matrimonio. At alii qui etiam in casu necessitatis baptizant, cognationem spiritualem contrahunt; quia nullibi excipiuntur. Dixi autem *pater et mater qui baptizant prolem legitimam.* Quia si pater prolem ex concubina susceptam in casu necessitatis baptizet, cognationem cum illa contrahit nec eam ducere potest.

2°. Excipiuntur quoque a præcedenti regula generali pater vel mater qui ex ignorantia facti invincibili legitimam prolem in Baptismo susciperent.

3°. Qui munus patrini exercent, dum supplentur cæremoniæ

cæremoniæ Baptizmi; cum enim Sacramentum tunc non conferatur, cognationem spiritualem nullam contrahere possunt.

4°. Excipi debet, juxta sententiam multo probabiliorem, procurator patrini; quia non suo sed mandantis nomine agit; sed solus qui mandatum dedit cognationem spiritalem contrahit. Ita decidit Congegatio Conc. Trid. Interpres, ex Fagnano in cap. *Veniens*, de Cognat. spirit.

5°. Propter contrariam rationem impedimentum contrahit qui baptizat ex delegatione, quia non agit vice delegantis sed Christi.

6°. Patrinus et matrina inter se, ut colligitur ex Constitut. Pii V. *cum illius vicem*, nullam cognationem contrahunt: unde possunt inter se matrimonium inire.

Quæres 2°. an si plures quam unus et una patrinorum aut matrinarum officium exercuerint, cognatio spiritualis contrahatur ab omnibus?

R. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 2. præscripsisse ut unus et una ad summum baptizatum de Baptismo suscipiant. Si tamen plures patrini et matrinæ admittantur ac officium susceptorum exerceant, tunc cognatio spiritualis contrahitur ab omnibus, ex cap. *Quamvis*, de Cognat. spirit. in-6°. Sic declaravit insuper Congregatio Concil. Trid. Interpres.

Quæres 3°. an susceptores infantis, qui sub conditione baptizatur, cognationem spiritualem contrahant?

R. diversam esse ea de re Theologorum ac Canonistarum sententiam. Eorum qui affirmant opinio nobis videtur in praxi tenenda. Dubium est enim an hujusmodi Baptismus effectum producat. In dubio autem, ubi præsertim de Sacramentis agitur, pars tutior est eligenda.

Quæres 4°. an qui infantem extra solemnem Baptismum domi suscipiunt, cognationem spiritualem contrahant?

R. negative, quia stando verbis Concil. Trid. cognatio

cognatio spiritualis tantum contrahitur, cum infans solemniter in Ecclesia suscipitur. Extra Ecclesiam veri non sunt patrini: *Patrini* inquit Rituale Parisiense, *non adhibentur si Baptismus conferatur extra Ecclesiam.*

Quæres 5°. an impedimentum cognationis Ecclesiæ dispensatione tolli possit?

R. affirmative, quia impedimentum illud solo jure ecclesiastico constitutum est, ut in confesso est apud omnes. Dubium igitur non est quin S. Pontifex possit ab eo dispensare. Quinimo nonnulli sunt Episcopi qui respectu pauperum hoc jure perfruuntur. Sed in Oratione, *la Supplique*, explicandum est cujus generis sit cognatio cujus dispensatio petitur. Insuper si quis carnaliter cognovit personam cum qua cognatione spirituali junctus est, crimen exprimere debet; is enim constans est Curiæ Romanæ stylus: stylus autem facit jus.

De impedimento Criminis.

Nascitur impedimentum criminis vel ex adulterio solo, vel ex conjucidio solo, vel ex conjucidio simul et adulterio. Id patet ex pluribus Ecclesiæ Decretis, præsertim ex cap. *Si quis vivente*, causa 34. q. 2. et ex multis cap. titul. *De eo qui duxit.* Idque convenientissime statutum est, ne conjuges spe matrimonii cum complicibus ineundi, ad crimina adulterii et conjucidii allicerentur. Sed cum ista crimina matrimonium subsequens non irritent nisi certis in circumstantiis, expedit breviter illas explicare.

I.

Adulterium solum dirimit matrimonium subsequens; sed oportet 1°. ut adulterium illud conjunctum sit cum mutua promissione matrimonii post conjugis obitum ineundi, sive post sive ante scelus commissum data. Oportet 2°. ut promissio etiam acceptata

acceptata non revocetur ante adulterium, quia promissio revocata jam non existit. Sed parvi refert an promissio hæc sit conditionalis vel absoluta, ficta vel sincera, modo tamen sit exterius manifestata et acceptata. Ratio est quia promissio simulata quæ seria existimatur, non minus ad crimen impellit quam si vera esset. An autem taciturnitas sit sufficiens acceptationis signum, an non, convertitur inter Theologos. Tutior pars est affirmans ac proinde in praxi tenenda; seu potius in his circumstantiis difficilibus consuli debet Episcopus. Oportet 3°. ut adulterium sit cognitum utrique adulteranti, seu ut statum conjugii pars utraque cognoscat. Oportet 4°. ut sit verum; nec enim sufficit existimatum, v. g. si putabatur maritus vivere qui jam erat mortuus. Oportet 5°. ut sit consummatum.

II.

Conjucidium solum ac etiam sine adulterio subsequens matrimonium dirimit. Sed tres requiruntur conditiones Oportet. 1°. ut conjucidium fuerit realiter peractum aut physice aut concilio aut mandato: non sufficit autem ut attentatum fuerit, vel simpliciter approbatum si casu evenerit. Oportet 2°. ut ab utroque eorum qui matrimonium contrahere volunt, vel saltem ab uno de alterius consensu peractum sit. Unde non sufficit quod conjux conjugem occidat, si persona cum qua vult matrimonium contrahere, ignoret vel non consentiat huic homicidio. Oportet 3°. ut conspiratio amborum complicium facta sit cum intentione matrimonium inter se contrahendi. Quæ quidem intentio debet exterius manifestari ut utrique innotescere, alioquin non esset mutua duorum conspiratio. Unde si conjux occidatur v. g. ex vindicta vel ob spem successionis, tunc non erit impedimentum dirimens ex communi Theologorum sententia.

III

III.

Conjucidium junctum cum adulterio parit impedimentum, etiamsi nec fuerit mutua conspiratio ad conjucidium, nec promissio futuri matrimonii, quæ necessaria est quando commissum est unicum adulterii crimen. Sed sufficit 1°. ut adulterium sit verum consummatum, utrique parti cognitum. 2°. Ut mortis machanatio facta sit ab uno duntaxat adulterantium cum animo matrimonii contrahendi, 3°. Ut ulla machinatio vel physice vel mandato vel consilio mortem operata sit.

Si quis igitur, propria uxore vivente, promisit se cum alia contracturum, peccat quidem graviter propter periculum adulterii vel homicidii; verumtamen si nec conjucidium nec adulterium intervenerit, poterit post suæ conjugis mortem istam cui promisit in uxorem ducere.

Nota impedimentum criminis in Tribunalibus civilibus admitti, ut constat multis Curiarum supremarum Decretis. Contrahitur, fatentibus omnibus, etiam ab iis qui ignorant illud a suo crimine exoriri.

Quæres quo jure fundetur criminis impedimentum, et utrum possit ab Ecclesia relaxari?

R. impedimentum criminis nec jure naturalli nec divino fundari, sed ecclesiastico tantum, ac proinde posse ab ecclesiastica potestate relaxari. Sic olim David in uxorem duxit Bathsabee, quamvis reus foret simul adulterii et conjucidii.

Ex Lege communi ad Romanam pœnitentiariam, *la Penitencerie*, recurritur, ad obtinendam dispensationem impedimenti quod ex adulterio vel conjucidio nascitur, et merito quidem ut vitentur pœnæ hisce criminibus debitæ. Adsunt tamen Episcopi qui ex consuetudine vel privilegio a S. Pontifice indulto, ab eo impedimento certis in casibus dispensant, v. g. si partes non possint facile ad Romam recurrere, si id necesse sit ad vitandum

scandalum

scandalum, si matrimonium jam sit contractum, nec partes possint sine magno incommodo separari.

De impedimento disparis Cultus.

Impedimentum illud ex diversa contrahentium Religione nascitur. Cultus autem disparitas de qua hic agitur, ea est quæ intercedit inter baptizatos et non baptizatos, quales sunt Gentiles, Judæi, Turcæ; non autem ea quæ reperitur inter Fideles et Hæreticos.

Certum est hanc disparitatem cultus esse impedimentum dirimens sive ex cap. *Cave*, causa 28. q. 1. et ex Canone, *Si quis*, ibidem; sive ex consuetudine Ecclesiæ; sive ex consensu omnium.

R. convenire omnes impedimentum illud non irritare matrimonium jure naturali et divino, sed tantum jure ecclesiastico; prionde rectis de rationibus potest hoc impedimenti genus ab Ecclesia relaxari. Cæterum cum multa de matrimoniis Infidelium et Hæreticorum sive inter se sive cum Catholicis disseruerimus antea, nihil eo loci ea de re ulterius dicendum occurrit.

De impedimento Vis seu Metus.

Certum est metum gravem et injuste incussum esse impedimentum quo matrimonium dirimitur ex cap. *Veniens*, et ex cap. *Consultationi*, lib. 4. tit. 1. de Sponsal. et quidem merito. Cum enim matrimonium dissolvi nequeat, plena debet securitate gaudere, ne conjux per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur infelix exitus qui ex invitis nuptiis solet provenire.

Quæres 1°. quid requiratur ut metus matrimonium dirimat?

R. requiri 1°. ut metus ille sit gravis, et cadens, ut aiunt, in constantem virum, qualis est timor maximorum malorum, v. g. mortis mutilationis, gravis corporis cruciatus, gravium verberum

berum, servitutis, captivitatis, gravis exilii, diuturni carceris, statum vel notabilia bona amittendi, gravis infamiæ, stupri cujus viris bonis metus debet esse major quam ipsius mortis. Facile enim intelligitur tantorum malorum timore perterreri ac conturbari virum etiam constantem, ac saltem minui libertatem ad matrimonium necessariam.

Notat merito S. Bonaventura malorum illorum minis virum constantem non perterreri, nisi quando præsumitur probabiliter quod ille qui minatur, possit illas implere, nec adest huic resistendi potestas. Notant etiam, nec immerito, Doctores, in iis spectari debere circumstantias v. g. personarum, qualitatem, sexum, ætatem. Malum enim dici potest grave respectu nobilis, fœminæ, timidi, quod tale non esset respectu ignobilis aut viri fortis et constantis. Notant iidem Doctores matrimonium æque invalidum esse, sive metus inferatur personæ quæ matrimonium contractura est, sive propinquis ejus v. g. patri vel matri, vel fratri, vel sorori.

De metu autem reverentiali, quo inferior v. g. filius respectu patris, pupillus respectu tutoris, subditus respectu Principis, ob reverentiam Superioris quem offendere timet, aliquid agit quod agere nollet, disputant Theologi. Convenire tamen videntur metum esse levem nec matrimonium dirimere, se sit mere reverentialis et seclusus a gravi comminatione malisve tractationibus præsentibus aut probabiliter futuris; quia æquum ut filii parentibus ex reverentia subjiciantur, nec ille metus talis est ut terrere possit verum constantem. At metus gravis censetur, matrimoniumque dirimit, si Superioris rationabiliter timeantur minæ, verbera, servitus, gravis et diuturna offensio, indignatio, tractationes indignæ aut verbis aut actibus. His enim vir etiam constans afficitur ac perterreri.

2°. Ut metus matrimonium dirimat, requiritur quod injuste fuerit incussus. Si enim fuerit juste incussus, validum erit matrimonium. Hinc valide,

contrahit quem Judex, ut olim fiebat, damnaverit laqueo, nisi velit constupratam virginem ducere. Ratio est 1°. quia nulla ei fit injuria, cum metus juste incutiatur. 2°. Quia in nuptiæ sint actu involuntariæ, in causa tamen voluntariæ sunt, cum libere stupraverit virginem, libereque fecerit rem tali comminatione dignam.

Requiritur 3°. ut metus ille a causa extrinseca et libera inferatur. Ita omnes post Innocent. III. cap. *Sicut nobis*, de Reg. Hinc si quis metu inferorum aut mortis imminentis ex morbo vel naufragio concubinam aut vitiatam a se puellam ducat, valide contrahit, quia metus ille causam habet intrinsecam et naturalem, neque ab alio, sed a se ipso determinatur ad matrimonium.

Requiritur 4°. ut metus incussus fueriteo fine ut nuptiæ fierent ad obtinendum martimonio consensum. Ita omnes post eumdem Innoc. III. in cap. *Cum locum*. Hinc valide contrahit, qui. v. g. in carcere propter debita constitutus, creditori proponit filiam ejus in uxorem ducere, timens ne in perpetuum in eo detineatur. Ratio est quia contrahens non impellitur ab eo qui metum incutit; sed ipse ultro et voluntarie eligit matrimonium ut medium quo malum grave devitetur.

Quæres 2°. quo jure metus matrimonium dirimat et utrum illud impedimentum relaxari possit?

R. circa hanc quæstionem non consentire Theologos. Alii volunt metum gravem dirimere matrimonium jure naturali; quia, inquiunt, metus gravis tollit consensum verum et liberum. Alii censent metum non dirimere matrimonium jure naturali, sed tantum ecclesiastico, quia metus non tollit voluntarium, cum voluntas cogi non possit.

Quidquid sit, saltem certum est illud impedimentum non posse ab Ecclesia relaxari; cum Ecclesia merito dicatur id non posse, quod prudenter et juste non potest: atqui Ecclesia prudenter et juste non potest ratum habere matrimonium ex iniquo et gravi metu contractum; quia tunc injuriam alteri illatam confirmaret.

Quæres

Quæres 3°. quomodo matrimonium ex iniquo et gravi metu in facie Ecclesiæ contractum, possit fieri firmum?

R. Ex Clement III. cap. *Ad id*, de Sponsal. non requiri ut partes coram Parocho et testibus rursum contrahant' nec etiam requiri ut pars quæ nullum metum experta est, novum consensum præbeat, modo consensum prius datum non revocaverit, sed sufficere ut pars quæ metum passa est, postea consentiat. Consensus autem sufficiens censetur datus aut per usum matrimonii sponte et animo martiali concessum, aut per cohabitationem spontaneam etiam sine usu matrimonii. At sedulo notandum est illum qui per metum gravem injuste incussum contraxit, nullatenus posse matrimonio uti, donec, cessante metu, libere consenserit; alioquin fornicationem committeret quæ nunquam licita esse potest. Propter eamdem rationem, si unus contrahentium metum gravem injuste incussit, vel sit conscius metus incussi, debet expectare donec metum passus de novo consenserit, tuncque ipse tenebitur ratihabere illius consensum.

De impedimento Ordinis.

Certum est 1°. Ordines sacros, subdiaconatum, diaconatum, præsbyteratum, reddere matrimonium subsequens prorsus invalidum; *Si quis dixerit*, inquit Concil. Trident. *Clericos in sacris Ordinibus constitutos.....posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege ecclesiastica.....anathema sit.* Porro Ecclesia nuptias Clericis interdixit, ne rerum temporalium sollicitudine distracti et desideriis carnalibus irretiti, a Dei cultu ministeriisque ecclesiasticis avocarentur: *Qui enim, ait apostolus sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*, 1. Cor. 7.

Certum est 2°. Ordines sacros dirimere matrimonium

monium etiam ratione sui, ob Ecclesiæ Statutum. Hinc valide contrahere matrimonium non possent, qui in susceptione Ordinis sacri castitatem vovere noluissent, quia in ipsa Ordinis susceptione tacitum continetur castitatis votum.

Certum est 3°· illud impedimentum esse tantum juris ecclesiastici ac relaxari posse. Matrimonium enim Clericis non interdicitur nisi per Leges ecclesiasticas; jamque antea diximus Casimirum Cluniacensum Monachum et Diaconum a Polonis in Regem electum ex dispensatione S. Pontificis Bened. IX. matrimonium contraxisse.

De impedimento Ligaminis.

Certum est ligamen seu vinculum quo conjuges per matrimonium legitimum sibi conjunguntur, dum vivit uterque conjux, jure tum divino tum ecclesiastico dirimere matrimonium subsequens, adeo ut conjuges, durante priori matrimonio, non possint valide aliud matrimonium iniri. Id constat 1°· ex Paulo 1. Corinth. 7. *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit : quod si vir ejus dormierit, liberata est, cui vult nubat.* 2°. Ex Concil. Trid sess. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures habere simul uxores, et hoc nulla Lege esse prohibitum anathema sit.* 3°· Ex iis quæ dicemus ubi de Polygamia et Indissolubilitate matrimonii.

Quæres 1°· quid requiratur ut conjux, v. g. uxor, viro jamdudum absente possit ad aliud matrimonium admitti.

R. requiri probationem moraliter certam qua constet priorem conjugem ab hac vita migrasse, ut habetur cap. 2. de *secundis Nuptiis.* et c. 19. *de Sponsal.* Ratio a priori est, quia alias conjux sese exponeret periculo contrahendi matrimonium invalidum, aliisque malis inde nasci solitis.

Quæres 2°· quænam sint probationes moraliter cærtæ, et absolute requisitæ, ut talis conjux possit ad aliud matrimonium admitti ?

R.

R. 1°. nec sufficere quod prior maritus ad extraneas Mundi oras translatus fuerit, nec quod tempore diuturno absens fuerit, nec quod vulnere lethali in prælio percussus fuerit nec quod nihil de eo auditum fuerit; cum Joannes *Maillard* post 43. annos ad uxorem redierit.

2°. Nec quoque sufficit in re tanti momenti testimonium unius hominis privati, quantumvis probus habeatur; cum in alia re quacumque testis unus sit testis nullus. Igitur duo ad minus testes mortis requiruntur, iique occulati ac fide digni.

3°. In Galliæ Regno regulariter requiruntur probationes munitæ instrumento authentico e sepulturarum registris extracto, et recognito, *legalise*, ab illius loci Episcopo, ubi sepultum est conjugis defuncti cadaver. Etenim Reges nostri multis Constitutionibus præscripserunt ut, quoties de matrimonio aut obitu probandis agetur, non per testes sed per instrumenta e registris publicis extracta conficeretur res, idque in Tribunalibus civilibus exigitur.

4°. Ex praxi quorumdam locorum insuper requiritur, ut ab Episcopo loci ubi celebrandum est matrimonium recognoscatur dictum instrumentum, tanquam legitimum et ad fidem faciendam sufficiens, præsertim si e Regione longinqua venerit.

5°. In casibus extraordinariis, quibus v. g. mors conjugis aut naufragio aut prælio defuncti Christianorum mortuorum registris inscribi non potuit, Capitanei aut navis Præfecti aut eorum defectu inferioris Officiarii aut aliorum virorum fide dignorum producendum erit testimonium scriptum, quo constet conjugem, de quo agitur, esse defunctum.

Quæres 3°. quid agere debeat mulier quæ post matrimonium cum alio viro bona fide contractum, priorem suum maritum in vivis superesse certo rescivit?

R. teneri eam a posteriore conjuge recedere, et ad priorem, si compareat aut adiri possit, reverti, cap. 2. de *secundis Nuptiis*. Ratio est quia matrimonium est indissolubile.

Notandum est autem 1°. filios cum bona fide etiam unius partis, ut in præcedenti casu, susceptos, pro legitimis habere et parentum bonis succedere, cap. *Ex tenore, qui filii sunt legitimi.* Sic in supremis Curis judicari solet.

Notandum est 2°. mulierem, si prioris marti mortem didicerit a testibus ignotæ fidei, vel a rumore publico tantum, qui falsa ut vera sæpius dispergit, non teneri a posteriori marito recedere; cum ejusmodi testimonium vel rumores nequidem verum dubium pariant.

Quæres 4°. quomodo sese gerere debeat mulier, si incerta sit ac dubia de morte prioris conjugis?

Respondet Innoc. III. cap. 44. *de Sent. excomm.* distinguendum esse utrum illa *habeat conscientiam hujusmodi dubiam ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta. Si* 1. *conscientia levis et temerariæ credulitatis explosa, ad sui Pastoris judicium, mulier licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Si* 2. *debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii vel contra judicium conscientiæ committat offensiam.* Hujus responsionis ratio facile intelligitur. Cæterum in isto casu dubii diligens inquisitio ad veritatem detegendam fieri debet. Quod si, ea facta, dubium idem perseveret, in eadem quoque agendiratione mulier perseverare debet.

Quæres 5°. quid juris, si conjux uterque dubia aut mala fide contraxerit.?

R. neutrum posse matrimonium uti, sive reddendo sive postulando debitum, quia possessio juris nec cum dubia nec etiam cum mala fide potest inchoari.

De impedimento publicæ Honestatis.

Honestas publica est propinquitas orta ex sponsalibus aut matrimonio rato non consummato, quam

quam contrahit sponsus cum consanguineis sponsæ, et vicissim sponsa cum consanguineis sponsi. Hinc differt ab affinitate, quæ oritur ex matrimonio consummato cum personæ desponsatæ consanguineis.

Impedimentum illud Jure civili primo inductum, ab Ecclesia fuit postea adoptatum, ut constat ex Jure canonico et Concil. Trid. sess. 24. de Reform. matrimonii, c. 3. nunc in Curiis supremis admittitur.

Impedimentum hoc sic appellatur eo quod non sit decorum et honestum ut vir qui sponsalia vel matrimonium contraxit cum puella, aliam ex ejus consanguineis in uxorem ducat.

Quæres 1°. quo in gradu honestas publica, si ex sponsalibus orta, matrimonium dirimat?

R. impedimentum hoc, quod olim ad septimum gradum, et post Concilium Lateranense magnum, ad quartum duntaxat extendebatur, nunc primum gradum non excedere, rem sic statuente Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 3. Ideo sponsus potest valide matrimonium inire cum omnibus consanguineis sponsæ, præterquam cum ejus matre vel filia vel sorore.

Quæres 2°. an impedimentum honestatis oriatur ex sponsalibus etiam invalidis?

R. ex Jure novo quod Concilium Trid. introduxit, impedimentum illud non ori nisi ex sponsalibus validas. *Publicæ honestatis*, inquit sacrosancta Synodus Trid. sess. 24. de Reform. cap. 3. *impedimentum, ubi, sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat.*

Quibus autem de causis invalida sint sponsalia, a nobis antea dictum est. Quædam tantum addemus. 1°. Impedimentum honestatis ex sponsalibus validis ortum, est perpetuum, nec cessat, etiamsi postea dissolvantur, sive per mortem alterius contrahentium sive per mutuum consensum utriusque. Sic sæpe declaravit Congregatio Cardinalium,

dinalium, idque approbavit Alexander III. an. 1658. ut refert Fagnanus in cap. *Ad audientiam*, de Sponsalibus n. 29.

2°. Si sponsalia facta fuerint sub conditione de re futura, non pariunt impedimentum nisi post impletam conditionem, quia sponsalia non sunt nisi eo tempore valida.

3°. Non inducitur hoc impedimentum ex sponsalibus secundis post prima valida et non dissoluta initis, neque ex sponsalibus a persona ad matrimonium inhabili contractis, cum hæc sponsalia sint invalida.

4°. Controvertitur inter Theologos utrum impedimentum nascatur ex sponsalibus civilibus, aut coram Notario et testibus extra Ecclesiam initis. Solvimus hanc quæstionem ubi de Sponsalibus.

5°. Disputant inter se Theologi an sponsalia exterius et in foro externo valida, sed intus ac propter causam occultam, v. g. votum castitatis, consensus interni defectum invalida, pariant honestatis impedimentum. Probabilius videtur ex ejusmodi sponsalibus non induci impedimentum, cum illud ex Conc. Trid. non oriatur ex sponsalibus *quacumque ratione* invalidis. Cum tamen contrarium affirment alii, eo quod honestas et decentia quibus fundatur illud impedimentum in præfatis sponsalibus non minus locum habeat in ordine ad vetandum matrimonium, quam si omni ex parte valida forent hæc sponsalia, tutius est in casu proposito postulare dispensationem, idque eo satius est quod matrimonium cum tali vinculo contractum, si deferatur ad Tribunalia civilia, ubi ad externa tantum attenditur, ab iis procul dubio sit irritandum.

Quæres 3°. in quo gradu honestas publica, si oriatur ex matrimonio rato non consummato, matrimonii impedimentum inducat?

R. impedimentum illud induci usque ad quartum gradum inclusive, ut constat ex Jure veteri cap. 4. de Sponsalibus; quod quidem Conc. Trid. nec mutavit nec restrinxit, sed in eodem statu reliquit,

liquit, ut declaravit Pius V. in Bulla an. 1568. *ad Romanam.* Hinc si Joannes matrimonium contraxit cum Bertha, eaque mortua sit vel Religionem ante matrimonii consummationem amplexa fuerit, Joannes non poterit ducere Berthæ consanguineam usque ad quartum gradum lineæ sive directæ, sive collateralis; idque verum est pro consanguineis tum illegitimis tum legitimis, quia jure nullatenus distinguuntur. Sed locum non habet istud impedimentum respectu affinium, de quibus prorsus silent Ecclesiæ Canones.

Quæres 4°. utrum ex matrimonio rato non consummato, sed invalido, nascatur impedimentum honestatis?

Antequam respondeatur, notandum est matrimonium aliquod posse esse ratum, id est, juxta legimas formas contractum, et tamen invalidum, videlicet propter aliquod impedimentum dirimens. His positis.

R. ex matrimonio rato non consummato, licet invalido, nasci honestatis impedimentum. Ita expresse sancitur cap. supra laudato *de Sponsalibus*, cui Concilium Trid. nihil derogavit, cum solum abrogaverit impedimentum ex sponsalibus invalidis ortum, non autem illud quod ex matrimonio invalido nascitur. Si tamen matrimonii invaliditas orta sit ex defectu consensus, ut si contrahatur a pueris vel amentibus, vel ex errore personæ, tunc non exurgit impedimentum ex matrimonio non consummato, ut habetur cap. *ex Sponsalibus* in 6. Ratio a priori est quia in eo casu nullum est matrimonium. Advertendum est tamen in sententia eorum qui contendunt matrimonium impuberis valere ut sponsalia, oriri ex eo matrimonio honestatem publicam, quæ nascitur ex sponsalibus, id est, usque ad primum gradum.

Quæres 5°. utrum impedimentum honestatis ex matrimonio clandestino inducatur?

R. affirmative contra quosdam qui istud negant. Ratio est quia Bonifacius VIII. in cap. *ex Sponsalibus,*

libus, tit. de Sponsal. et Matrim. declaravit ex matrimonio invalido, modo invaliditas non sit ex defectu consensus, nasci honestatem publicam. Atqui matrimonium clandestinum non est magis nullum defectu consensus, quam illud quod raptu vel crimine fit irritum.

Quæres 6°· quo jure impedimentum honestatis publicæ fuerit inductum?

R. impedimentum illud, fatentibus omnibus, solo jure humano aut ecclesiastico aut civili inductum esse. Unde Infideles eidem non sunt obnoxii.

Inde sequitur posse relaxari illud impedimentum. Ut illius dispensatio obtineatur, recurri solet ad Sedem apostolicam. Quidam tamen Episcopi ex indulto S. Pontificis in hac parte dispensant. Iis dispensationibus potestas civilis adhæret.

De impedimento Amentiæ.

Amentium nomine ii omnes intelliguntur, qui liberum rationis usum non habent, ut sunt furiosi, imbecilles, &c.

Certum est 1°· perpetua amentia laborantes jure naturali ad contrahendum matrimonium esse inhabiles, cum non sint capaces sensus sine quo nullus contractus esse potest.

2°· Si dementia non sit perpetua, possunt qui ea laborant in lucidis intervallis validum matrimonium contrahere. Idem dicendum est de iis qui non omni ratione aut libertate carentes, debile tamen ingenium habent. Sed ii omnes a matrimonio debent avocari, si fieri potest, ob multa quæ ejusmodi matrimoniis imminent pericula. Quod si parentes importune insistant, a Parocho consuli debet Episcopus.

3°· Surdi et muti, qui satis intellectus habent ut signis edoceri possint quid sit Religio, quid sit matrimonium, quique consensum aliquo modo manifestare possunt, valide nubere valebunt, sicut et Religionem profiteri.

De

De impedimento Affinitatis.

Affinitas est propinquitas quam aliqua persona contrahit cum consanguineis illius personæ eum qua carnale commercium, sive licitum in matrimonio, sive illicitum habuit.

Ex illa definitione patet 1°. virum contrahere affinitatem cum consanguineis mulieris quam carnaliter cognovit, 2°. mulierem cum consanguineis viri a quo carnaliter cognita est. Non exurgit illud affinitatis impedimentum, ex hodierna Ecclesiæ disciplina, nisi inter virum qui mulierem carnaliter cognovit et illius mulieris consanguineos, aut vice versa, nunquam vero inter consanguineos utriusque. Undé commune adagium, *affinitas non parit affinitatem.* Hinc duo fratres, vel pater et filius, licite possunt duas sorores, vel matrem et filiam alterius familiæ ducere, ut quotidie contingit.

Patet etiam ex illa definitione affinitatem non contrahi ex matrimonio, nisi quando consummatum est.

Quæres 1°. qua ratione computari debeant gradus affinitatis?

R. in utraque linea sive directa sive collaterali, gradus affinitatis computari debere ex gradibus consanguinitatis. Unde regula generalis et receptissima hæc est: *Persona quælibet in eo gradu est affinis ei qui consanguineam suam carnaliter cognovit, in quo ipsa huic isti consanguinea est.* Hinc qui Mariam duxit, affinis est in primo gradu matri, filiæ, et sorori Mariæ, in secundo gradu consobrinæ ejusdem, in tertio gradu sobrinæ, &c.

Quæres 2°. quo in gradu affinitas matrimonium dirimat?

R. 1°. ex Theologorum totiusque Ecclesiæ consensu, in linea recta matrimonium dirimi quocumque affinitatis, non secus ac consanguinitatis gradu. Hinc nullum est matrimonium inter socerum et nurum, *beau-pere et belle fille*, inter socrum et generum, *belle-mere et gendre, &c.*

R. 2°.

R. 2°· juxta præsentem Ecclesiæ latinæ disciplinam, quæ veterem restrinxit, matrimonium in linea collaterali ad quartum affinitatis gradum inclusive nec ultra dirimi, cum de conjunctione licita agitur. Ita definitum est a Concilio Lateranensi 4. cap. *Non debet.* Hinc maritus defunctæ uxoris consanguineam in quarto vel proximiori gradu non potest sine dispensatione in conjugem assumere; idemque de uxore vicissim dicendum est respectu consanguineorum mariti defuncti.

R. 3°· in eadem linea collaterali, ubi de conjunctione illicita agitur, affinitatem ad secundum gradum fuisse a Concilio Trid. restrictam, sess. 24. de Reform. cap. 4.

Quæres 3°· an matrimonium consummatum, sed invalide contractum, inducat affinitatem ad quartum inclusive gradum?

R. distinguendum esse. Vel enim matrimonium ejusmodi contractum fuit ex mala fide et cum scientia impedimenti dirimentis, vel bona fide ex ignorantia inculpata. Si prius, non videtur affinitatis impedimentum sese ultra secundum gradum extendere, quia in eo casu affinitas ex conjunctione illicita provenit. Idem, ex Giberto, dicendum est, si partes cum impedimento sibi quidem incognito contraxerint, sed consuetas ejusdem impedimenti detegendi vias, v. g. bannorum promulgationem, neglexerint. Contrahitur tamen in istis casibus impedimentum honestatis publicæ usque ad quartum gradum, ut antea diximus. Si posterius, cum affinitas ex conjunctione licita provenerit, ad quartum usque gradum sese extendere videtur.

Quæres 4°· an ii qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis affinitatis aut consanguinitatis, pœnas aliquas incurrant?

R. non tantum eorum matrimonium esse invalidum, ac proinde illegitimam prolem inde susceptam, et pro illegitima esse habendam in foro externo, si notoria sit affinitas; sed insuper eos excommunicationem, non tamen reservatam, incurrere, ex Clem. unica de *Consanguin.*

Quæres

Quæres 5°. quos effectus habeat affinitas in gradibus prohibitis, matrimonio superveniens?

R. 1°. per eam non dissolvi matrimonium, cum sit indissolubile, ex dicendis.

R. 2°. eum qui peccavit cum conjugis in primo aut secundo gradu consanguineis quas pro consanguineis agnovit, propter hunc incestum privari jure debitum ab innocenti parte exigendi, donec dispensationem ab Episcopo obtinuerit. Idem tamen tenetur debitum alteri parti concedere, quæ jure suo privari nullatenus meruit.

Dixi, quas pro consanguineis agnovit, quia si id ignoraverit, incestus erit materialis tantum; quo in casu non privat jure petendi debitum.

Quæres 6°. quo jure matrimonium irritum faciat affinitas?

R. 1°. Si agitur de linea collaterali, affinitatem etiam in primo gradu jure ecclesiastico duntaxat matrimonium dirimere, ac consequenter posse ab ea dispensationem obtineri. Id constat 1°. quia Jacob vir sanctus Liam et Rachelem sorores duxit. 2°. Quia multi Pontifices etiam in hoc primo gradu dispensarunt. Sic Alexander VI. permisit ut Emmanuel Lusitaniæ Rex duas sorores Hispaniarum Regis filias successive uxores haberet. Sic Julius II. concessit ut Henricus VIII. Angliæ Rex Catharinam Aragoniæ fratris sui Arturi viduam duceret, cumque Henricus VIII. eam dispensationem irritam esse contenderet ut Annam Bolenam duceret, Clemens VII. consultis totius mundi Universitatibus, eam legitimam declaravit contra dictum Henricum VIII. qui inde schismatis anglicani occasionem sumpsit.

Ex iis sequitur Infideles, qui Legibus Ecclesiæ non tenentur, cum affinibus etiam in primo gradu valide contrahere. Unde si talia matrimonia ante conversionem inierint, non sunt post suam conversionem separandi.

R. 2°. Si agitur de linea directa, fatentur omnes affinitatem in secundo gradu et gradibus inferiori-

bus solo jure ecclesiastico, in quo proinde dispensari potest, matrimonium dirimere. Igitur tota difficultas est de primo lineæ rectæ affinitatis gradu. Alii contendunt affinitatem in eo primo gradu v. g. inter socerum et nurum, *le beau-pere et la belle-fille*, socrum et generum, *la belle-mere et le gendre*, ipso jure naturali, a quo dispensari non potest, matrimonium dirimere. Alii contendunt etiam in eo casu matrimonium solo jure ecclesiastico dirimi. Quæ quidem posterior sententia probabilior nobis videtur. Concilia enim Agathense, Epaonense, Aurelian. 3. prohibent ne dissolvantur matrimonia eorum qui in infidelitate duxerunt viduam patris, filiam uxoris, &c. Atqui si ea matrimonia jure naturali essent irrita, eorum dissolutio præciperetur, nedum prohiberetur. Non legitur tamen ullam dispensationem a S. Pontificibus in eo primo affinitatis gradu fuisse concessam.

Cæterum ibi non distinximus inter affinitatem ex matrimonio vel ex crimine provenientem. Nec una in primo gradu magis matrimonium dirimit quam altera, cum per utramque duo fiant æqualiter una caro.

De impedimento Clandestinitatis.

Matrimonii clandestinitas oritur vel ex defectu consensus parentum, vel ex defectu præsentiæ Parochi et testium. Itaque de hoc impedimento dicemus ubi de consensu parentum, et præsentia Parochi ac testium in matrimoniorum celebratione requisita dicemus.

De impedimento Impotentiæ.

Faxit optimus Deus ut quæ hic ex necessitate dicturi sumus, caste dicamus, cordeque puro addiscant ii qui ex ministerio suo ea cognoscere tenentur!

Impotentia est incapacitas consummandi matrimonium, seu defectus quo impeditur illius usus.

Impotentia

Impotentia alia est antecedens, quæ matrimonium præcedit, alia subsequens, quæ eidem supervenit; alia perpetua, quæ nec ullo remedio naturali licito, nec per consuetos Ecclesiæ exorcismos aut preces sanari potest; alia temporalis, quæ ope remedii liciti aut precibus ordinariis depelli potest; alia perpetua simul et absoluta, respectu cujuscumque; alia respectiva, respectu alicujus tantum; alia quæ oritur ex defectu naturæ; alia quæ oritur ex aliquo maleficio.

Quæres 1°. quæ impotentia sit impedimentum dirimens matrimonium?

R. 1°. matrimonium non dirimi per impotentiam ei supervenientem; cum sit indissolubile, excepto Professionis religiosæ casu, si nondum illud consummatum fuerit, ut postea dicemus. Cæterum si post matrimonium valide contractum acciderit aliquid quo impediatur matrimonii usus, conjuges, si res certo constiterit, continentiam servare tenentur, ne violetur matrimonii sanctitas.

In dubio an impotentia matrimonio præiverit, necne, præsumitur non præivisse, si pars sana non nisi post longum temporis lapsum conquesta sit, modo tamen impotentia firmissimis argumentis non comprobetur. Impotentia tamen naturalis, etiamsi per longum tempus non sit reclamatum, in Tribunalibus facile judicatur antecedens, et post octo matrimonii annos utiliter coram Curia Parisiensi reclamatum est.

R. 2°. non dirimi matrimonium per impotentiam antecedentem temporalem præterquam in impuberibus, de quibus postea dicemus. Ita Innoc. III. cap. 6. de Frigidis. Ratio a priori est quia ut matrimonium sit validum, non requiritur illius usus actualis, sed sufficit potentia ad usum. Peccat tamen graviter qui cum ea impotentia contrahit, nec compartem de ea præmonet, quia ei gravem injuriam infert, et eam peccandi periculo exponit.

R. 3°. dirimi matrimonium per impotentiam antecedentem

antecedentem perpetuam, sive absolutam, sive respectivam, sive sit ex causa materiali sive ex maleficio. Id constat. 1°. ex tit. *de Frigidis et Maleficiatis*, lib. 4. Decretalium. 2°. Quia licet usus non sit de essentia matrimonii, requiritur tamen potentia ad usum, ut ait S. Thomas.

Quæres 2°. quid facto opus sit, ubi impotentia est antecedens et perpetua ?

R. Vel certo constat eam talem esse, v. g. Medicorum judicio, vel alio signo evidenti ; vel id non constat.

Si prius, partes a se invicem recedere debent, etiam ante experientiam triennii, de qua dicturi sumus infra, nisi tamen forte conjuges caste secum habitare consentiant instar fratris et sororis, et nullum impudicitiæ vel scandali periculum immineat : quod quidem, ut vitentur probrum aliave incommoda, expedit aliquando, et suaderi potest. Sed hoc in praxi difficile est, nisi partes pietatem colant ; cum rara pietas ad castitatem in iis circumstantiis servandam requiratur.

Si posterius, id est, si dubium sit an impotentia sit antecedens simul et perpetua, jure tum ecclesiastico tum civili conceditur ut conjuges per triennium cohabitent ad experiendum an matrimonium consummare valeant. Porro inter illud triennii spatium iis ea omnia permittuntur, quæ conjugibus licent. Si quæ vero spurcities inde sequitur, in peccatum non imputatur, quia per accidens inde sequi censetur.

Nota in Tribunalibus sive ecclesiasticis sive civilibus non permitti cohabitationem triennem, nisi quando impotentia est dubia nec probari potest. Si enim certa sit, statim in istis Tribunalibus, una parte conquerente, matrimonii dissolutio pronuntiatur, ut constat pluribus Officialium ac Curiarum supremarum Decretis.

In foro conscientiæ triennium ab initio matrimonii computatur, si tamen conjuges pubertatem perfectam attigerint, quæ est in viris octodecim annorum,

annorum, in mulieribus quatuordecim. Alii volunt triennium illud a die Sententiæ Judicis ecclesiastici inchoari debere.

Quæres 3°. quid facto opus sit post elapsum triennium?

R. Vel de impotentia constat, v. g. ex declaratione conjugum, vel non. Si prius, matrimonium judicio Ecclesiæ dissolvendum est, non vero sola partium auctoritate, tum propter scandalum inde suboriturum, cum tales pro conjugibus habeantur; tum quia ii qui matrimonii pertæsi sunt, inde occasionem sumerent impotentiam fingendi ut a se invicem recederent.

Si posterius, nimirum si, elapso triennio, non constet de impotentia, nec partes de ea conveniant, tunc quædam alia præscribit Jus canonicum in quibus eo minus immorabimur quod in multis Galliæ Provinciis obsoleverint.

Quæres 4°. quomodo sese gerere debeat mulier quæ in Tribunalibus damnata est ad habitandum cum viro cujus impotentiam certo cognoscit?

R. eam debere omne genus censurarum perpeti potius quam viri illius libidini indulgere, ut habetur in can. *Inquisitioni*, de Sent. Excomm.

Cæterum Parochus aut Confessarius, cum occurrunt graves ea de re difficultates, debet Episcopum consulere, cujus est iis de rebus, juxta locorum Leges, judicium ferre, et partes si opus sit a se invicem separare.

Quæres 5°. an vir et mulier propter impotentiæ causam juridice separati, possint aliud matrimonium contrahere?

R. posse contrahere eam partem quæ ad matrimonium est idonea: non aliam, nisi impotentia ejus sit tantum respectiva; tunc enim contrahere poterit cum alia cujus respectu potens esse præsumitur.

Quæres 6°. quid juris, si qui judicatus est impotens, postea aliud matrimonium contrahat, et in eo deprehendatur potens?

Respondet S. Thomas, cui adhærent Sambovius et Pontasius, redintegrari primum matrimonium et virum illum debere ad priorem mulierem reverti. Censent alii cum Giberto stare secundum matrimonium, tum quia ea disciplina in Regno Gallicano viget, tum quia in præfato casu impotentia merito censetur respectiva inter virum illum et priorem mulierem. In ea re difficili ac valde intricata consulendi Superiores, quorum est ex locorum disciplina et Legibus judicium ferre.

Quæres 7°. quid juris, si impotentia remediis tolli possit?

R. Si impotentia remediis naturalibus citra peccatum ac vitæ periculum tolli possit, teneri id pertentare partem impotentem, ex S. Antonino et aliis multis; secus vero, si res sine peccato ac vitæ periculo fieri non possit.

Quæres 8°. quid sentiendum sit de impotentia ex maleficio?

R. 1°. vix dubitari posse quin detur, cum in omnibus fere Ritualibus memoretur, multisque probetur exemplis. Dicam tamen obiter, multa sæpe tribui Dæmonum maleficiis, quæ ab aliis causis, v. g. ex imaginatione perturbata, vel odio, vel junioris puellæ verecundia proficiscuntur.

R. 2°. non licere impedimentum illud altero maleficio aut quavis superstitione tollere.

R. 3°. dari ad experientiam conjugibus triennium: quo interim tempore debent ii satagere piis operibus, sacramentali peccatorum confessione, sacra communione, eleemosynis, jejuniis, precibus Deum placare, et ad exorcistas aliaque remedia Ecclesiæ Ritualibus præscripta recurrere. Quod si precibus et aliis piis operibus non possit repelli illud maleficium, tunc impotentia est impedimentum dirimens, adeoque si præiverit matrimonio, debet Judex declarare matrimonium esse nullum.

Quæres 9°. an nullum sit matrimonium inter steriles, senes, eunuchos?

R.

R. ad 1. sterilitatem ab impotentia distingui nec matrimonium dirimere, 1°. quia non impedit quominus conjuges fiant una caro, 2°. quia multis exemplis constat sterlitatem non semper esse perpetuam, 3°. quia non solent steriles, nisi impotentia laborent, a Judicibus ecclesiasticis aut civilibus separari.

R. ad 2. valere matrimonia a sensibus contracta, nec ulla lege prohibere, nisi tamen illi senses viribus præ annis deficientibus evaserint impotentes, seu ad consummandum matrimonium inhabiles.

R. ad 3°. eunuchos seu spadones non posse valide matrimonium contrahere, uti declaravit Sixtus V. an. 1587. et suprema Curia Parisiensis.

Quæres 10°. an valeat matrimonium ab impubere contractum ?

R. 1°. jure naturali invalidum esse matrimonium ab impubere contractum ante rationis usum, qui ante septennium advenire non præsumitur.

2°. Jure ecclesiastico nulla sunt matrimonia impuberum ante annum decimum quartum in viris expletum, et duodecimum in fœminis, ut patet ex cap. *Tuæ nobis, de Despons. impuberum* et ex multis supremarum Curiarum Decretis; idque merito sancitum est propter summam libertatem quæ in matrimoniis requiritur.

Ab hac tamen regula excipiendi sunt 1°. juxta præfatum cap. *Tuæ nobis*, impuberes in quibus malitia supplet ætatem, id est, qui ante pubertatis annos habiles sunt ad usum conjugalem, hæcque exceptio a Senatu Parisiensi 1623. videtur approbata. Sentiunt tamen alii perplures eam exceptionem nec fuisse a Curia Parisiensi approbatam, nec in nostris Tribunalibus foro admittendam. Quidquid sit notat Collator Andegavensis dissolutionem matrimonii non posse in eo casu sine gravi periculo pronuntiari, præsertim si certo v. g. ex concepto fœtu, constaret matrimonium fuisse consummatum. 2°. Juxta nonnullos ab eadem regula

excipiendi

excipiendi sunt ii qui, cum ante pubertatem contraxerint, ea adepta, cohabitare perrexerunt; quia, juxta illos, cohabitatio continuata ratum facit quod ab initio fuit irritum. Alii tamen probabilius censent matrimonia hæc in facie Ecclesiæ esse iteranda, idque sane multo tutius est.

Quæres 11°. quo jure fundatum sit impotentiæ impedimentum, ut utrum relaxari possit?

R. impedimentum illud non solum Jure ecclesiastico, sed etiam naturali positum esse. Quamvis enim matrimonii actus non requiratur ad matrimonium, potentia tamen ad actum, ut antea diximus post S. Thomam, est de illius essentia. Sequitur illud impedimentum non posse ab Ecclesia relaxari.

At non ita est Lege qua impuberes rationem adepti nubere prohibentur. Cum enim Lex ista lata fuerit ab Ecclesia, tolli potest per Ecclesiæ dispensationem, quæ ex Greg. XIII. a singulis Episcopis in sua Diœcesi concedi potest, ut notat Collator Parisiensis, quæque tamen vix unquam collata est, nisi forte respectu quorumdam supremorum Principum.

De impedimento Raptus.

Raptus definiri potest fœminæ abductio e loco tuto, et illius translatio in locum ubi raptoris potestati subest, vi aut seductione facta, matrimonium ineundi vel libidinis explendæ causa.

Dictur 1°. *abductio fœminæ*, sive sit virgo, sive corrupta. sive etiam sive disponsata, sive vidua, sive conjugata; quia Leges omnibus omnino personis matrimonium liberum esse voluerunt.

Dictur 2°. *e loco tuto*, sive sit parentum tutorumque domus, sive monasterium, sive locus alter in quo mulier secura degebat.

Dictur 3°. *matrimonii ineundi vel libidinis explendæ causæ*, quia tutior est ac probabilior sententia eorum qui affirmant totam rationem raptus reperiri, non solum cum ille fit matrimonii ineundi,

sed

sed etiam libidinis explendæ causa; quia perinde, quocumque modo fiat, libertati matrimonii officit.

Dicitur 4°. *vi aut seductione facta.* Hinc duplex raptus distinguitur, violentiæ et seductionis. Prior est cum puella invita et reluctans abducitur. Posterior, cum blanditiis et voluptatis illecebra, aut quocumque alio motivo seducta, consentiens, sed invitis iis a quibus pendet, raptorem sequitur.

Quæres 1°. an raptus violentiæ sit impedimentum dirimens matrimonium?

R. affirmative post Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6. ubi sic. legitur: *Decernit sancta Synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potesttate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor inuxorem habeat: et nihilominus raptor ipse et omnes illi concilium auxilium et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati.* Quo Decreto veterem disciplinam sacra Synodus magna ex parte renovavit, sed tamen in una parte temperavit; cum olim Legibus civilibus et ecclesiasticis raptori nunquam liceret raptam in uxorem ducere.

Patet 1°. ex Conc. Trid. verbis quod etiamsi virgo, ante restitutionem in locum tutum, liberrime consentiret, invalidum nihilominus foret matrimonium. Sed si post restitutionem consenserit, tunc valebit conjugium.

Patet 2°. ex verbis ejusdem Concilii raptorem illiusque coadjutores excommunicationem incurrere, etiamsi postea raptor fœminam raptam in uxorem ducat: *et nihilominus raptor ipse,* &c. Unde nihil ad obtinendam absolutionem omittere debent.

Quæres 2°. utrum raptus seductionis sit imedimentum dirimens?

R. Theologos extraneos, quibus adhæret Cabassutius, vulgo existimare solum violentiæ raptum, non vero seductionis, in mente Concilii Tridentini dirimere

dirimere matrimonium. Verum tutior ac probabilior est sententia opposita, quæ a Theologis Gallis universis admittitur, solaque admitti potest.

1°. Quia non ignorabant Patres Tridentini alium esse raptum qui vi aperta, alium qui seductione fieret. Atqui tamen absolute pronuntiant raptorem inter et raptam, quandiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium. Ergo. &c.

2°. Quia Patres Tridentini sine dubio in animo habuerunt id avertere quod in raptu deterius est ac sanctitati matrimonii magis injuriosum: atqui talis est puellæ seductio quæ raptui adjungitur, cum non minus libertati ad matrimonium requisitæ quam violentia noceat; nec enim puella seductoris dolo, illecebris et artibus decepta ac veluti incantata, quandiu in illius potestate manet, censetur eam retinere libertatem quæ in matrimonio requiritur; imo plerumque facilius resistitur violentiæ apertæ quæ animum exasperat, quam insidiosis blanditiis, promissis, voluptatis illecebris, muneribus aut aliis artibus quibus sensim frangitur junioris puella virtus. Et vero seductionis non minus quam violentiæ raptus familiarum pacem conturbat, honorem labefactat, nec consequenter minus Patribus Tridentinis exosus fuit.

3°. Quia Henricus III. in Edicto Blesensi conditio sub Cleri Gallicani oculis, et eodem Clero Concil. Trid. Decretorum promulgationem ac observationem postulante, procul dubio illius Conconcilii mentem assecutus est. Atqui Rex ille in hujus Edicti artic. 42. sic loquitur: *Voulons que ceux qui se trouvent avoir suborne fils ou filles mineurs de vingt cing ans, sous pretexte de mariage ou autre couleur, sans le gre et consentement expres des peres et meres ou des tuteurs, soient punis de mort.* Ludov. XIII. in Edicto an. 1639. *conformement aux Decrets et Constitutions canoniques*, hunc articulum confirmavit, utrumque tum violentiæ tum seductionis raptum sub eadem pœna damnavit,

vit, addiditque matrimonia ejusmodi esse *invalide contracta.*

4°. Denique idem constat ex jurisprudentia constanti supremarum Curiarum a quibus irrita ac nulla declarari solent matrimonia, si hæc seductionis fraude facta esse constiterit.

Quæres 3°. quæ conditiones ad raptum seductionis requirantur?

R. requiri 1°. ut raptor verbis, precibus, blanditiis, promissis, aliisve artibus puellam circumvenerit. 2°. Ut e loco tuto in potestatem raptoris translata fuerit. 3°. Ut res, invitis aut insciis parentibus, peracta fuerit; nec enim, si consenserint parentes, raptus esse censetur. 4°. Ut puellæ aut filii sint minores nec 25 annum expleverint; qui enim majores sunt, nec parentum domino nec seductioni præsumuntur obnoxii.

Quæres 4°. an ad impedimentum raptus seductionis aut violentiæ, requiratur ut persona rapta fuerit corrupta?

R. affirmative. Leges enim de illa circumstantia silent.

Quæres 5°. utrum stet impedimentum raptus sive seductionis sive violentiæ, si mulier filiumfamilias 25 annis minorem abduxerit?

R. affirmative, 1°. quia in utroque casu libertas æque læditur. 2°. Quia nostrorum Regum Edicta quæ in confirmationem et interpretationem Concilii Trid lata sunt, utrumque crimen nomine raptus appellant et ex æquo puniunt. *Voulons*, inquit Edictum Blesense, *que ceux qui se trouveront avoir suborne fils on filles mineurs de vingt-cinq ans.* Et postea Ludov. XIII. *Voulons que tous ceux qui commettent rapt et enlevement des veuves, fils ou filles sous la puissance d'autrui.*

§. 3. *de Impedimentis prohibentibus.*

Duodecim olim imedimenta prohibentia numerabatur. Ex nova autem disciplina quatuor tantum

tum vigent, quæ sub peccato mortali obligant, cum materia præcepti sit gravis. Versiculo sequenti continentur.

Ecclesia vetitum, tempus, sponsalia, votum.

1°. *Ecclesiæ vetitum* est prohibitio vel ab Ecclesia universali, vel a S. Pontifice, vel ab Episcopo, vel etiam a Parocho conjugium inituris facta, ne illud contrahant ob aliquam causam, v. g. donec probaverint se esse liberos, vel parentum consensum obtinuerint. Ita definivit Alex. III. c. 2. *de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

2°. *Tempus*, quo interdicuntur nuptiæ, est ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ exclusive, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive. Ita Trid. sess. 24. cap. 10. de Reformat. Ratio prohibitionis fuit, quia decet ut hisce pœnitentiæ temporibus Fideles orationibus et bonis operibus vacent, et a terrenis voluptatibus abstineant. Hisce tamen temporibus, nisi obstent Ecclesiarum consuetudines, possunt sponsalia celebrari et proclamationes bannorum fieri; cum nullo Jure id prohibitum sit.

3°. *Sponsalia*, si non dissolvantur Jure naturali impediunt ne sponsi licite possunt cum alio matrimonium inire cum sponsi, ex antea dictis, sub mortali teneantur promissum matrimonium implere. Illa tamen matrimonium non dirimunt, quia res promissa valide, licet non licite, potest alteri vendi aut dari, si nihil aliud obstet.

4°. *Votum* quod impedit licitam matrimonii celebrationem, est votum simplex castitatis in sæculo servandæ, vel ingrediendi Religionem, vel suscipiendi sacros Ordines, vel non nubendi. Quod quidem votum valde differt a voto solemni castitatis, quod emittitur per professionem religiosam aut sacrorum Ordinum susceptionem, quodque non tantum est impedimentum prohibens, sed etiam dirimens, ut antea diximus.

Quæres

Quæres 1°. quis dispensare posse in impedimentis simpliciter prohibentibus?

R. 1°. Episcopum posse dispensare, si impedimentum sit ex vetito vel tempore, ut constat ex consuetudine Ecclesiæ.

R. 2°. Si agitur de impedimento ex sponsalibus, nec Episcopus, nec ipse Papa dispensare possunt, cum impedimentum illud fundetur promissione quæ sine damno tertii violari non potest, cumque nec ipse S. Pontifex permittere possit ut alteri tertio damnum inferatur. Possunt tamen summus Pontifex et Episcopus tanquam Judices declarare ex justa causa quod sponsalia sunt irrita vel dissolvenda.

R. 3°. Si agitur de impedimento voti, potest Episcopus dispensare, duobus tamen casibus exceptis, nimirum 1°. si votum castitatis sit certum, perpetuum et absolutum. 2°. Si votum sit Religionem monasticam ab Ecclesia approbatam ingrediendi. Hæc duo S Pontifici reservata sunt, nisi tamen gravis urgensque causa postulet ut ab Episcopo relaxentur, cujusmodi est si incontinentiæ vel scandali vel notabilis damni periculum immineat. Ratio est, quia alias reservatio saluti animarum et Ecclesiæ bono perniciosa foret. Imo notat Collator Andegavensis quosdam Episcopos ex consuetudine, quæ vim habet Legis, posse in omni casu a duobus istis votis dispensare.

Quæres 2°. quomodo sese gerere debeat qui cum impedimento simpliciter prohibente sine dispensatione contraxit?

R. 1° generatim ipsi pœnitentiam agendam esse propter lethale peccatum a se commissum.

R. 2°. Si impedimentum sit ex tempore feriato vel sponsalibus, vel generali Ecclesiæ vetito, v. g. bannorum defectu, non peccat qui matrimonium consummat. Ratio est, quia licet prohibitum fuerit in iis casibus matrimonium, minime tamen prohibitum est ne matrimonium sic initum consummetur.

R. 3°. Si impedimentum prohibens sit ex speciali Ecclesiæ vetito, v. g. ex Judicis ecclesiastici prohibitione, censent aliqui eum sic contraxit, peccare matrimonium consummando; quia consummatio matrimonii in eo casu videtur prioris contemptus esse continuatio.

R. 4°. Si impedimentum sit ex voto simplici castitatis servandæ, qui cum eo impedimento contraxit 1°. tenetur aut Religionem ante matrimonii consummationem ingredi ut possit suum votum implere, aut dispensationem petere ut possit licite matrimonio uti. 2°. Si Religionem ingredi nolit, non potest, antequam dispensationem obtinuerit, conjugale debitum petere: quia contra votum ageret. Non agit tamen contra votum, cum debitum petenti reddit. Excipe tamen cum prima vice reddit; quia tunc cum matrimonium nondum consummatum sit, penes eum est per ingressum Religionis votum castitatis servare. 3°. Defuncta conjuge, non potest ad alias nuptias transire.

Ex iis facile intelligitur quomodo sese gerere debeat qui cum voto Religionem ingrediendi, aut Ordines sacros suscipiendi, aut non nubendi, matrimonium contraxit.

§. *De dispensatione ab impedimentis Matrimonium dirimentibus.*

Dispensatio est relaxatio seu exemptio Legis, concessa ab eo qui potestatem habet.

Quæres 1°. an Ecclesia possit in impedimentis matrimonii dispensare?

R. posse Ecclesiam in impedimentis matrimonii jure humano inductis dispensare. Quivis enim Legislator eadem auctoritate qua Legem condidit, potest certis in casibus ab ea dispensare, Christus qui dedit ei potestatem ligandi, eidem quoque solvendi potestatem concessit. Necessaria est hæc Ecclesiæ potestas ad bonum Ecclesiæ regimen. Hinc Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. de Reform. ait:

ait : *Publice expedit Legis vinculum quandoque relaxare ut plenius, evenientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat.* Constat insuper ex usu perpetuo eam potestatem Ecclesiæ competere; ipsisque antiquis temporibus relaxatæ fuerunt, licet rarius, Leges de matrimoniis ab Ecclesiæ latæ.

Dixi, *in impedimentis Jure humano inductis;* quia in iis quæ sunt Juris divini aut naturalis non potest Ecclesia dispensare, ut fatentur omnes.

Quasdem dispensationes certis in impedimentis Imperatores et Principes sæculares olim, quamvis raro, concessere. Quæstio moveri potest an illæ dispensationes ad civilia tantum spectarent, an etiam ad matrimonium ut Sacramentum. Quidquid sit, nunc ex ipso consensu Principum, Ecclesia sola in impedimentis matrimonialibus dispensat, ipsique Reges solent ab ea dispensationem pro quovis impedimento postulare.

Quæres 2°. cujus sit in impedimentis matrimonii dispensare?

R. controversiam hanc in Concilio Trid. agitatam fuisse nec definitam. Nulla exstat Lex ecclesiastica quæ jus dispensandi ab impedimentis matrimonii summo Pontifici, seclusis Episcopis, reservaverit. Res igitur ex praxi et usu Ecclesiæ definienda est. Porro consuetudo ac communis Ecclesiarum usus jamdudum invaluit ut S. Pontifex ejusmodi dispensationes, præsertim ubi agitur de matrimonio contrahendo, plerumque concederet juri suo, ut videre est apud Collatorem Parisiensem, quasi renuntiantibus Episcopis ut rariores essent dispensationes. Attamen nonnulli Episcopi sibi servarunt, seu saltem ex usu Ecclesiæ aut indulto S. Pontificis tenent in multis impedimentis, de quibus postea dicturi sumus, dispensandi potestatem.

Quæres 3°. an S. Pontifex possit in impedimentis matrimonii sine causa dispensare?

R. 1°. nec S. Pontificem nec Episcopos posse sine

sine aliqua causa dispensare, juxta Concilium Trid. sess. 24. c. 5. *Quando igitur de matrimoniis contrahendis, tunc vel nulla detur dispensatio vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu non dispensetur nisi inter magnos Principes et ob publicam causam.*

R. 2°. generatim duplicem esse legitimæ dispensationis causam, nimirum necessitatem vel insignem quamdem utilitatem. Causæ autem propter quas solet S. Pontifex, potissimum in consanguinitate et affinitate dispensationem concedere, quindecim vulgo recensentur, videlicet 1°. incompetentia dotis, 2°. extinctio magnæ litis, 3°. angustia loci, 4°. sedatio discordiarum, 5°. quando vir dives vult ducere cognatam vel affinem, constituendo vel augendo dotem, 6°. conservatio divitiarum in eadem cognatione, 7°. illustris familiæ conservatio in eodem sanguine, 8°. matrimonium bona fide ex juris ignorantia contractum, 9°. copula cum consanguinea vel affine vesana libidine inita, et non ut facilius obtineretur dispensatio, 10°. matrimonii male contracti diuturnitas, 11°. scandalum grave aut peccatum præcavendum, 12°. mortis aut periculi ejus evitatio, 13°. puellæ misera conditio, vel ex pudicitiæ periculo vel ex rei familiaris inopia, vel quia 24. aut 25. annum excedit, vel propter infamiam, secluso tamen incestu, vel quia mulier defectu viri litibus super successione bonorum magni momenti excitatis caderet, vel quia filiis gravata, ope ac solatio indiget, 14°. excellentia meritorum, 15°. copiosior pecuniarum compositio.

Ex illis causis aliæ dicuntur honestæ, quæ nimirum postulantibus nullum inurunt probrum : aliæ infamantes quæ turpitudinem partibus impetrantibus afferunt. Causæ infamantes tres recenseri solent. 1°. Cum cognati dispensationem postulantes commercium illicitum, non tamen ut dispensario facilius obtineretur, secum invicem habuerunt. 2°. Cum tanta fuit inter illos familiaritas, secluso

tamen

tamen incestu, ut puella, nisi matrimonium contrahatur, inde sit diffamanda nec alium cui nubat inventura sit. 3°. Cum partes, v. g. ratione consanguinitatis matrimonium invalidum contraxerunt, nec sine scandalo separari possunt. S. Pontifex non solet nisi propter causas diffamantes dispensationem pauperibus, aut *in forma pauperum*, concedere.

Notandum est 1°. in Dataria romana dispensationem aliquando concedi ob eleemosynam, seu *copiosiorem pecuniarum compositionem*. Illæ dispensationes dicuntur *sine causa*. Quæ verba non significant illas sine ulla ratione concedi, sed tantum nullam esse illas concedendi causam ex iis causis quæ solent allegari, quæque sint intrinsecæ et matrimonio propriæ, quamvis S. Pontifex alias causas habeat, ut ipse declarat his verbis, *ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus*. Illæ autem causæ S. Pontifici cognitæ, sunt legitimus usus collatæ eleemosynæ, quæ adhibetur in utilitatem publicam, v. g. in dotandas puellas pauperes, inopes sublevandos, christianæ Religionis Præcones apud exteras Gentes sustentandos.

Notandum est 2°. interdum contingere plures esse dispensationis causas, quarum singulæ seorsim sumptæ non sufficerent, quæque tamen aggregatæ ac simul sumptæ sufficiunt.

Quæres 4°. quibus ab impedimentis dispenset S. Pontifex.

R. ab iis omnibus sive prohibentibus sive dirimentibus quæ Jure ecclesiastico constituta sunt. Hæc vero quæ sint patet ex iis quæ antea de unoquoque diximus.

Quæres 5°. an Romæ in eodem Tribunali omnes dispensationes concedantur?

R. Romæ duplex Tribunal pro concedendis dispensationibus erectum esse, *Datariæ* scilicet et *sacræ Pœnitentiariæ*. Dispensationes ab impedimentis publicis in Dataria, et quidem per solos *Bancarios* in Galliis sollicitantur et obtinentur: pro

impedimentis vero occultis recurritur ad Pœnitentiariam. Porro impedimenta censentur occulta, cum nulla ratione probari possunt; vel cum, si duobus testibus aut tribus nota sint, nullum tamen est probabile divulgationis periculum.

In Pœnitentiaria non declarantur vera impetrantium nomina, sed ficta solum, v. g. Petrus, Maria, &c. nec nomen Diœcesis, nec gradus propinquior nisi primus sit: secus vero in Dataria. Insuper nullæ in Pœnitentiaria solvuntur expensæ, sed omnia gratis conceduntur. In Dataria vero solvitur non modica pecuniarum summa in pios usus a S. Pontifice impendenda. Sed expensæ minores solvendæ sunt, cum dispensatio petitur a pauperibus, uncque datur *in forma pauperum*.

Quæres 6°. quæ sint in libello supplici exprimenda, ut legitima ac valida dispensatio obtineatur?

Antequam respondeamus, notandum est sæpe contingere dispensationes invalide obtineri, vel propter veritatis suppressionem, et tunc dicuntur subreptitiæ; vel propter expositionem falsi, et tunc dicuntur obreptitiæ. Non tamen quavis expressione falsi aut reticentia veri impeditur dispensatio, quapropter ad sequentes regulas attendendum est.

1. *regula*. Suppressio veritatis, quam jus vel stylus Curiæ Romanæ vel consuetudo jubet ad impetrationem dispensationis exprimi, reddit dispensationem subreptitiam et omnino invalidam, etiam quando, eadam veritate expressa, nihilominus concederetur gratia. Ratio est, quia talis expressio exigitur tanquam forma postulationis, et in hoc casu S. Pontifex dispensare non intendit. Unde, v. g. qui intra gradus consanguinitatis prohibitos matrimonium contraxerunt scienter, vel eo animo ut facilius dispensationem obtinerent, tenentur illas circumstantias in libello supplici aperire; alias dispensatio esset irrita, quia stylus Curiæ Romanæ et consuetudo exigunt ut illæ circumstantiæ aperiantur, nec intendit S. Pontifex eos dispensare qui circumstantias illas omittunt.

2. *regula*. Reticentia veri aut expositio falsi reddit dispensationem subreptitiam vel obreptitiam ac proinde nullam, quando hæc reticentia vel expositio est motivum seu causa finalis dispensationem concedendi, seu quando, si veritas expressa esset, nullatenus vel saltem in eadem forma non fuisset concessa dispensatio. Ratio est quia tunc nulla est in Superiore dispensandi voluntas.

3. *regula*. Suppressio veri vel expositio falsi est essentialis, dispensationemque nullam reddit, quando efficit ut Superior ignoret vinculum quod tollit, aut ejus gravitatem, aut quantitatem gratiæ quam indulget. Ratio est quia Superior non censetur dispensare, nec revera dispensat in eo quod ignorat. His præmissis.

R. 1°. Ubi agitur de matrimonio contrahendo, impedimentum de quo agitur, in sua propria specie exprimi debet, non unum pro alio, nequidem majus pro minori v. g. consanguinitas pro affinitate. Ratio est quia in dispensationibus non valet argumentum a minori ad majus, nec Superior vult in eo dispensare quod ignorat.

2°. Si plura sint impedimenta publica, debent omnia simul exprimi in eodem libello supplici. Ratio est quia talia impedimenta simul occurrentia graviorem denotant indecentiam ac defficiliorem faciunt dispensationem. Quod si unum ex illis impedimentis, v. g. consanguinitatis, publicum sit, aliud vero, puta criminis, sit occultum, prius Datariæ, posterius vero Pœnitentiariæ debet aperiri, cui declarari debet duo esse impedimenta, et in Dataria dispensationem impedimenti publici fuisse petitam.

3°. Si postuletur dispensatio impedimenti ex commercio illicito, exponendum est an ab uno vel utroque sub spe dispensationis facilius obtinendæ commercium illud habitum sit.

Quæres 7°. quid in postulatione dispensationis super matrimonio invalide jam contracto generaliter sit experimendum ?

R. exponendum esse 1°. an ambæ partes vel earum una, bona vel mala fide, seu cum notitia impedimenti

pedimenti, vel non, matrimonium inierint. 2°. An sub spe dispensationis facilius obtinendæ. 3°. An matrimonium consummaverint an non. 4°. An clandestine aut in facie Ecclesiæ, an post bannorum denuntiationes, aut, iis omissis, contraxerint. Facilius enim aut difficilius pro variis istis circumstantiis solet impetrari dispensatio.

Quæres 8°. quid circa unumquodque impedimentum in particulari sit exprimendum?

R. circa impedimentum consanguinitatis exponendum esse 1°. an sit in linea recta an in indirecta, et quoto utriusque gradu. 2. An partes duplici consanguinitatis vinculo conjunctæ sint, ut si ex conjugio duorum fratrum cum duabus sororibus natæ sint. 3°. An sint pluribus impedimentis illigatæ et quænam illa sint. 4°. Si consanguineus ducere velit consanguineam quacum commercium habuit illicitum debet illud, si notorium fuerit, Datariæ aperire, simul cum spe et intentione, si quam habuerit, crimen illud committendo, dispensationis facilius obtinendæ. Si vero crimin fuerit occultum, Pœnitentiariæ simul cum impedimento consanguinitatis aperiendum erit.

Notandum est 1°. quod si partes solummodo post datas Romæ Litteras dispensatorias, sed ante earum executionem, gallice, *avant la fulmination*, carnale commercium seu incestum perpetrare incœperint, irritam statim fieri dispensationem a Dataria impetratam, ut constat ex praxi Curiæ Romanæ et declaratione Congregationis Concilii Tridentini Interpretis. Ratio est quia tempore Sententiæ officialis quo vere dispensatur, ut Galli communiter sentiunt, verum non esset dicere nullum fuisse commercium illicitum inter impetrantes, ac proinde sententiam dispensationis ferre non posset Officiales. Unde ut revalidetur dispensatio obtinendæ sunt Litteræ quæ dici solent, *perinde valere*, nisi Episcopus jus habeat in iis casibus dispensandi.

Notandum 2°. quod si partes post impetratam dispensationem in idem incestus crimen relapsi

sint

sint quod se ante illam perpetrasse declaraverunt, valere nihilominus dispensationem, nec novam requiri, sive ante sive post fulminationem seu Sententiam Officialis relapsi fuerint: in primo quidem casu, quia non requiritur ut exprimatur crimen quoad numerum, nec ex novo isto crimine novum impedimentum nascitur: in secundo, quia personæ impetrantes per dispensationis Sententiam factæ sunt ad contrahendum habiles, nec per novum incestum factæ sunt ad contrahendum inhabiles, cum incestus hodie non computetur inter impedimenta matrimonii. Ita definiit sacra Congregatio.

Quantum ad affinitatem, idem in ea quod in cognatione servari postulant Ecclesiæ Canones, Curiæ Romanæ stylus et communis Doctorum opinio Unde ex iis quæ modo dicta sunt, facile intelligitur quid circa impedimentum affinitatis, cujus dispensatio postulatur, exprimendum sit.

Circa cognationem spiritualem exprimendum est 1°. an sit inter suscipientem et personam susceptam, an vero inter sucipientem et patrem vel matrem personæ susceptæ. Multo enim difficilius dispensatur in priori casu seu inter patrem et filiam spiritualem, quam in posteriori casu seu inter compatrem et matrem ejusdem filiæ. 2°. An duplex sit cognatio spiritualis, v. g. si ex duobus alter alterius prolem et vice versa susceperit. 3°. Necesse non est exprimere utrum quis unum vel plures ejusdum filios in Baptismo vel Confirmatione susceperit, quia inde non censetur multiplicari cognatio spiritualis, uti declaravit Clemens VIII. 4°. Nec etiam necesse set, juxta multos, declarare an cognatio spiritualis ex Baptismo vel Confirmatione provenerit, quia res nihil vel parum inde mutatur.

Circa impedimentum honestatis publicæ, declarandum est an ex sponsalibus, an ex matrimonio sit adorta, et quo sit in gradu.

Circa criminis impedimentum aperiri debet an sit ex machinatione conjugis, an vero sine machinatione

natione; quia si sit ex machinatione conjugum, nunquam Romæ dispensatur pro foro externo, nec nisi admodum raro pro foro interiori.

Quæres 9°. quo stylo dispensatio postulanda sit?

R. 1°. stylo simplici ac nitido sine ambagibus et apparatu, alioquin nulla supplicationis ratio habetur. 2°. Parvi interest an vernacula an latina lingua scribatur, etsi hæc frequentius usurpetur et præferenda sit. 3°. Non eodem modo inscribendæ sunt Litteræ ad Pœnitentiariam quo ad Datariam. Cum ad Bancarios expeditionarios pro obtinendis in Dataria dispensationibus in Galliis necessario recurrendum sit ut antea monuimus, isti adeundi sunt, quando casus occurrit. Quoniam vero quisque vel Confessarius vel ipse Pœnitens ad sacram Pœnitentiariam pro dispensatione impedimentorum occultorum obtinenda recurrere potest, nec infrequentes sunt casus in quibus eo opus est, hic subjungemus formulam applicationis ad sacram Pœnitentiariam dirigendæ.

Sic incipit Epistola:

Eminentissime et Reverendissime Cardinalis.

Puella quædam annos circiter viginti nata scienter et libere votum emisit castitatis perpetuo servandæ, nunc vero Confessarii judicio qui jamdudum ipsius confessiones excipit, in certum salutis discrimen veniret, nisi nubat: quapropter supplicat humiliter et enixe votum commutari ad effectum matrimonii contrahendi. Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me scriptum. Hic exprimendum est nomen illius ad quem rescribendum est, nomen item Oppidi vel Civitatis ad quam vel per quam rescribendum, et hæc quidem vulgari lingua.

Qud si in Supplicantis loco nullus sit Confessarius Doctor in Theologia vel Jure canonico, addi deberet: *Et quia in Oratricis loco nullus reperitur Confessarius in Theologia vel Jure canonico Doctor, dignetur Eminentia Vestra providere ut alius possit exequi,* nempe vel Parochus vel Confessarius cui

Pœniten

Pœnitens suam aperuit conscientiam aut cui majorem haberet aperiendi fiduciam.

Obsignata dein Littera supplici, inscriptio a foris, *l'adresse*, fit in hunc modum. *Eminentissimo et Reverendissimo Domino Domino Cardinali Pœnitentiario, Romam.*

Altera formula ubi duplex est impedimentum, unum publicum, aliud occultum.

Eminentissime et Reverendissime cardinalis;

Petrus et Anna consanguinei in secundo gradu, non spe facilioris dispensationis obtinendæ, sed vesana libidine victi rem simul habuerunt. Joannes vero Petri frater Annam ducere intendit, constituta illi dote, quam aliunde habere non posset juxta status sui conditionem: ambo supplicant SS. DD. nostro Dataria apostolica, ut dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare. Eminentiæ autem Vestræ humiliter supplicat Oratrix Anna quatenus specialem sibi gratiam faciendo, ut non obstante prædicto affinitatis ex illicita copula provenientis impedimento penitus occulto matrimonium cum dicto Joanne licite et valide contrahere possit, cum ipsa dispensare dignetur Eminentia Vestra, &c. ut supra. Æquum porro et moris est pretium pro Litteris ferendis solvere.

Si postulantes in forma pauperum dispensari velint, Parochus tenetur eorum paupertatem testificari Episcopo aut Vicario generali aut Officiali qui eam ad Sedem transmittat his verbis.....*Nos..... Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi N. Vicarius generalis vel Officialis, fidem facimus et attestamur Joannem N. et Annam N. hujus N. Diœcesis adeo pauperes et miserabiles existere quod ex labore et industria sua tantum vivant, prout ex fide Parochi aliorumque fide dignorum testimonio nobis constare fecerunt. In cujus testimonium præsentes fieri fecimus manu nostra subscriptas nostroque sigillo munitas, Parisiis die.....an. &c.*

Si postulantes sint ex duplici Diœcesi, unusquisque sui Episcopi aut Vicarii generalis aut Officialis testimonium Romam mittere, debet.

Quod

Quod si voces istæ, *quod ex labore et industria sua tantum vivant*, prætermittantur, non conceditur dispensatio in forma pauperum.

Ex iis facile intelligitur inverecundum esse quod divites dispensationes in forma pauperum obtineant, easque obreptitias esse, nullumque matrimonium quod inde subsecutum sit, Non sic tamen stricte accipiendæ sunt illæ voces ut e pauperibus excludantur ii qui fruuntur aliquo reditu, si nimirum ille reditus ad vivendum alendamque familiam, nisi addatur labor et industria, minime sufficiat. Si quod vero dubium occurrit, veritas. Apostolicæ Sedi nude aperienda est, ut pecunia modica solvatur, si debita sit ; vel si non exigatur, tranquilla maneat conscientia.

Quæres 10°. quomodo, post acceptum Romæ Rescriptum, dispensatio executioni demandetur ?

R. dispensationem vel esse a Pœnitentiaria vel a Dataria. Prima executores habet Confessarios, quorum est intra Pœnitentiæ forum dispensationis Sententiam pronuntiare, et sic solet inscribi : *Discreto viro N. Confessario, Theologiæ Magistro (vel Decretorum Doctori) ex approbatis ab Ordinario, per latorem vel latricem Pœnitentem eligendo, ad intra scripta deputato.* Secunda, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, executorem habet Diœcesis Officiale tanquam Sedis Apostolicæ Commissarium. Non solet autem Officialis nomen exprimi. Unde non tam persona quam dignitas et officium illius spectatur ad quem dirigitur dispensatio ; quapropter eo mortuo, eadem dispensandi provincia transit ad successorem. Si tamen nomen Officialis exprimeretur, personalis censeretur illa commissio nec transiret ad successorem

Antequam dispensatio fulminetur, aut aiunt, seu antequam Rescriptum sive in foro interno a Confessario, sive in foro externo ab Officiali executioni demandetur, 1°. accurate servandæ sunt conditiones in Rescripto Apostolicæ Sedis præscriptæ. 2°. Imprimis sollicite, inquirendum est an causæ

Quod

quæ in libello supplici expositæ sunt, veræ sint. Ea autem disquisitio, si agitur de dispensationibus a Pœnitentiaria concessis, fieri debet secreto et in foro Pœnitentiæ, publice vero et juridice ubi agitur de dispensationibus a Dataria concessis. 3°. Si vel Confessarius vel Officialis, inquisitione facta, deprehenderit subreptitiam aut obreptitiam esse postulationem, seu causas expositas non esse veras, debet a Mandati pontificii fulminatione seu executione prorsus abstinere. 4°. Dispensationes a Dataria concessæ, ut plenam sortiantur executionem, Officialitatis registro sunt inscribendæ. 5°. Si Rescriptum dispensationis in Pœnitentiaria postulatæ judicaverit Confessarius executioni demandandum, post datam in forma solita absolutionem a censuris et peccatis, Gratiam apostolicam exequatur his aut similibus verbis, mutato, ut satis intelligitur, nomine impedimenti: *Et insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi vel secundi affinitatis gradus ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis, proveniente, ut præfato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere, publice servata Concilii Tridentini forma, contrahere, consummare, et ex eo matrimonio prolem legitimam suscipere possis. In nomine Patris, &c. Passio Domini, &c.* ut post finem consuetæ Confessionis.

Quod si dispensatio concedatur pro matrimonio jam contracto, forma hæc erit: *Et insuper.....dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita cum sorore putata tuæ conjugis habita, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfata conjuge matrimonium cum illa, servata Concil. Trident. forma, contrahere, consummare possis, et eadem auctoritate apostolica prolem, si quam suscepisti et susceperis, legitimam fore discerno et declaro. In nomine Patris, &c.*

Difficile non erit varios alios casus iis formulis aut similibus accommodare.

Quæres 1°. quid juxta præsentem Ecclesiæ dis-

ciplinam in relaxandis matrimonii impedimentis valeant Episcopi?

R. posse Episcopos virtute potestatis ordinariæ suis sedibus ab initio conservatæ, ut sentiunt saniores Canonistæ et Theologi, vel saltem consuetudine legitime præscripta, antiqua scilicet et pacifica, in multis matrimonii impedimentis dispensare, sive in dispensatione impedimentorum matrimonialium agant Episcopi virtute potestatis ordinariæ ab initio conservatæ nec a S. Pontifice præscriptæ, sive virtute consuetudinis quæ vim Legis obtinet.

Constat 1°. ex hodierna Ecclesiæ disciplina et praxi posse Episcopos ab impedimentis matrimonii prohibentibus dispensare, exceptis quibusdam casibus, de quibus antea diximus.

2°. In matrimonio legitime *contracto* possunt Episcopi dispensare ob omni impedimento quo post illud matrimonium contractum amittitur debiti conjugalis exigendi potestas, videlicet a cognatione spirituali, affinitate proveniente ex commercio illicito, perpetuæ continentiæ voto.

8°. In matrimonio *invalide contracto* possunt Episcopi dispensare super impedimentis dirimentibus, alioqui Papæ reservatis, si concurrant sex circumstantiæ sequentes. 1°. Si matrimonium saltem ex parte unius conjugum cum bona fide, seu cum ignorantia impedimenti contractum fuerit. 2°. Si impedimentum sit occultum, id est, non publice notum, nec deductum ad forum contentiosum, nec facile deducendum, matrimonium vero contractum cum tali impedimento sit publicum. 3°. Si matrimonium fuerit consummatum. 4°. Si impedimentum sit ex iis in quibus Papa dispensare solet, 5°. Si partes sine probabilis scandali periculo separari nequeant. 6°. Si non possint illæ præ inopia ad Sedem Apostolicam recurrere. Contendunt multi Theologi concurrere debere simul sex illas conditiones ut Episcopus dispensare possit. Alii tamen Theologi præsertim Galli contendunt

dunt id non esse sine exceptione ulla accipiendum. Præter enim casus dubii et urgentis necessitatis, de quibus modo dicturi sumus, notat Gibertus in annotationibus in Cabassutii theoriam et praxim, constare ex Jure canonico reservationem, etiam cum agitur de impedimentis publicis, Papæ devolutam cessare, cum partes Romam ire aut mittere nequeunt. Unde, inquit, ubi igitur de matrimonio contracto, Galliæ Episcopi pluribus in casibus dispensant, ubi partes rusticæ sunt aut pauperes. Idem asserit de ipsis matrimoniis contrahendis Collator Parisiensis, cujus hæc sunt verba, *en France, tous les Eveques dispensent des empechemens dirimans publics* inter pauperes, et ubi non est facilis recursus ad summum Pontificem. Idem sentit Dominus *d'Argentre*, Tullensis Episcopus, ut videre est apud Colletum Tract. de Dispensat. tom. 3. ubi hæc sententia approbatur, quamvis aliquam difficultatem facessere videatur.

4°. Sive in matrimonio *contrahendo* sive *contracto* dispensant Episcopi super impedimentis ipsi Papæ reservatis in casu dubii et in casu urgentis necessitatis. 1°. Quidem in casu dubii sive juris sive facti, utrum revera existat impedimentum aut reservatum sit summo Pontifici. Ratio est quia odia sunt restringenda. Porro reservatio papalis, utpote Juri Episcoporum derogans, odiosa est. Ergo ad casus dubios non debet extendi. Advertunt nonnulli in dubio esse præsumendum nullum existere impedimentum, nec proinde dispensatione opus esse, prudenter tamen recurrendum esse ad Episcopum qui vel declarabit nullam requiri dispensationem, vel ad cautelam dispensabit. Quod si verum non sit dubium, sed multo probabilius sit existere impedimentum, tunc recurri debet ad summum Pontificem, nec Episcopus dispensare potest. Idem dicendum, si constet ex una parte, aut multo probabilius sit impedimentum esse Papæ reservatum; ex alia vero dubitandi locum habeat Episcopus utrum sedi suæ annexa sit ab eo impedimento

dimento dispensandi facultas. 2°. In casu urgentis necessitatis, et ubi agitur de impedimento occulto; quando v. g. invitato parentum cœtu, paratis omnibus ad nuptias die propinqua celebrandas, Confessarius ex alterutrius Confessione detegit impedimentum ex commercio illicito occulto, nec permittunt angustiæ temporis recurrere ad Papam, nec vitari potest scandalum aut infamiæ suspicio aut gravissima inimicitia, nisi dispenset Episcopus, non censetur S. Pontifex in eo casu sibi dispensandi potestatem reservasse, quia reservatio in simili casu non in ædificationem, sed in perniciem animarum tenderet. Si vero puella dispensanda procul distet ab Urbe Episcopi, nec tempus sit ad eum mittere, utile potest esse effugium quod suadent multi, scilicet ut sponsa hæc voveat castitatem ad tempus, et palam dicat sibi propter votum hoc a Confessario præceptum esse ut a matrimonio abstineat; interim vero recurratur ad S. Pontificem ad obtinendam veri impedimenti quo astringitur relaxationem. Ut vero talibus angustiis occurratur, Fideles sæpe moneat Episcopus de Confessione aliquanto tempore ante matrimonium facienda.

5°. Præter casus præfatos in quibus generaliter Episcopi dispensare possunt, tenent insuper Episcopi perplures vel ex Jure sibi proprio suis sedibus conservato neque per S. Pontificem præscripto, vel saltem ex consuetudine, super nonnullis aliis impedimentis dispensandi facultatem, sed quæ non sit eadem in omnibus. Alii nimirum dispensant in impedimentis occultis, nunquam in publicis; alii in publicis sive in contrahendo sive in contracto; alii cum pauperibus tantum; alii etiam cum iis qui non sunt inopes; alii in quarto duntaxat consanguinitatis vel affinitatis gradu; alii in tertio. Cum jus faciat consuetudo pacifica et antiqua, hæcque Legi æquivaleat, servanda est singularum Ecclesiarum constans disciplina.

6°. Tandem Episcopi plures vi indulti apostolici super impedimentis Papæ reservatis dispensant, ut

usu

usu notum est. Porro summe cavendum est ne ultra Gratiæ largitoris intentionem indulti verbis expressam excurratur.

Quæres 12°. an, si contrahentes sint e diversis Diœcesibus, uterque debeat a proprio Episcopo dispensari?

R. affirmative cum omnibus Theologis, si tamen exceperis illustrissimum *d'Argentre*, Tullensem Episcopum, qui in Libro cui titulus, *Explication des Sacremens*, docuit in eo casu dispensationem Episcopi loci ubi matrimonium perficitur pro utroque contrahente sufficere. Idem esse asserit pro bannorum proclamatione. Responsionis nostræ ratio est quia unaquæque pars, ex hypothesi, inhabilis est ad contrahendum. Porro potestatem non habet Episcopus per dispensationem tollendi inhabilitatem personæ quæ sibi non subjicitur, cum dispensatio sit actus jurisdictionis quæ in solos subditos exerceri potest. Insuper solent Episcopi in suis Litteris exprimere se dispensare quatenus ad se ipsos spectat, aut si illud non exprimatur, mens eorum ex praxi et usu constanter observato satis intelligitur. Ergo unusquisque Episcopus solum suum Diœcesanum dispensat, nec proinde alter habilis fit ad contrahendum. Igitur si unius tantum Episcopi in eo casu dispensatio obtineretur, matrimonium foret illicitum, imo et invalidum. Hinc usus invaluit in eo casu dispensationem ab utroque Episcopo postulandi.

Excipiendum tamen est 1°. si ejusmodi contrahentium alter dispensationem a S. Pontifice obtinuerit, quia valet in utriusque Diœcesis Papæ auctoritas. 2°. Si vel ex Sedis Apostolicæ vel ex utriusque Episcopi licentia saltem tacita usus invaluerit, prout in certis Diœcesibus viget, ut uno Episcopo expresse suum Diœcesanum dispensante, alter quoque tacite dispensari censeatur. Patet enim in eo casu non requiri expressam dispensationem.

Inde sequitur, quod si duo contrahere volentes

diversæ Diœceseos, impedimento laborent a quo Episcopus alter dispensare valeat, alter vero non possit, tunc adeundum esse S. Pontificem.

Quæres 13°. Si possint Episcopi in multis casibus dispensare, cur in iisdem casibus ad Papam aliquando recurritur?

R. in casibus ubi potest dispensare Episcopus, raro ad summum Pontificem recurri. Id autem aliquando fit 1°. quia, cum agitur de impedimentis publicis cognationis, tutius est recurrere ad Papam, eo quod ejusmodi impedimentorum dispensationes ab Episcopo datæ in supremis Curiis aliquando in disceptationem venerint. 2°. Quia, cum impedimentum est occultum, personæ supplicantes non possunt in Curia Romana cognosci, cum e contra posset Episcopus certis indiciis certsique circumstantiis in narratione facti expositis illas distinguere. 3°. Quia contrahentes aliquando duobus subjiciuntur Episcopis quorum alter potest, alter non potest, vel alter vellet, alter nollet, dispensationem quæsitam concedere.

Quæres 14°. an Episcopo in foro interno recusante dispensationem quam concedere potest, Metropolitanus eam conferre possit?

R. negative, quia dispensatio impedimentorum in similibus casibus, non secus ac potestas absolvendi, pertinet ad forum gratiosum, et conceditur *ex misericordia et clementia* dispensantis, nec proinde concedi potest a Metropolitano, ad quem appellari tantum potest ubi agitur de causis ad forum contentiosum spectantibus. Unde si Episcopus dispensationem necessariam, v. g. ad servandum puellæ honorem denegaret, recurrendum erit ad S. Pontificem, qui ex usu per totum Occidentem consueto ex plenitudine potestatis eam dispensationem concedere valet.

Quæres 15°. an possint Episcopi extra territorium suum degentes dispensationem illam suis Diœcesanis concedere?

R. affirmative, quia dispensationes ad forum gratiosum et ad jurisdictionem voluntariam pertinent.

Quæres

Quæres 16°. an Episcopi ad aliam Sedem translati privilegium quo in prima Sede fruebantur, secum transferant ?

R. negative, si agatur de potestate dispensandi *ordinaria*, quia hæc Sedi annexa est. Aliter est vero si agatur de Episcopis qui *ex indulto* dispensant. Tunc enim privilegium personale est. Porro privilegium personale personam sequitur et extinguitur cum illa persona, *Reg. Jur. in-6.*

Quæres 17°. an Vicarii generales possunt in impedimentis matrimonialibus dispensare ?

R. eos ex Ducassio posse dispensare in omnibus impedimentis in quibus id Jure ordinario valent Episcopi, a quibus suam potestatem tenent. Censent tamen Sanchesius et Sambovius eos non posse, nisi specialem ea de re potestatem acceperint. Tenenda est in praxi posterior hæc sententia, utpote tutior. Si vero agitur de impedimentis in quibus Episcopi ex indulto dispensant, certum est Vicarios generales non posse dispensare ; quia indultum est privilegium personæ annexum, quod non transmittitur.

Quæres 18°. an Ecclesiæ cathedrales, Sede vacante, possint impedimenta matrimonialia relaxare ?

R. illas Ecclesias ex rigore Juris posse hocce temporis spatio per suos Vicarios generales dispensare in iis omnibus impedimentis in quibus Episcopus potestate ordinaria id valet, siquidem totam Episcopi jurisdictionem habent. Nihilominus, ex usu, id non possunt, juxta Collatorem Parisiensem tom. 3. p. 407. quia non videtur hoc Jus Sedibus episcopalibus annexum, nisi ea conditione ut ab Episcopis aut eorum Delegatis exerceatur. Si tamen quædam Ecclesiæ cathedrales hoc Jus in praxi servaverunt, dubium non est quin illud exercere possint. Cæterum consentiunt Theologi omnes nec Archidiaconum nec eos qui jurisdictionem quasi episcopalem habent, nec Confessarios tempore Jubilæi impedimenta matrimonialia relaxare posse.

Quæres

Quæres 19°. an ambæ partes contrahentes teneantur dispensationem postulare?

R. 1°. Si impedimentum sit commune et duabus partibus cognitum, oportet ut pars utraque, vel saltem una pro ambabus, partibus aut per se aut per alios dispensationem postulet; alioquin una tantum dispensaretur et fieret ad matrimonium habilis.

2°. Si impedimentum, quamvis commune, uni tantum parti cognitum sit, postulari quidem debet dispensatio nomine utriusque, sed peti potest, inscia parte quæ illud ignorat.

3°. Si impedimentum privatum sit, sufficit dispensationem postulari nomine partis illius quæ eo impedimento ligatur.

Cæterum absolute necessarium non est ut ipsæmet partes contrahentes dispensationem postulent, sed sufficit ut nomine personarum quæ impedimento constringuntur, dispensatio sollicitetur. Sic quotidie a parentibus, Parochis vel Confessariis petuntur dispensationes pro variis personis quæ jam matrimonium contraxerunt aut contrahere contendunt.

Quæres 20°. an Rescriptum dispensationis sive in Pœnitentiaria sive in Dataria obtentum, post S. Pontificis mortem executioni demandari possit?

R. *affirmative cum Sambovio*, ex Reg. Juris, tit. de cap. a Joan. *Executor super Gratia facta datus, mortuo Papa, etiam re integra, Gratiam exequitur.* Hinc etiam indulta quæ a summo Pontifice conceduntur, non expirant morte concedentis. Idem dicendum de dispensationibus ab Episcopo sive in foro interno sive in foro externo, sive potestate ordinaria sive ex indulto concessis: *Quando*, inquit Rebuffius, *Gratia est facta, quamvis non executa, cum quæsitum sit jus ad rem, tunc non expirat morte concedentis.*

Quæres 21°. an Parochus in registris matrimonialibus dispensationes a S. Pontifice vel ab Episcopo obtentas exprimere debeat?

R. *affirmative*, si agatur de dispensatione in foro externo

externo pro impedimento publico obtenta, ut scilicet contrahentium eorumque prolis status ponatur in tuto. Secus vero, si agatur de dispensatione impedimentorum occultorum; quia id nihil societatis interest, indeque contrahentibus inferretur infamia.

Quæres 22°. quomodo sese gerere debeat Parochus cum iis quos ante matrimonii celebrationem cognoverit ligatos impedimento?

R. jam a nobis solutam fuisse hanc quæstionem supra, ubi de bannorum proclamationibus.

Quæres 23°. quomodo sese gerere debeat Parochus cum iis quos post matrimonii celebrationem impedimento dirimente constrictos didicerit?

R. Si Parochus vel Confessarius id didicerit via qua possit uti, debet 1°. ante omnia rei veritatem diligenter explorare, ac dein Episcopum consulere, si fieri potest. 2°. Si non potest Episcopum consulere, teneaturque ex proprio judicio agere, debet expendere an impedimentum sit occultum, an vero publicum.

Si publicum sit, partibus præscribere debet ut thoro et habitatione separentur, donec dispensationem obtinuerint, matrimoniumque redintegraverint; alias enim omnibus scandalo essent: quod si recusaverint, monendus erit Episcopus.

Si impedimentum occultum est, vel tale est ut incognitum sit duabus partibus quæ bona fide nupserunt, vel occultum est duntaxat respectu exterorum, duabus vero partibus cognitum: vel demum uni tantum parti cognitum.

In primo casu, id est, si duabus partibus ignotum sit, tunc aliquando partes de matrimonii invaliditate moneri debent, aliquando non. Debet quidem illos monere Parochus aut per se aut per alios, v. g. per Confessarium, prout prudentia postulat, si locus sit sperandi monitionem profuturam esse et remedium adhiberi posse absque ullius gravi infamia, vel scandalo, vel alio quovis gravi damno. Ratio est quia fornicatio etiam materialis vitanda est,

est, quando id sine maximo malo fieri potest. Remedium autem ipsis in eo casu præscribendum est, quod caste vivant, sicut frater et soror, donec dispensationem obtinuerint, matrimoniumque redintegraverint. Si vero ex monitione aut impedimenti revelatione grave prævideatur, propter pravam duarum partium vel saltem unius partis dispositionem, periculum multorum peccatorum, infamiæ, vel divortii, vel dispensationem non posse obtineri aut executioni demandari, Parochus debet tacere, partesque in bona fide relinquere, sperans futurum ut propter suam bonam fidem coram Deo summe misericorde excusentur. Quibus patet ex circumstantiis, dispositionibus et indole conjugum putativorum esse agendum.

Eodem modo sese gerere debet Confessarius qui Pœnitentis aut Pœnitentium impedimenta didicerit, quique aliunde cavere debet ne ea quæ ex unius Confessione didicerit, alteri parti directe aut indirecte manifestet.

Nota in casu præcedenti supponi 1°. ignorantiam impedimenti in conjugibus putativis esse invincibilem; 2°. illud impedimentum non esse Juris naturalis, quale est, v. g. cognatio in primo gradu. Nam si ignorantia esset vincibilis aut impedimentum foret Juris naturalis, tunc nulla est bona fides, nec consequenter tanta indulgentia respectu conjugum illorum esset adhibenda.

In secundo gradu, id est, si impedimentum sit occultum respectu duntaxat externorum, duobus vero conjugibus cognitum, moneri debent partes, ut dispensationem postulent, intereaque debent quoad thorum separari, donec redintegratum fuerit matrimonium. In libello autem supplici explicare debent an scientes vel ignorantes impedimentum, nuptias contraxerint ac matrimonio usi fuerint. Quod si impedimentum probari nequit, licet partibus cognitum, satis erit ad Pœnitentiariam recurrere.

In tertio casu, id est, si impedimentum uni tantum

tum parti cognitum sit, illi, v. g. quæ per crimen aliquod huic impedimento locum dedit, non tenetur pars conscia criminis, ex quo provenit impedimentum, alteri parti illud impedimentum manifestare; quia nemo tenetur propriam turpitudinem revelare, et quia inde mala gravissima nascerentur; sed debet dispensationem postulare, et interea donec redintegratum sit matrimonium, nec potest debitum petere nec reddere, alioquin fornicaretur. Quid autem agere debeat ut consensus alterius partis obtineatur, sicque matrimonium convalescat, expendetur in sectione sequenti.

§. 5. *De modo redintegrandi Matrimonii invalide contracti.*

Quæres 1°. quomodo redintegrari valeat matrimonium invalide contractum?

R. 1°. Si matrimonium sit nullum ex defectu consensus, non potest redintegrari, nisi novus consensus præbeatur. Quod si consensus in utraque parte defecerit, renovari debet ab utraque parte, ut patet; si vero in una tantum parte consensus nullus fuerit, v. g. propter metum gravem, ab illa tantum parte eum renovari satis est, ut diximus, ubi de metu.

R. 2°. Si matrimonium sit nullum defectu præsentiæ Parochi et testium, debet consensus coram iis renovari, quia hæc conditio est absolute ad matrimonii validitatem necessaria, ut ostendemus in articulis sequentibus.

R. 3°. Si matrimonium sit invalidum propter impedimentum dirimens publicum, opportet 1°. ut tollatur impedimentum per dispensationem seu per cessationem impedimenti, v. g. ætatis sufficientis. 2°. Ut partes coram Parocho et testibus consensum renovent; alias enim nec probari nec constare posset matrimonium esse validum; unde contrahentes haberentur ut concubinarii et eorum proles ut illegitima.

R.

R. 4°: Si matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum nullum sit propter aliquod impedimentum occultum, de quo non sit periculum ut aliquando innotescat et probetur in foro externo, tunc necesse non est ut contrahentes iterum coram Parocho et testibus se sistant, quia probari potest matrimonium esse valide contractum; sed requiritur et sufficit ut post obtentam dispensationem contrahens uterque secreto renovet consensum, quando uterque matrimonii invaliditatem novit. Ratio est quia consensus utriusque in priori matrimonio fuit invalidus, cum datus fuerit a persona inhabili vel in personam inhabilem.

Sed gravior est difficultas, ubi una pars tantum conscia criminis matrimonium irritantis impedimentum et matrimonii nullitatem cognoscit. Nimirum fatentur Theologi partem criminis consciam non teneri suum crimen alteri parti aperire, ut antea diximus. Sed ambigitur inter eos utrum illa pars teneatur compartem, non detecta tamen impedimenti causa, generatim de matrimonii nullitate monere, ut novus ab ea consensus præbeatur. Doctores communiter asserunt id necessarium esse 1°· quia, inquiunt, hæc est praxis sacræ Pœnitentiariæ quæ, cum dispensat in matrimoniis contractis, hæc verba apponit: *Muliere* (vel viro) *de nullitate prioris matrimonii certiorata, sed ita caute ut latoris delictum nunquam cognoscatur.* 2°· Quia, juxta eos, nisi pars ignorans impedimentum moneatur, non potest novum ferre consensum de matrimonio contrahendo, sed solum approbare potest prius matrimonium quod fuit invalidum. Approbatio autem actus invalidi non reddit actum validum, nec novam inducit obligationem, quando ignoratur actus nullitas. Unde, juxta eos, pars impedimenti conscia debet alteri dicere se a principio invalidum consensum præbuisse, se non consensisse, ut par erat, defectu bonæ instructionis; propterea ex consilio Confessarii oportere ut pro conscientiæ securitate ambo consensum renovent,

se

se lubenter nunc novum priori matrimonio consensum præbere, et optare ut ipsa etiam pariter consentiat: et tunc si ea quoque renovet consensum, dicatque se iterum lubentissime consentire eam in uxorem accipere, stabit matrimonium. Tutus quidem est modus ille in præsenti casu matrimonium redintegrandi, sed non est expers difficultatis aut periculi, præsertim si mulier criminis sit rea, maritusque perspicacis ac suspiciosi ingenii.

Hinc alii Doctores affirmant non requiri ut conjux impedimentum ignorans de matrimonii nullitate moneatur, cum hæc via semper importet gravissimas suspiciones, rixas, et alia incommoda; sed sufficere ut compartem aliqua arte vel blanditiis adducat ad renovandum consensum, v. g. si postulet ut pro sua consolatione nunc de novo sese habeant in maritum et uxorem; vel compartem his verbis deliniat: *Ita amo te, ut si non esset inter nos matrimonium, te in conjugem acciperem, et nunc ita te accipio, tunc idem ex tua parte facis?* Si respondeat *facio*, aut simili verbo consensum novum declaret, tunc valebit matrimonium, quia pars impedimentum ignorans novum matrimonium vult inire, si prius non fuit validum, et quia ille consensus æquivalet consensui dato cum expressa nullitatis matrimonii cognitione. Si prævideatur suspiciones, rixas, ac gravissima incommoda ex declaratione nullitatis matrimonii esse nascitura, ut facile contingere potest, existimamus posterius istud remedium aut aliud simile esse adhibendum, eoque modo convalescere matrimonium, modo tamen dicatur, *accipio te in uxorem*, non vero *acciperem te*, quia tunc consensus nec esset de præsenti nec absolutus.

Assignant quidem alii Doctores alium modum quo, non detecta prioris matrimonii nullitate, consensus renovari possit: scilicet, juxta eos, sufficit ut, post obtentam dispensationem, pars impedimenti conscia affectu maritali accedat ad actum conjugalem; quia ignorans impedimentum accedit etiam

sine dubio affectu maritali, et censetur compartem ut uxorem habere, sicque consensus, si non expresse, saltem virtualiter et æquivalenter renovatur. Navarrus part. 2. p. 101. edit. Paris. Sambovius tom. 3. cas. 161. Episcopus Tullensis in Opere cui tit. *Explication des Sacremens*, tom. 3. p. 404. hanc praxim approbare videntur, in eo præsertim quod pars conscia se ipsum infamare non teneatur. Existimamus hanc agendirationem esse approbandam tantummodo cum remedia præcedentia sine scandalo, aut sine divortii, infamiæ, aliorumve incommodorum metu adhiberi non possunt, maxime cum in dubiis, ut ait Navarrus, præferenda sit sententia animabus favens.

Cæterum Parochus vel Confessarius in iis casibus difficillimis divinam opem implorare debet, remque totam Episcopo detegere, si fieri potest, interimque pars nullitatis matrimonii conscia, donec dispensatio fuerit impetrata et matrimonium redintegratum, nec potest petere nec reddere debitum; alioquin fornicationis crimen perpetraret.

ARTICULUS II.

De consensu Partium contrahentium ad Matrimonium requisito.

Per consensum hic intelligitur voluntatis actus, quo contrahentes sese mutuo in conjuges accipiunt.

PROPOSITIO.

Ad Matrimonium valide contrahendum absolute requiritur mutuus Partium consensus.

Prob. Matrimonium spectari potest vel ut contractus, vel ut Sacramentum. Atqui consensum necessario requirit 1°. ut contractus. Nam. 1°. nullus potest esse contractus, nisi ex mutua contrahentium

hentium voluntate. 2°. Per matrimonium mulier sui ipsius potestatem et vicissim vir sui ipsius potestatem in mulierem transmittit, quæ quidem transmissio sine transmittentis consensu fieri non potest. 3°. Matrimonium est firmum vinculum mutui atque perpetui amoris: atqui sine mutuo consensu stare non potest nexus amoris mutui. 4°. Finis matrimonii est educatio et institutio susceptæ prolis: atqui finis ille non potest sine mutuo consensu nubentium impleri; qui enim inviti et compellente tyrannica lege filios procrearent, male profecto eorum educationi et institutioni consulerent. 5°. Ita definiit Nicolaus I. cujus verba repetit ac confirmat Innoc. III. cap. *Tuas*, de Spons. duorum. Hinc, petente Servo Abrahami ut Rebecca Isaaco in uxorem daretur Gen. 24. 57. respondent parentes: *vocemus puellam, et quæramus ipsius voluntatem.*

2°. Matrimonium, ut est Sacramentum, pariter requirit partium consensum. Matrimonium enim ut Sacramentum nihil aliud est quam contractus per Sacramentum sanctificatus; ergo contractus non potest consensum requirere, quin eo ipso eumdem consensum exigat Sacramentum.

Dices 1°. Eugenius IV. in Decreto ait: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Ergo non semper. 2°. Ex cap. fin. de Cond. appos. valet matrimonium sub conditione impossibili initum: atqui tamen tunc verus non est consensus, cum pendeat ex conditione impossibili. 3°. Aliquis potest cogi ad episcopatum, qui est matrimonii species; ergo a pari quis potest ad matrimonium compelli.

R. ad 1. vocem *regulariter*, referri ad hæc verba; *consensus per verba de præsenti expressus*, et solummodo significare consensum posse signis et nutibus dari.

R. ad 2. Ideo matrimonium sub conditione impossibili initum judicatur validum, quia conditio habetur ut nugatoria, nec sincere et animo a contrahentibus

trahentibus apposita. Si tamen sincere esset apposita, non valeret matrimonium.

R. ad 3. dist. Quis potest cogi ad episcopatum, id est, Ecclesiæ præcepto compelli ut ex nolente episcopatum suscipere fiat volens, *conc.* id est, potest quis Episcopus fieri nolens, *neg.* Similiter Ecclesia potest aliquem sub censuris compellere ut eam ducere velit quam vitiavit, non autem ut nolens eam ducat; nec enim Ecclesia consensus defectum ullatenus supplere potest.

Quæres 1°. quænam conditiones ad consensum matrimonialem requirantur?

R. octo conditiones requiri, nimirum 1. ut sit liber, 2. ut sit mutuus, 3. ut sit verus et non fictus, 4. ut sit de præsenti, 5. ut sit signis externis expressus, non mere internus, 6. ut sit inter personas determinatas, 7. ut sit inter personas Jure habiles.

1°. Requiritur ut ille consensus sit liber, id est, datus cum ea libertate et advertentia quæ ad peccatum mortale sufficeret, adeo ut neque ex errore, neque vi, neque metu, neque in raptu extorqueatur; cum hæc omnia matrimonium dirimant, ut antea vidimus.

2°. Requiritur ut ille consensus sit mutuus, ut satis constat ex propositione præcedenti.

3°. Requiritur ut sit verus, internus, et non fictus. Ita permulti contra paucos, qui contendunt, sed immerito, consensum externum sufficere. Probatur autem assertio nostra 1°. ex cap. 26. de Sponsal. *Tua nos. Sine consensu animi cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* 2°. Matrimonium est verus contractus, est vinculum mutui et perpetui amoris, est animorum conjunctio, quæ omnia non possunt esse sine consensu vero et sincero.

Hinc 1°. matrimonium sine consensu vero, interno, et sincero initum non valet in foro conscientiæ, nec proinde qui sic contraxit, debitum conjugale reddere vel exigere potest donec consensum verum præbuerit. In foro tamen externo sive ecclesiastico

siastico admittitur ejusmodi matrimonium, nec ei qui se ficte consensisse etiam jurejurando affirmat, Judex aut alter conjux credere tenetur, nisi sufficienter probaverit.

2°. Qui ficte consensit, graviter peccavit tum commitendo irreverentiam in Sacramentum, tum injuriam alteri inferendo: unde tenetur damnum ei illatum resarcire, matrimonium novo consensu perficiendo, exceptis forte quibusdam casibus extraordinariis, de quibus consuli debet Episcopus.

3°. Si quis post consensum priori matrimonio ficte datum, vere cum alia sponsa contraheret, tunc valet posterius matrimonium, illeque teneretur ex Innoc. III. cap. *Inquisitione*, de Sent. Excomm. censuras sustinere potius quam ad priorem uxorem accedere, cui tamen pecuniariam compensationem deberet.

4°. Requiritur ut ille consensus sit de præsenti, ut loquitur Eugenius IV. in Decreto; in eoque differt matrimonium a sponsalibus quæ sunt de futuro. Non requiritur autem ut consensus utriusque partis physice simul existat, sed sufficit ut simul sit moraliter, ita ut quando unius consensus physice datur, consensus ab altero præstitus virtualiter perseveret nec ullo modo fuerit revocatus. Siquidem valet ex dictis matrimonium inter absentes per Procuratorem initum, tametsi dum contrahitur, aliud agat aut etiam dormiat mandans. Porro consensus censetur revocatus saltem implicite nec proinde perseverat, cum qui in unam consenserat, vult cum alia contrahere, vel cum a longo tempore præteriit tempus nuptiis præfixum, vel cum, etsi nullum tempus præfixum fuerit, adeo in mora est ut nullus per tantum temporis intervallum expectare censeatur.

5°. Requiritur ut consensus signis externis expressus sit, alioquin non posset acceptari, nec fieri mutuus, nec insuper posset esse Sacramenti materia quæ necessario est sensibilis. Exprimi autem debet *regulariter per verba de præsenti*, ut loquitur

Eugenius IV. in Decreto. Potest tamen signis aut nutibus manifestari, quando v. g. contrahentes, ut muti, loqui non possunt. Potest etiam exprimi in absentia per Procuratorem, ut vidimus, sed ex necessitate tantum et de consensu Episcopi, servatisque Legibus ad Matrimonium spectantibus.

6°. Consensus ille debet esse inter personas determinatas, ut patet.

7°. Debet esse inter personas jure habiles nec ullo impedimento dirimente constrictas, alioquin matrimonium invalidum foret.

Quæres 2°. an valeat matrimonium sub consensu conditionato initum?

R. 1°. Nunquam debere Parochos ad matrimonii celebrationem admittere eos qui consensum aliquo modo conditionatum matrimonio darent; quia non licet absque urgenti necessitate Sacramenta sub conditione de futuro conficere, aut conficiendis cooperari præsertim a tempore Concil. Trid. quo matrimonia clandestina vetita sunt. Insueta sunt matrimonia sub conditione celebrata, nec a peccato mortali excusari possunt qui talia contrahunt aut illis intersunt.

R. 2°. Quantum ad validitatem: vel conditio apposita est honesta, vel inhonesta, vel impossibilis.

1°. Si conditio sit honesta, vel est de præsenti aut de præterito, v. g. contrahо tecum, *si nobilis es, si tale crimen non admisisti;* vel est de futuro necessario aut contingenti, v. g. *contraho tecum, si sol cras oriatur, si sis hæres patris tui.*

Si conditio honesta, sit de præsenti et præterito, validum est matrimonium, modo conditio exstet: sed conjuges eo uti non possunt donec certo sciverint impletas esse conditiones.

Si conditio honesta, sit de futuro necessario, validum est matrimonium, eaque conditio haberi debet ut præsens et completa: *Talia futura,* inquit S. Thomas quæst. 47. art. 5. *sunt præsentia in causis.*

Si

Si conditio honesta, sit de futuro contingenti, tunc suspenditur, nec perficitur Sacramentum, donec impleatur conditio, ut definivit Urbanus III. c. 5. de Conditionibus. Quidam tamen huic matrimonio valor inest, quia eo sic celebrato neuter contrahentium ante eventum conditionis, altero invito, resilire potest. Si tamen contrahentes ante eventum conditionis consensum revocaverint, vel alter alteri nupserit, corruit illico matrimonium. Neutri tamen licet resilire sine justis causis quæ diversæ non sunt ab iis quæ ad dissolutionem sponsalium sufficiunt.

Hic quæstio movetur utrum, adveniente conditione, statim valeat matrimonium sine novo consensu, an vero novus consensus requiratur, an insuper coram Parocho et testibus renovari debeat ille consensus. Quidquid sit, pars tutior est eligenda, ac proinde novus consensus coram Parocho et testibus præstari debet.

2°. Si conditio sit inhonesta, vel pugnet contra substantiam matrimonii, nempe contra fidem, prolem, et indissolubilitatem; in quibus consistit substantia matrimonii; v. g. duco te, *si pro quæstu adulterandam te tradis, si prolis generationem vites, si nolis mecum in perpetuum contrahere;* vel non pugnat contra substantiam matrimonii, licet turpis sit, v. g. *contraho tecum ea conditione ut victum furto quæras.* Si 1. invalidum est matrimonium ex cap. *Si conditiones*, de Conditionibus appositis. Ratio a priori est quia nihil potest sine substantia sua subsistere. Si 2. valet matrimonium, quia conditio turpis matrimonio adjecta incitat ad peccandum, proindeque habenda pro impossibili; cum id solum possimus quod jure possumus. Porro conditio impossibilis pro non adjecta habetur, ut legitur cap. *Si conditiones*, de Conditionibus appositis. Hoc autem fit in favorem matrimonii, et supponitur in eo casu verum adfuisse consensum. Si tamen verus non fuisset consensus, si constaret hanc

hanc conditionem fuisse appositam serio, et animo matrimonii usque ad eventum conditionis suspendendi, tunc nullum esset matrimonium, ut patet ex dictis.

3°. Si conditio sit impossibilis, v. g. *duco te, si solem stare feceris*, matrimonium regulariter est validum. Ratio est quia propter favorem matrimonii conditio impossibilis pro non adjecta habetur, et supponitur illam jocose non serio fuisse adjectam; nec enim verisimile videtur hominem rationis compotem conditionem stultam contractui præsenti addidisse et Sacramento illudere voluisse. Si tamen conditio impossibilis serio adjecta fuisset, idque certis indiciis appareret, nullum foret matrimonium, quia nulla fuisset contrahendi intentio.

Responsio ad triplicem posteriorem quæstionem plene consentit cum cap. ultimo de Conditionibus appositis, in quo sic habetur: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.*

Quæres 3°. quid sentiendum sit de matrimonio contracto sub hac formula exclusiva, *non duco aliam nisi te?*

R. non unam esse ea de re Theologorum opinionem, quorum alii matrimonium sic initum volunt invalidum esse, alii autem validum. Quidquid sit, cum ambigua sit, obscura, ac incerta ejusmodi formula, in praxi haberi debet tanquam insufficiens ad gravissimi momenti contractum, qui consensum postulat actualem ac signis indubitatis manifestatum.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

De consensu Parentum ad Matrimonium Filiorum requisito.

Duo hic expendenda veniunt, 1°. an licite, 2°. an valide filii sine parentum consensu matrimonium contrahere possint?

§. 1. *An Filii sine Parentum consensu licite Matrimonium contrahere possint?*

Certum est 1°. filios, inconsultis parentibus, licite non posse matrimonium inire, sed debere semper eorum consensum rogare. Id constat 1°. ex Scripturis in quibus graviter reprehenduntur qui, inconsultis parentibus, conjuges acceperant, et in quibus parentes jubentur filiis suis conjuges dare: *Date filiis vestris uxores, ait Deus, et filias vestras date viris,* Jerem. 29. v. 6. 2°. Ex SS. Patribus: *Nec in terris filii sine consensu patrum recte et jure nubunt,* inquit Lib. ad Uxorem, c. 8. Tertullianus, cui multos alios adjicere possemus. 3°. Ex Legibus ecclesiasticis, quas Tridentina Synodus, sess. 24. de Reform. c. 1. sic confirmat: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa* (matrimonia sine parentum consensu inita) *semper detestata est ac prohibuit.* 4°. Ex Legibus civilibus, nimirum in Galliis ex Edicto Henrici II. an. 1556. Edicto Blesensi sub Henrico III. an. 1579. et Constitutionibus datis a Ludov. XIII. an. 1629. et 1639. 5°. Ex ratione theologica. Hoc enim erga parentes in re tanti momenti obsequium postulant reverentia ipsis debita, honos illis præceptus, familiarum pax, optima societatum civilium Constitutio, felix in præsenti et in altera vita conjugiorum exitus.

Certum est 2°. filios ante annum ætatis trigesimum et filias ante vigesimum quintum teneri, ut licite

licite in Gallia matrimonium contrahant, pœnasque in Edictis Regiis latas devitent, non solum petere, sed etiam obtinere parentum consensum. Ita enim expresse statutum est in præfatis Henrici II. Henrici III. Ludov. XIII. Constitutionibus, supremarumque Curiarum Decretis. Nullum porro dubium quin Leges illæ in foro conscientiæ vim habeant obligandi, cum ab auctoritate legitima ad bonum publicum et privatum sancitæ fuerint.

Nec liberi ab iis Legibus solvuntur propter injustam parentum resistentiam, cum generales sint, indefinitæ, nec patiantur exceptionem, et cum incommoda quæ ex injusta parentum resistentia aliquando oriri possunt, abunde compensentur clandestinorum matrimoniorum extirpatione, familiarum pace, societatis tranquillitate, et aliis bonis quæ ex Legum istarum constanti observatione nascuntur. Hinc si filius trigesimum annum nondum adeptus, matrimonium contrahere volens, parentum resistentiam etiam injustam experiatur, precibus apud illos agere debet. Quod si consensum petitum obtinere non potuerit, debet rem totam Deo permittere, prudenterque ac sapienter sese gerere donec trigesimum annum attigerit, tuncque satis erit parentibus sine justa causa resistentibus obsequiosam contrahendi significationem, gallice, *sommation respectueuse*, opponere.

Certum est 3°. eamdem fere in Galliæ regno tutoribus et curatoribus in pupillos auctoritatem competere quam ipsis parentibus. Reges enim nostri, et præsertim Ludovicus XIII. in laudatis Edictis sanxerunt ut tutorum curatorumve consensus prius obtineretur quam a pupillis matrimonium contraheretur. Aliunde, cum tutores aut curatores vices parentum gerant, æquissimum est ut in re tanti momenti, ex quo tota deinceps vitæ ratio pendet, nihil, iis in consultis, pupilli moliantur. Dixi, *eamdem fere*, quia parentes inter et tutores duplex occurrit discrimen.

Primum est quod tutorum et curatorum auctoritas

ritas ex Jure communi anno pupillorum ætatis vigesimo quinto excidat. Unde ex Edictis Regiis pupilli, post expletum annum 25. quo majores fiunt, tutorum curatorumve consensu nullum opus habent ut matrimonium licite conficiant. Notandum est in iis ipsis Provinciis, v. g. in Normannia, ubi pupilli post expletum vigesimum annum in aliis negotiis majores fiunt sui juris, non posse tamen eos ante annum 25. invitis tutoribus, matrimonium contrahere, ut patet ex Declaratione Ludov. XIII. ann. 1639. qui in eo Provinciarum illarum Consuetudinibus derogavit.

Secundum discrimen est quod tutores non pro arbitrio, ut parentes, pupillorum conjugiis obsistere possint, sed gravem oppositionis suæ causam exhibere teneantur; alioquin a pupillis in judicium vocati causa cadunt, ut constat ex Arresto quod refert Henricus Basnagius ad an. 1659.

Cæterum ne tutores sua in pupillos auctoritate abuterentur Edictum Blesense, art. 43. sic statuit: *Defendons a tous tuteurs d'accorder ou consentir le mariage de leurs mineurs, sinon avec l'avis et consentement des plus proches parens, tant paternels que maternels, sur peine de punition exemplaire.*

Certum est 4°. masculos post trigesimum, fœminas post vigesimum quintum annum expletum, petito, sed injuste denegato parentum consensu, posse licite matrimonium contrahere, postquam tamen contrahendi voluntatem obsequiosa et reverenti denuntiatione suis parentibus significaverint. Id enim expresse permittunt suis Edictis Henricus II. Henricus III. et præsertim Ludovicus XIII. qui in Declaratione an. 1639. sic statuit: *Enjoignons aux fils qui excedent l'age de trente ans, et aux filles qui excedent celui de vingt cinq, de requerir (c'est-a-dire par voie de Justice) l'avis et conseils de leurs peres et meres pour se marier, sous peine d'etre exheredes par eux, suivant l'Edit de l'an 1556.*

Hæc autem obsequiosa denuntiatio ex Decreto Senatus

Senatus Parisiensis an. 1692. fieri potest de solo consensu Judicis Regii locorum ubi parentes commorantur, et debet juridice significari. Quod si hæc neglecta fuerint, non invalida quidem sunt matrimonia, sed contrahentes exhæredationis pœnæ, ex Edictis Regiis modo citatis solummodo subjacent. Unde si filius aut filia a parentibus spem bonorum nullam habentes eam denuntiationem obsequiosam omiserint, potest Parochus, inviolatis Edictis Regiis, matrimonium celebrare, partiumque contrahentium potius quam Ecclesiæ Ministrorum est in eo casu consensum parentum juridice requirere. Debent tamen Ecclesiæ Ministri, juxta multa Statuta diœcesana, eam denuntiationem a filiis etiam nihil a parentibus sperantibus requirere. Ita decidisse Parisiensem Officialem refert D. *Thuet* in Libello an. 1786. edito.

Certum est 5°· filios etiam trigesimum annum adeptos, etsi post consensum parentum scriptis rogatum lege positiva non prohibeantur a matrimonio, in conscientia tamen illud non posse contrahere, si justa de causa parentes obsistant. Ratio est quia parentes contemnunt, reverentiamque ipsis a filiis, cujuscumque sint ætatis, debitam lædunt.

Certum est 6°· vituperio esse dignos ac peccare parentes, qui sine justa causa, ex duritie aut avaritia, congruis ac honestis nec ulla Lege prohibitis filiorum matrimoniis consensum denegant. Quantacumque enim sit eorum in filios auctoritas, non tamen contra Leges æquitatis ea uti licitum est.

Quæres 1°· an, patre filii nuptiis consentiente, matre vero dissentiente, aut vice versa, filius licite possit matrimonium contrahere?

R. reverentiæ matri debitæ convenire, ut in eo casu filius major sive minor a nuptiis abstineat, ut satis constat sive ex superius dictis, sive quia Regum nostrorum Edicta non patris tantum, sed etiam matris consensum requirunt. Notat tamen Collator Andegavensis in eo casu filium posse absolute

absolute matrimonium contrahere, quia cum pater sit familiæ caput, ipsius voluntas pravalere debet, nisi gravissimæ causæ adversentur.

Quæres 2°. an quæ hactenus dicta sunt de consulendis parentibus, ut filiifamilias licite matrimonium perficiant, ad viduos et viduas pertineant?

R. viduos ac viduas hisce Legibus teneri, pœnasque in iis contentas incurrere, 1°. quia viduitatis status natos non liberat a reverentia parentibus debita. 2°. Quia id expresse statuit Ludov. XIII. in Declaratione an. 1639. *Declarons que les veufs, fils et filles, moindres de vingt-cinq ans, qui auront contracte mariage contre les dites Ordonnances, sans le consentement des peres et meres, prives et dechus par le seul fait, ensemble les enfans qui en naitront, indignes et incapables a jamais des successions de leurs peres, meres, aieux,* &c. Imo Ludov. XIV. in Edicto an. 1697. easdem pœnas tulit in viduas ipsas 25. annis majores: *Permettons aux peres et meres d'exhereder les filles veuves, meme majeures de vingt-cinq ans, les quelles se marieront sans avoir requis, par ecrit, leur avis et consentement.*

Cæterum quamvis justa sit exhæreditatis pœna, cum justis de causis lata fuerit ab eo qui auctoritatem habet, nimirum Principe, et cum proinde juste possit infligi filiis sine parentum consensu sibi uxores assumentibus, decet tamen parentes bonos aliquando de jure suo relaxare, et ex nativa in filios propensione potius quam ex auctoritate Legum agere, præsertim ubi sperandi locus est filium animum esse mutaturum et ad meliorem frugem esse reversurum.

§. 2. *An Filiifamilias sine consensu Parentum valide Matrimonium possint contrahere?*

Quæstio moveri potest de jure naturali, divino, humano, sive civili sive ecclesiastico, sive antiquo sive novo.

Certum est 1°. filiorumfamilias conjugia, inconsultis aut invitis parentibus, inita, Jure naturæ non esse invalida, quidquid sentiant ex adverso Lutherus, Calvinus et eorum communiter Discipuli. Ratio est 1°: quia attento solo Jure naturali, solus contrahentium consensus ad matrimonii validitatem sufficit. 2°. Quia si conjugium a filio, insciis aut invitis parentibus, initum, Jure naturæ esset irritum, inde sequeretur filium etiam triginta aut quadraginta annos natum, parentibus juste vel injuste obsistentibus, non posse valide matrimonium conficere: atqui tamen illud Gentium omnium moribus reluctatur. 3°. Id expresse definiit contra Protestantes sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24. c. 1. de Reform. cujus verba infra referemus.

Certum est 2°. eadem filiorumfamilias matrimonia non esse nulla jure divino, quia licet eo jure prohibita fuerint, nulla tamen est nec potest reperiri Lex divina sive in veteri sive in novo Testamento, quæ ejusmodi matrimonia irritaverit.

Sentiunt nonnulli matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita, a primis temporibus circiter usque ad sæculum duodecimum jure positivo tum civili tum ecclesiastico fuisse irrita. Alii vero existimant hæc quidem fuisse prohibita, non autem invalida. Prior sententia probabilior videtur, sicut et communior.

Quidquid sit, Theologi fere omnes consentire videntur illa conjugia post sæculum 12. in Ecclesia occidentali pro ratis ac validis habita fuisse, ut constat ex Gratiano, Magistro Sententiarum, S. Thoma, aliisque posteriorum sæculorum Theologis. Sed duplex controversia movetur. Prima est de mente Concilii Trid. circa ejusmodi matrimonia, an videlicet statuerit illud Concilium nunc illa conjugia pro validis esse habenda. Secunda est de sensu Edictorum Regum nostrorum de illis matrimoniis, an nimirum novo illo jure in Galliis ea conjugia sint irrita.

Ut intelligatur prima quæstio, referenda sunt verba

verba Concilii Trid. sess. 24. de Reform. cap. I. ubi de matrimoniis Fidelium loquitur: *Tametsi dubitandum non est*, inquit, *clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, vera et rata esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.* Circa Decreti illius sensum duplex potissimum opinio. Alii volunt Concilii mentem fuisse definire 1°. contra Pseudo-reformatos matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu contracta per se, jure naturali et divino non esse irrita; 2°. insuper generalem inducere disciplinam qua matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu inita, deinceps pro ratis ac validis haberentur, etiam in locis ubi Leges ea irritantes existerent. Alii vero contendunt Patres Tridentinos solum intendisse contra Novatores definire matrimonia filiorumfamilias, invitis parentibus, contracta, nec jure naturali nec divino esse irrita, nec sola parentum voluntate sine Legum adminiculo rescindi posse. Unde concludunt posterioris illius sententiæ Patroni mentem Concilii Tridentini non fuisse ut filiorumfamilias conjugia sine parentum consensu inita pro validis haberentur etiam in iis Regionibus ubi Principum Legibus irritarentur, sed tantum ut ejusmodi matrimonia pro validis haberentur in locis ubi Principum Statutis non fierent irrita.

Quoad secundam quæstionem, difficultas non est de matrimoniis filiorumfamilias qui 25. annum expleverunt, quos ex Jurisprudentia Gallicana constat posse sine parentum consensu valide matrimonium contrahere, licet agant illicite, et propter parentum contemptum exhæredari possint. Sed agitur de matrimoniis filiorumfamilias minorum, id est,

est, qui 25. annum nondum expleverunt, et quæritur utrum eorum conjugia sine parentum consensu inita, Legibus Regum nostrorum, etiam quoad substantiam, fœdus et Sacramentum, irritentur, utrum vero quoad effectus civiles tantum sint invalida?

PROPOSITIO I.

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. de Reformat. contra Novatores definiit Matrimonia filiorumfamilias sine consensu Parentum contracta, non esse per se et jure naturali aut divino irrita, nec ea posse sola Parentum voluntate irritari.

Prob. ex Concilii verbis, quæ omnino sunt aperta ac manifesta. Palavicinus lib. 22. cap. 4. Estius in 4. dist. 28. par. 5. varias rationes referunt quibus Patres Tridentini moti sunt ut declararent ea matrimonia pro ratis ac validis esse habenda. Nec probabile est, quod tamen nonnulli arbitrantur, Concilium hoc Decreto nequidem de errore Novatorum cogitasse, cum nullibi quam in eo Decreto errorem illum perstringat. Idem constabit insuper ex propositione sequenti.

PROPOSITIO II.

Probabile est citato Decreto unice definiri præcedens Dogma contra Novatores, nec induci disciplinam generalem qua deinceps Matrimonia filiorumfamilias sine consensu Parentum inita, pro ratis ac validis habenda essent, etiam in locis ubi Legibus civilibus irritarentur.

Prob. 1°. Concilium Tridentinum profecto in eos solos anathema decernit, qui anathemate digni sunt; atqui soli Protestantes, qui filiorum matrimonia sine consensu parentum inita, vel irrita esse, vel a parentibus irritari posse affirmabant,

erant

erant anathemate digni, non autem Orthodoxi, qui cum multis Concilii Tridentini Præsulibus eadem matrimonia deinceps irritanda esse censebant, idque cum Regis Galliæ Oratoribus precabantur. Ergo Tridentinum anathema priores tangit, non posteriores; nec proinde definit S. Synodus in posterum pro validis habenda esse conjugia filiorumfamilias sine consensu parentum inita, etiam in iis locis ubi Legibus Principum irritarentur.

Et vero constat ex Palavicino lib. 2. Cardinalem a Lotharingia et Oratores Caroli IX. Regis Galliæ a PP. Trident. postulasse *ut redderent irrita matrimonia a filiis absque consensu parentum contracta.* Quod quidem adeo æquum visum est, ut Decretum juxta eorum vota primum efformatum fuerit. Quis autem crediderit Cardinalem a Lotharingia et Oratores Gallos obmutuisse, si non solum a spe sua dejecti fuissent, sed et disciplinam quam totis viribus promovebant, anathemate percelli vidissent?

Prob. 2°. Decreto Tridentino proscribitur error tunc existens, non autem futurus ex futura forte huic Decreto inobedientia, ut patet his Concilii verbis: *Eos Synodus anathemate damnat qui falso affirmant matrimonia, &c.* Atqui si Protestantes exceperis, nemo erat qui actu et jam tunc falso affirmaret filiorum matrimonia, invitis parentibus, contracta, vel per se irrita esse, vel sola parentum voluntate fieri posse irrita. Ergo solus ille error proscribitur, nec damnantur ii qui in posterum Trid. Decreto resistentes, affirmarent matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita pro validis habenda esse, etiam in locis ubi ea Legibus civilibus irritarentur.

PROPOSITIO III.

Matrimonia filiorumfamilias etiam minorum sine Parentum consensu inita, nullis Galliæ Legibus quoad vinculum et Sacramentum irritantur præcise ob defectum consensus Parentum.

Prob. 1°. *ex Edictis Regiis.* Sex enim Regum nostrorum circa filiorumfamilias conjugia prodierunt hactenus Edicta, Henrici II. an 1556. paulo ante Concil. Trid. Henrici III. in Comitiis Blesensibus an. 1579. Henrici IV. an. 1606. Ludovici XIII. an. 1629. et 1639. Ludovici XIV. an. 1697. Ex iis autem Edictis duo tantum, scilicet Blesense Henrici III. et Ludovici XIII. an. 1629. difficultatem facessere possunt. Quatuor enim alia pœnas plus minusve graves, v. g. exhæredationis, decernunt in filios qui sine parentum consensu uxores sibi assumere audent. At nihil habent quod ipsum Sacramentum ipsumque matrimonii vinculum tangat, ut legenti patet. Porro nequidem Edictis Blesensi Henrici III. et Ludovici XIII. an. 1629. matrimonia filiorumfamilias, insciis parentibus, contracta, quoad vinculum et Sacramentum irritantur.

1°. Non irritantur Edicto Blesensi Henrici III. an. 1579. Sic enim habet art. 40. *Pour obvier aux abus et inconveniens qui adviennent des mariages clandestins, avons ordonne que nos Sujets de quelque etat, condition, qualite qu'ils soient, ne pourront valablement contracter mariages sans proclamations precedentes de bans, apres lesquelles ils seront epouses publiquement...le tout sur les peines porteés par les Conciles. Enjoignons aux Cures, Vicaires et autres de s'enquerir soigneusement de la qualite de ceux qui se voudront marier, et s'ils sont enfans de famille ou etant en la puissance d'autrui, nous leur defendons tres etroitement de passer outre a la celebration desd. mariages, s'il ne leur apparoit du consentement*

sentement de leurs peres et meres, tuteurs ou curateurs, sur peine d'etre punis comme fauteurs du crime de rapt. Declarat quidem ibi Henricus III. *matrimonium invalide contractum.* Verum constat invaliditatem hanc non decerni propter defectum præcise consensus parentum, sed propter defectum promulgationis bannorum, ex quo matrimonium præsumatur clandestinum, seu absentibus Parocho et testibus factum. Unde nullitas cadit non præcise in defectum consensus parentum, sed in clandestinitatem quæ Lege tum civili tum ecclesiastica impedimentum est dirimens. Responsio confirmatur ex illustrissimo *de Servin* olim Advocato Generali, qui an. 1601. in oratione coram Senatu Parisiensi habita observavit conjugia filiorum ex defectu consensus paterni ante Edictum Blesense nunquam in Curia Parisiensi *quoad fœdus et Sacramentum* fuisse pro irritis habita, sed sæpius tamen post idem Edictum ea declarata fuisse invalida, quia ex eo tempore vigere cœperunt apud nos duo impedimenta, raptus scilicet et clandestinitatis. Igitur non præcise ex defectu consensus paterni, sed ex clandestinitate et raptus vitio, quod non adeo est hisce temporibus insolitum, matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu inita, Regiis Edictis irritantur, et a Judicibus supremis illorum Edictorum Interpretibus interdum invalida declarantur.

2°. Nec quoque eadem matrimonia Edicto Ludovici XIII. an. 1629. irritantur. Sic habet art. 39. *L'Ordonnance de Blois sur les mariages clandestins sera fidelement observee, et voulons que tous mariages contractes contre la teneur de ladite Ordonnance soient declares non valablement contractes.* Non diffitemur olim locum fuisse præsumendi hæc verba, *non valablement contractes,* non solum referri ad clandestinitatem et raptum, sed etiam ad defectum consensus paterni, de quo fit sermo in articulo Blesensi 40. indeque præsumi olim potuisse matrimonia filiorum, inconsultis parentibus, contracta,

tracta, ex Edicto Ludovici XIII. quoad fœdus et vinculum irritari. Verum Legislator ipse aliter suum Edictum interpretatus est. Nam cum illa clausula, *non valablement contractes*, Clero Gallicano molestiam ac difficultatem creasset, is an. 1629. in Comitiis generalibus congregatus Regem suppliciter rogavit ut non aliter hæ voces, *valide vel invalide contractum, intelligerentur quam relative ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti.* Ad hanc porro supplicem postulationem Rex christianissimus per Regii Sigilli Custodem aliosque selectos Comites Consistorianos respondit voces illas *valide aut invalide contracta matrimonia*, nullo modo esse intelligenda quam relative ad contractum civilem. Adde sic dictam formulam intelligere Juris utriusque Peritos, quos citat Fevretus lib. 5. de Abusu, Auctor qui colligit probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, clarissimus Louetus cujus hæc sunt verba: nullitas matrimonii proveniens ex defectu conditionum quas requirit art. 40. Blesensis, nullatenus attingit ipsum Sacramentum, quod nihilominus in isto matrimonio existit; sed ibi agitur de validitate conditionum matrimonialium.

Hinc Ludovicus XIV. qui duplicem de Conjugiis Constitutionem edidit, exhæredationis quidem pœnam in filios sine consensu parentum nubentes confirmat; at voces istas, *valide aut invalide contracta matrimonia*, prorsus omittit. Igitur matrimonia filiorum sine consensu parentum inita Ludovici XIII. Edicto quoad fœdus et Sacramentum irritantur.

Prob. 2°. *ex Arrestis supremarum Curiarum.* Si matrimonia filiorumfamilias solo consensus paterni defectu Jure Gallico, seu juxta tenorem Regiorum Edictorum, essent invalida, constanter matrimonia filiorumfamilias, inconsultis parentibus, contracta supremis in Curiis pronuntiarentur invalida, filiique ex iis nati aut nascituri declararentur illegitimi:

timi: atqui tamen multa exstant Curiarum supremarum Decreta in quibus filiorum etiam minorum conjugia sine consensu parentum inita non pronuntiantur quoad Sacramentum et fœdus invalida, nec filii ex iis nati aut nascituri declarantur illegitimi. Tria ejusmodi Arresta recenset Collator Andegavensis, tredecim Pontasius columna 1296. 1297. Multa alia refert D. *Brillon* in suo Arrestorum Dictionario. Insuper plurima habentur in Diario Audientiarum tom. 1. p. 177. in Collectione Bardoti tom. 2. p. 227. Non diffitemur tamen multo plura exstare Curiarum supremarum Arresta quibus filiorum minorum matrimonia sine consensu parentum contracta declarantur quoad fœdus irrita, prohibita partibus rehabilitatione, factaque ipsis potestate ad alia vota transeundi. Verum ex hac Arrestorum diversitate manifestum fit Judices supremos filiorum etiam minorum matrimonia, non præcise defectu consensus paterni, declarare quoad fœdus et Sacramentum irrita, sed aut propter clandestinitatem quæ ex eo tempore quo vigent in Galliis Ludovici XIV. circa domicilia Leges, non ita rara est, vel propter seductionem quæ facile in filiis aut puellis minoribus præsumitur, quæque duo inter impedimenta Matrimonii Sacramentum dirimentia tum a potestate ecclesiastica tum civili recensentur. Matrimonia, de quibus agitur, non præcise defectu consensus paterni sed propter clandestinitatem aut seductionem a Curiis supremis pro irritis haberi constat non tantum ex Arrestorum eo de negotio diversitate, sed insuper ex eo quod Advocati Generales quotidie clandestinitatem aut raptum seductionis adhibeant ut inde concludant conjugia minorum sine consensu parentum inita pro irritis in Tribunalibus civilibus esse habenda.

Inde est quod matrimonia filiorum majorum, inconsultis parentibus, contracta, non soleant in Curiis supremis declarari invalida. Ratio est quia facile non præsumitur filios majores fuisse seductos, dum

dum e contrario alii tenerioris ætatis facilius decepti judicantur.

Dices. Edicto Blesensi et aliis nonnullis Edictis decernuntur pœnæ in Parochos qui nubunt filiosfamilias sine consensu parentum, tanquam *in raptus Fautores.* Ergo ejusmodi matrimonia habentur ut raptus ; atqui raptus matrimonia irritat ; ergo solius parentum consensus defectus matrimonium irritat.

R. dist. maj. Et sic loquuntur Edicta ex hypothesi quod raptus intervenerit, *conc.* secus, *neg.* Unde si non sit raptus, Parochi non possunt haberi ut raptus Fautores neque ut tales puniri, *alioquin esset absurditas,* inquit celeberrimus *Theveneau* in Commentario art. 40. Constitutionis Blesensis. Insuper cum ejusmodi conjugia sæpe fiant per seductionem, ordinarie præsumitur in foro exteriori seductio, præsertim ubi tenella est ætas.

Ex dictis colligere est nullum esse conflictum inter disciplinam Tridentinam et Jus Gallicum circa matrimonia filiorumfamilias. Nam 1°. ex dictis, non definivit Concilium Trid. matrimonia filiorumfamilias, inconsultis parentibus, inita, pro validis habenda esse etiam in locis ubi a Principibus irritarentur. Quamvis igitur hæc matrimonia a Principibus nostris essent irrita, non ideo pugna foret inter utramque potestatem. 2°. Sancivit quidem Synodus Trid. matrimonia filiorumfamilias defectu consensus parentum per se et ex jure naturali non esse irrita. At non sanxerunt Reges nostri hæc matrimonia ex solo consensus paterni defectu esse irrita. Igitur non pugnat Synodus Trid. cum Jure a Regibus nostris constituto, nuncque apud nos servato.

Cæterum norunt omnes Tridentinam disciplinam non esse apud nos receptam, quamvis Clerus Gallicanus ipsique Reges nostri variis Statutis non minimam illius disciplinæ partem adoptaverint, et in hocce Regno servari jusserint.

Quæres 1°. an filii illegitimi saltem minores sine parentum consensu contrahere possint ?

R.

R. affirmative, quia auctoritas paterna ex matrimonio legitimo derivatur. Ita judicatum est Arresto Senatus Paris. an. 1662. quod refert *Pothier*, post Diarium Audientiarum. Attamen filii illegitimi, quandiu minores sunt, non possunt nubere sine tutorum suorum consensu; quod si non habeant, debent ipsis a Judice creari.

Quæres 2°: quomodo sese gerere debeat Parochus vel Confessarius erga filios qui matrimonium sine consensu parentum contraxerunt?

R. expendendum esse an nullum sit in tali matrimonio impedimentum dirimens. Si detegatur matrimonium illud aliquo impedimento dirimi, debet Confessarius exigere ut partes quoad thorum separentur et caste vivant, donec matrimonium, impetratis dispensationibus, obtentoque parentum consensu, renovatum fuerit. Si vero nullum sit impedimentum dirimens, sed solus defecerit paternus consensus, potest ipsis permitti ut vivant tanquam maritus et uxor, sed exigere debet ut suum matrimonium parentibus declarent et eorum consensum obtineant. Quod si nolint, debet ipsis absolutionem denegare, quia tunc inimicitiæ erga parentes signum præberent, ipsosque contemnerent, vel saltem debitam ipsis reverentiam non exhiberent, variisque pœnis jure sancitis sese exponerent.

Quæres 3°. an Edictis Regiis subjiciantur filii minores ad Religionem catholicam conversi, quando eorum parentes vel tutores Regno recesserunt?

R. eos posse sine eorum consensu matrimonium contrahere, servatis tamen iis quæ Edicto Ludovici XIV. an. 1686. præscripta sunt. Sic autem habet illud Edictum: *Voulons que les enfans des peres et meres qui sont sortis de notre Royaume, et se sont retires dans les pays etrangers, puissent, en leur absence, valablement contracter mariage, sans attendre ou demander le consentement de leurs peres et meres, ou de leurs tuteurs ou curateurs qui se sont retires dans les pays etrangers, a condition neanmoins de prendre*

prendre le consentement ou avis de leurs autres parens ou allies, s'ils en ont, ou, a leur defaut, de leurs amis ou voisins : a cet effet, voulons qu' avant de passer outre au contrat et celebration de leur mariage, il soit fait devant le Juge royal des lieux, notre Procureur present, et s'il n'y a point de Juge royal, en presence du Juge ordinaire des lieux, le Procureur fiscal de la Justice present, une assemblee de six des plus proches parens ou allies, tant paternels que maternels, s'ils en ont, ou, a leur defaut, de six amis ou voisins, pour donner leur avis et consentement, s'il y echet, dont nous voulons qu'il soit fait mention sommaire dans le contrat de mariage qui sera signe desdits parens, allies, voisins ou amis, comme aussi sur le Registre de la Paroisse ou se fera la celebration dudit mariage, lequels actes seront expedies sans frais.....sans que lesdits enfans puissent encourir les peines portees par les Ordonnances, &c.

Quæres 4°. an filiifamilias minores possint, parentibus aut tutoribus consensum injuste denegantibus, ex auctoritate Judicis matrimonium contrahere ?

R. filios minores, parentibus aut tutoribus consensum prius petitum injuste negantibus, posse ex Judicis auctoritate, matrimonium inire. Id constat ex duobus Arrestis a Collatore Parisiensi, t. 2. p. 348, 356. laudatis. Ratio a priori est, quia Judices sunt Legum Custodes, possuntque illas interpretari, cum privati quidam iis abutuntur. Rarissime id contingit, viventibus parentibus, qui tamen filios sic contrahentes possunt a suis hæreditatibus excludere. Judicis enim auctoritas solum impedire potest quominus parentes ejusmodi matrimoniorum irritationem, quoad civiles effectus in Tribunalibus obtineant.

Cæterum notandum est matrimonia filiorumfamilias etiam minorum, inconsultis parentibus, contracta, non posse privata parentum auctoritate irritari. Sed hæc possunt, postulantibus parentibus

bus aut tutoribus, a Judicibus regiis, ex solo consensus parentum aut tutorum defectu, quoad contractum civilem irritari, tuncque filii ex eo matrimonio provenientes sunt illegitimi, invalidæque sunt conventiones connubiales de accessoriis matrimonii, de dote, communitate inter virum et uxorem, &c.

Quæres 5°. an stirpis regiæ Principes, ii præsertim qui jure ortus sui propius ad solium accedunt, possint valide sine consensu Regum nostrorum nubere?

R. negative, ut constat ex iis quæ diximus ubi de potestate Ecclesiæ in stabiliendis impedimentis matrimonium dirimentibus. Iis addo unum aut alterum exemplum quo patet consensus Regis defectum impedimentum esse quo dirimuntur Principum regii sanguinis matrimonia. Nam 1°. cum Judith Caroli Calvi filia, invito patre, Balduino Comiti nupsisset, in conventu Episcoporum, annuente Papa, matrimonium illud pro irrito habitum est. 2°. Ludovici Balbi conjugium cum Ansgarde infirmatum est, isque Adelheidam duxit, ex qua natus est Carolus Simplex, qui solium patris solus occupavit.

ARTICULUS IV.

De præsentia Parochi et Testium ad Matrimonium contrahendum requisita, seu de clandestinitate Matrimonii.

Matrimonium clandestinum, vi nominis, illud est quod clam et occulte contrahitur.

Ante Concilium Tridentinum multis de causis matrimonium reputabatur clandestinum, videlicet propter defectum 1°. testium, 2°. proclamationis bannorum, 3°. consensus paterni, 4°. præsentiæ Parochi, 5°. benedictionis et aliarum solemnitatum, quæ ex antiquo more solent ab Ecclesia servari.

Verum a tempore Concil. Trid. matrimonium proprie clandestinum dicitur illud duntaxat quod, absentibus Parocho et testibus, efficitur. Vocem clandestinitatis eo sensu in posterum intelligemus. His positis,

Certum est 1°. matrimonia clandestina Ecclesiam semper detestatam fuisse, ut patet ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de Reform. Vera tamen ac rata fuerunt quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, videlicet quoad ipsum Sacramentum, juxta eos qui contendunt contrahentes esse illius Sacramenti Ministros, sed quoad solum contractum, juxta eos qui Sacerdotem solum Sacramenti illius esse Ministrum opinantur.

Certum est 2°. matrimonium clandestinum, id est, sine Parocho et testibus celebratum, a tempore Concil. Trid. esse irritum, ac proinde clandestinitatem esse impedimentum quo matrimonium dirimitur. Sic enim habet illud Concilium, sess. 24. de Reform. cap. 1. *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout præsenti Decreto irritos et nullos esse decernit.* Hanc Legem familiarum paci et honori adeo necessariam, quæque tot malis ac scandalis remedium attulit, suam fecerunt Reges nostri, et in hac parte Tridentinam disciplinam suis Edictis receperunt. Unde apud nos matrimonium defectu præsentiæ Parochi et testium clandestinum, prorsus irritum est sive quoad contractum sive quoad Sacramentum.

Hinc ab an. 1685. quo revocatum est Edictum Nannetense, ad an. 1787. Protestantes non poterant coram suis Ministris et testibus valide contrahere, sed tenebantur coram Parocho et testibus se sistere, alioquin irrita erant etiam quoad civiles effectus eorum matrimonia, eaque erant renovanda,

si

si ad Fidem catholicam reverterentur. Verum ex Edicto Regio mensis Novembris an. 1787. omnes in Galliæ regno *non Catholici* possunt valide quoad contractum civilem matrimonium inire, modo coram locorum Parocho aut Vicario, vel coram Regis aut Dominorum temporalium Judice consensum præbuerint, variasque formalitates in eo Edicto præscriptas servaverint.

Quæres 1°. an Catholicorum conjugia sine præsentia Parochi et testium contracta, nullo in casu, nec ullo in loco possint esse valida?

R. ea esse valida 1°. in locis ubi Concil. Trid. non fuit promulgatum nec unquam receptum, ut in Saxonia, Anglia; tum quia Lex non promulgata nullatenus obligat; tum quia Synodus non vult suum Decretum habere vim obligandi, nisi post trigesimum a prima promulgatione diem. Aliter vero dicendum est de Regionibus ubi promulgatum est Conc. Decretum, licet ibi dominentur Hæretici, uti in Hollandia in qua, jubente Philippo II. an. 1565. publicatum est Conc. Trid. Ibi enim matrimonia Catholicorum inter se non servata disciplina Trid. sunt invalida, ex Constit. Benedicti XIV. exceptis tamen casibus sequentibus. Nimirum 2°. ex tacita Ecclesiæ dispensatione valent matrimonia sine præsentia Parochi contracta in ipsis locis ubi quidem Decretum Trid. promulgatum est, vel aliquo tempore observatum, sed ubi nullus est Parochus nec Episcopus qui Sacerdotem delegare possit, nec Missionarius apostolicus qui vices Parochi vel Episcopi suppleat. 3°. Pari ratione valent eadem matrimonia, si Parochus et Episcopus, nullo constituto Vicario, metu Hæreticorum lateant, nec possint adiri. Sed in his duobus postremis casibus quos sic resolvit sacra Congregatio an. 1603. si Sacerdos sæcularis aut regularis inveniri possit, coram eo contrahendum erit, non coram Ministro hæretico. Insuper servanda erit forma Trid. quoad testes. Imo si locorum Leges exigant, standum erit coram Magistratu

gistratu ut matrimonium valeat quoad civilia, atque ut proles sit legitima. At ipsis non licet coram Ministris hæreticis se sistere, si formula ab istis Ministris in celebratione matrimonii abhiberi solita, sit sacra et religiosa; alioquin graviter peccarent.

Quæres 2°. an quando Catholici e loco, ubi Concil. Trid. obligat, migrant ad locum ubi non obligat, teneantur coram Parocho et testibus contrahere?

R. negative, quia Concilium eos solos obligat qui loca incolunt ubi promulgatum est. Aliter tamen esset, si ad alium locum diverterent duntaxat animo ibi clandestine contrahendi, non vero ibi commorandi saltem per tempus sufficiens ad acquirendum domicilium, de quo postea loquemur. Ratio est quia nemini fraus patrocinari debet.

Quæres 3°. an migrantes e loco ubi non obligat Tridentinum, ad locum ubi obligat, possint valide contrahere absque præsentia Parochi et duorum testium?

R. negative, quia Itinerantes Legibus locorum ubi versantur adstricti sunt, ut videre est in Tractatu de Legibus.

Quæres 4°. an Hæreticorum matrimonia, non servata forma Tridentina, coram Ministro hæretico vel sine testibus celebrata, sint valida?

R. ea conjugia, juxta Tridentini Decreti tenorem, videri invalida iis in locis ubi receptum est Concil. Trid. quia Hæretici, cum per suum Baptismum sint Ecclesiæ filii, subjiciuntur illius jurisdictioni. Attamen dicendum est ea, quantum ad contractum civilem, nisi patriis Legibus irritentur, etiam in locis ubi receptum est Tridentinum, tacite Ecclesia dispensante, ut multis occurratur malis, esse valida. Non enim permittit Ecclesia ut illi Hæretici, ad Fidem catholicam conversi, convolent ad alias nuptias, et eorum liberos habet ut legitimos. Ita respondit Pœnitentiaria Romana Episcopo Castoriensi.

Confirmatur

Confirmatur responsio Constitutione Benedicti XIV. an. 1741. data, qua statuit matrimonia Hæreticorum inter se, non servata Tridentini disciplina in Belgio fœderato, ubi ex dictis promulgatum est Concil. Trid. si nullum aliud obstiterit impedimentum, pro validi esse habenda. Idem quoque in præfata Constitutione decernit de matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis in eadem Regione sive contractis, sive contrahendis, quæ tamen ibidem illicita ac detestabilia declarat.

Quæres 5°· an matrimonium ratione clandestinitatis nullum, saltem vim habere possit sponsaliorum?

R. negative, quia contractus ipso jure nullus nullum effectum habet. Ita definiit sacra Congregatio.

Quæres 6°· quænam præsentia Parochi requiratur, an physica tantum, an vero moralis quæ fit cum libertate et advertentia?

R. non sufficere physicam seu materialem, sed requiri moralem et humanam qua videat et intelligat quid agatur a contrahentibus. Unde si dormiens adsit aut nesciens quid fiat, nequidem testis erit idoneus. Imo oportet ut sit liber, non invitus, alioquin non esset minister Sacramenti, in quo necessaria est intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Quæres 7°· an necessarium sit ut Parochus benedictionem nuptialem pronuntiet?

R. 1°· Si speciales non sint locorum Leges, matrimonium cui Parochus benedictionem nuptialem denegavit, valet etiam ut Sacramentum, in opinione eorum qui contrahentes volunt esse illius Sacramenti Ministros, Parochum vero duntaxat testem præcipuum. In opinione autem eorum qui contendunt Sacerdotem veri Ministri partes hic agere, matrimonium sine benedictione nuptiali contractum valet tantum in ratione contractus, minime vero in ratione Sacramenti.

R. 2°· in Galliis Ludov. XIII. in Declaratione an. 1639. præcepisse ut partium consensus reciperetur a Parocho, qui eas, juxta formam in Ecclesia

consuetam, matrimonio jungat, quod nemo dixerit de Parocho nihil agente, nullamque benedictionem proferente. Insuper Ludovicus XIV. an. 1697. prohibuit ne conjugia per declarationem mutui consensus, Parocho renitente, coram Notariis (mariage a la gaulmine) effectus civiles consequerentur. Multa exstant Curiarum supremarum Decreta, quibus matrimonia propter benedictionis nuptialis omissionem declarantur invalide et abusive contracta, etiamsi aliquando Parochus præsens adfuerit.

Quæres 8°. quis sit Parochus cujus præsentia omnino necessaria est, an originis vel domicilii contrahentium, an loci ubi contrahitur, an viri aut mulieris, si sint diversæ Parochiæ?

R. 1°. fatentibus omnibus, præsentiam Parochi domicilii contrahentium esse necessariam. Perinde est tamen sive viri sive mulieris sit Parochus. Usus tamen invaluit ut celebretur matrimonium coram Parocho mulieris, sed de licentia Parochi viri. Ita Cardinales Concil. Trid. Interpretes.

Notandum est autem, ex usu et praxi hujus regni generali, licentiam eo ipso datam et obtentam censeri, quo ille scriptis testatus est Parochiani sui banna, nemine contradicente, proclamata fuisse.

2°. Peccat quidem et reprehensione dignus est Parochus qui, spretis Parochi alterius partis testimonialibus Litteris, partes diversæ Parochiæ matrimonio conjungit; sed non ideo irritum est matrimonium, juxta Collatores Paris. et Andegav. post sacræ Congreg. declarationem quam refert Fagnanus, cap. *Quod nobis de clandest. Despons.* Ratio est, quia Concil. Trid docet matrimonium quidem esse celebrandum *præsente Parocho*, non autem præsentibus Parochis. Si tamen ibidem omissa esset quoque bannorum proclamatio, censet *D. Pothier* post *Daguesseau*, ex illo duplici defectu irritum esse matrimonium; nec profecto leves videntur eorum rationes quas vide apud *Pothier*,

Pothier, Traite du Mariage, tom 1. p. 451. edit. in-12.

Quæres 9°. quoto tempore opus sit ad acquirendum jus domicilii in aliqua Parochia in ordine ad matrimonium contrahendum?

R. 1°. generatim sufficere habitationem in aliquo loco quæ sit bonæ fidei et cum animo ibi commorandi, non autem sola itineris aut oblectationis causa, et cum animo brevi tempore ad primam habitationem revertendi.

2°. In Galliis, ex Edicto Ludovici XIV. an. 1697. statutum est ad domicilium in aliquo loco acquirendum in ordine ad matrimonium coram illius loci Parocho contrahendum, requiri habitationem sex mensium, si partes prius in eadem Diœcesi commoratæ sint; requiritur vero habitatio unius anni, si contrahentes ex alia Diœcesi migraverint. Possunt tamen ex eodem Decreto Parochi matrimonio eos conjungere, qui per totum illud tempus in sua Parochia non sunt commorati, modo bannorum proclamationis testificationem receperint a Parochis vel Episcopis locorum, ubi contrahentes per tempus modo præfixum prius commorati sunt. Huic Constitutioni regiæ consentanea est totius Ecclesiæ Gallicanæ praxis.

3°. Adeo stricte observatur illud Decretum ut Gallo non liceat Regionem Principibus nostris non subditam petere, ut ibi contra tenorem illius Edicti, v. g. post aliquot dies vel hebdomadas matrimonium contrahatur. Ita ab eodem Ludov. XIV. statutum est. Hinc, juxta Collatorem Parisiensem, invalida sunt matrimonia Gallorum quæ in alienis Regionibus in fraudem hujus Legis contrahuntur, quia non celebrantur a proprio Parocho.

4°. Notandum est eum qui per anni curriculum circiter sex mensibus unam Parochiam incolit, puta urbanam, sex vero aliis mensibus puta rusticam, sufficiens in utraque domicilium acquirere, adeoque posse coram utroque Parocho nubere. Tutius tamen ac consultius est ab altero Parocho licentiam

licentiam obtinere, aut eam præferre Parochiam ubi satisfit officio paschali.

Quæres 10°. an quando Parochus domicilii absens est aut mortuus, matrimonium sine clandestinitatis vitio coram alio Parocho contrahi possit?

R. negativé, quia alter non est proprius contrahentium Parochus. Hinc recurri debet ad Episcopum aut Vicarium generalem, ut alium Parochum vel Sacerdotem ad matrimonii celebrationem committat.

Quæres 11°. an filiifamilias ætate minores matrimonio jungendi sint a Parocho domicilii *facti*, seu domicilii in quo commorantur, an vero a Parocho domicilii *juris*, seu in quo eorum parentes tutoresve commorantur?

Respondere solent Theologi ea de re nihil aut regiis Edictis aut ritualibus Libris statutum esse. Censet Collator Parisiensis matrimonium minorum coram Parocho domicilii facti esse celebrandum, quia ille proprius est Parochus. Idem sentit Collator Andegavensis, modo tamen domicilium non sit transitorium, v. g. artis addiscendæ aut famulandi causa; sed sit fixum ac stabile, v. g. officii stabilis et permanentis exercendi gratia. Bannorum vero denuntiationes in domicilio juris non debent omitti, ut alibi vidimus. At D. *Pothier* celebris Jurisconsultus, tom. 1. de Matrim. p. 441. merito censet e contrario filiosfamilias minores coram Parocho parentum vel tutorum debere contrahere. Hisce nititur Edicti an. 1697. verbis: *Declarons que le domicile des fils et filles de famille, mineurs de vingt cinq ans, pour la celebration de leur mariage, est celui de leurs peres, meres, tuteurs, ou curateurs; et en cas qu'ils aient un autre domicile de fait, ordonnons que les bans seront publics, et dans les Paroisses de leurs peres, meres, tuteurs, ou curateurs.* Ut tollatur omnis difficultas, habendus est, ut vulgo habetur, utriusque Parochi consensus.

Quæres 12°. quid sit domicilium filiorumfamilias

lias ætate majorum, nempe filiarum quæ vicesimum quintum, et filiorum qui trigesimum annum expleverunt, in ordine ad contrahendum matrimonium ?

R. esse domicilium facti seu habitationis, si extra domum paternam habitent. Quod si vero in domo paterna commorentur, sed, insciis parentibus occultum in alia Parochia domicilium habeant etiam a sex mensibus aut anno integro, merito censet Collator Parisiensis eos non posse valide matrimonium contrahere nisi coram Parocho domicilii parentum. Ratio ipsius est quia solus ille Sacerdos est publicus et actualis Parochus sive parentum sive filiorum publice cum iis commorantium. Hinc ejusmodi matrimonia in Curiis supremis declarantur invalida.

Quæres 13°. an qui metu ne impediatur suum matrimonium alio migravit, ibique tempore præscripto mansit, valide coram novi illius domicilii Parocho contrahere possit ?

R. affirmative, servatis tamen Regum nostrorum Legibus de obtinendo parentum vel tutorum consensu ab his qui sunt sub aliorum potestate. Ratio est, quia sic contrahens prius domicilium reipsa mutavit, novum acquisivit, matrimoniumque secundum Leges inivit.

Neque dicas cum nonnullis eum in fraudem alio migravisse, neminique fraudem patrocinari posse. Nulla enim fraus intervenit ubi Lex ad amussim impletur. Ita Sylvius, Bonacina, Fagnanus, qui in hujus sententiæ confirmationem laudat sacræ Congregationis responsum.

Quæres 14°. quis in ordine ad matrimonium celebrandum sit Parochus Vagorum, quales sunt Mendici, Artifices quidam, Pictores, Chirurgi, &c.

R. Concil. Trid. sess. 24. c. 7. ut multis malis ac præsertim Vagantium polygamiæ occurrat, præcipere Parochis *ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

tinuerint. Porro Parochus cujus ministerium postulant Vagi, ab iis exquirere debet instrumenta authentica vel testimonia scripta fide digna, quibus constet 1°. de eorum Baptismo, ætate, loco nativitatis. 2°. De eorum catholicitate. 3°. De morte patris eorum et matris, vel de illorum parentum consensu, si vivant, dato aut secundum Leges petito. 4°. Utrum Vagus uxorem habuerit, an non? Quod si habuerit, exigendum erit instrumentum certum quo constet illam esse mortuam. His autem præstitis, res deferenda erit ad Episcopum, qui si matrimonium approbaverit, 1°. dispensabit a domicilio, 2°. permittet ut isti Vagantes matrimonio conjungantur. Postulant autem prudentiæ leges ut Parochus matrimonium celebrans omnia acta ad hanc rem spectantia servet et Parochiæ registris adjungat, ut deinceps se extra omnem culpam ponat, si disceptatio intervenerit.

Quæres 15°. utrum sine Ordinarii licentia valide celebrari possit Vagorum matrimonium?

R. opinionem affirmantem tenere Sanchesium, Sylvestrum, Pontasium, quia, juxta eos, Parochus loci ubi contrahunt Vagantes, reipsa est ipsorum Parochus. Addit Pontasius Edictum regium, quo sex mensium aut anni integri habitatio ad matrimonium contrahendum requiritur, spectare eos solos qui fixum habent domicilium, non autem Vagos. Probabilior vero aut saltem tutior nobis videtur opinio Collatoris Parisiensis qui tale matrimonium irritum esse censet. Nam ex Concilio Trid. sess. 24. cap. 1. non valet matrimonium, nisi coram proprio Parocho contrahatur. Atqui, ex eodem Concilio, solo Ordinarius est Vagorum Parochus, ubi agitur de matrimonio, cum Synodus prohibuerit ne Parochi sine Ordinarii licentia Vagos matrimonio conjungant. Quod si tamen evenerit quosdam sine hac licentia fuisse conjunctos, eo in casu curandum est ut qui sic contraxerunt, servatis imprudenter omissis, renovent consensum. Cæterum præfatæ cautiones adhibendæ sunt, etiamsi

unus

unus tantum e contrahentibus Vagus foret, ut satis intelligitur.

Quæres 16°. an matrimonium contractum coram proprio Parocho in aliena Parochia, validum sit?

R. affirmative, quia celebratio matrimonii est actus jurisdictionis voluntariæ, quæ potest ubique exerceri. Ita Fagnanus in cap. *Quoniam de Constitutionibus*. Postulat tamen ordo ut Parochus sibi Subditos in alterius Parochia matrimonio non conjungat, nisi prius obtenta hujus Parochi aut Episcopi licentia.

Quæres 17°. an validum sit matrimonium celebratum coram Parocho nondum Sacerdote?

R. in sententia eorum qui contendunt contrahentes esse istius Sacramenti Ministros, Parochum vero duntaxat præcipuum testem, valere istud matrimonium, tum in ratione contractus, tum in ratione Sacramenti. At in sententia eorum qui existimant Sacerdotem solum esse hujus Sacramenti Ministrum, non valet in ratione Sacramenti matrimonium a non Sacerdote celebratum, ut patet. Valet tamen in ratione contractus, uti declaravit sacra Congregatio Concilii an. 1578. apud Fagnanum in cap. *Quoniam de Constitutionibus*, nisi obstent civiles locorum Leges.

Quidquid sit, in praxi tutius est ac consultius ut Parochus nondum Sacerdos hoc munus Vicario aut alteri Sacerdoti committat.

Nota in Galliis nullum nunc posse esse Parochum, nisi sit Sacerdos, et annum 25. sit adeptus.

Quæres 18°. an valeat matrimonium contractum coram Parocho suspenso, excommunicato, vel irregulari, schismatico vel hæretico?

R. valere, modo Parochus non sit denuntiatus. Ita Congregatio Concilii Tridentini apud Fagnanum in caput *Litteræ quas*. Ratio est quia Concilium simpliciter exigit præsentiam Parochi. Porro Sacerdos, de quo agitur, reipsa Parochus est. Insuper matrimonium istud nullo Juris statu irrita-

tur

tur. Si tamen censura sit denuntiata, non stabit matrimonium in sententia eorum qui volunt Sacerdotem esse matrimonii Ministrum, quia Hæreticus vel Excommunicatus denuntiatus nullam habet jurisdictionem. Imo dubitat Gibertus an valeat, etiamsi contrahentes Ministri esse supponantur.

Quæres 19°. an valeat matrimonium coram Parocho intruso?

R. Si Parochus, licet vere intrusus, titulum habeat coloratum, id est, si ex communi existimatione pro vero Parocho habeatur, valebit matrimonium coram eo contractum, quia error communis facit jus, et Ecclesia in hoc casu sufficientem ad omnia Parochi munia confert jurisdictionem. Quod si Parochus intrusus verum aut saltem coloratum titulum non habeat, nec valide nec licite matrimonium celebrare potest, cum nulla ratione Parochus dici possit.

Quæres 20°. quasnam pœnas incurrant Sacerdotes qui Fideles sibi minime subditos sine proprii Parochi aut Ordinarii licentia, matrimonio conjungunt?

R. ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de Reform. cujus disciplina in hac parte servatur in Galliis, *illos ipso jure suspensos esse, donec ab Ordinario ejus Parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvantur.* Insuper illi Sacerdotes, quantumvis a jurisdictione episcopali sint exempti, ex Edictis regiis, ac præsertim Edicto Ludovici XIV. an. 1697. variis pœnis temporalibus subjacent, v. g. privationi redituum ecclesiasticorum per tres annos, vel etiam aliis mulctis gravioribus, imo et corporalibus pro diversitate circumstantiarum.

Quæres 21°. an Parochus alium Sacerdotem possit delegare ad celebrationem matrimonii inter Parochianos suos contrahendi?

R. affirmative, ut constat ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. cujus verba antea retulimus. Porro, ut valeat delegatio, nonnulla requiruntur

requiruntur. Oportet 1°. ut illa delegatio matrimonii celebrationem antecedat. Hinc non sufficit ratihabitio matrimonio jam celebrato superveniens, sed ejusmodi conjugium iterandum foret, obtenta prius ab Episcopo facultate partes secreto, omissisque bannorum denuntiationibus, conjungere.

Oportet 2°. ut licentia ad matrimonium celebrandum concessa, sit externa, verbis scilicet aut aliis signis sufficientibus expressa. Hinc non sufficit 1°. Parochi consensus interpretativus. qualis esset, v. g. si Sacerdos vicinus aut amicus Parochi absentis Parochianos ejus maritaret, quia certo novit eam rem esse ab eo approbandam et consensum ejus ab eo concedendum, si præsens adesset. Ratio est quia Sacerdos qui sic agit, potest quidem asserere se fuisse delegandum, si Parochus adiri potuisset; at revera non est delegatus. Hinc Parochus non potest alterius Parochi vicini aut amici in ordine ad matrimonium celebrandum vices supplere, nisi expressam vel generalem vel specialem licentiam habeat; nec sufficit quod ipsi permissum fuerit aliâ Sacramenta in vicina Parochia ministrare. Idem dicendum est de Præsbyteris alicui Ecclesiæ parochiali adscriptis.

3°. Nec sufficit licentia quæ ex mera tolerantia resultet, ut si Sacerdos alius nequidem titulum coloratum habens, qualis Canonicus in Ecclesia collegiali quæ simul parochialis est matrimonium celebrandi jus sibi usurpet, Parocho nesciente aut non reclamante, quia reclamare non audet, vel sine gravi incommodo nequit. Qui enim sic toleratur, a Parocho non committitur, sed se ipsum committit.

4°. Non requiritur tamen licentia scripta, si detur a Parocho ut in propria Parochia matrimonium fiat; sed verbalis sufficit, nisi forte receptum sit aut Statutis diœcesanis præscriptum ut scriptis detur. Si vero concedatur vel ab Episcopo vel a Parocho ut matrimonium extra suam Parochiam ab alio celebretur, debet scripto consignari, uti

statutum est Edictis 1639. et 1697. nimirum ut probari possit hocce matrimonium de consensu Ordinarii aut Parochi esse contractum, neque esse clandestinum.

5°. Requiritur ut illa licentia acceptata fuerit vel explicite vel implicite, alioquin non censetur data.

Cæterum Sacerdos ad matrimonii celebrationem delegatus in Parochiæ regestis notare debet qua potestate egerit, an tanquam Vicarius, an vero tanquam speciali licentia munitus: imo in casibus præfatis, quibus scripto tradi debet, expedit eam integram in regestis inscribi.

Quæres 22°. utrum Sacerdos ab Episcopo aut Parocho ad certum quoddam matrimonium delegatus, possit alium Sacerdotem ad illud idem celebrandum delegare?

R. negative, nisi tamen subdelegandi potestatem ipse acceperit. Ratio est quia, ex regula Juris Delegatus non ad universitatem, sed ad singularem aliquam causam non potest alium subdelegare.

Quæres 23°. an Vicarius Parochi matrimonium possit celebrare?

R. affirmative, nisi Parochus facultatem hanc expresse sibi reservaverit. Ratio est quia Parochi vices gerit, eumque representat. Imo Vicarius potest alium Sacerdotem delegare, nisi facultas ipsius in hac parte restricta sit, idque universali consuetudine receptum est. Ratio est quia Delegatus est generalis: porro Delegatus generalis, ex jure, potest alium subdelegare. Non potest tamen Vicarius alium Sacerdotem delegare ad matrimonium in alia Parochia celebrandum, nisi id expresse permiserit Parochus, quia censetur Vicarius hanc potestatem pro sola Parochia cui inservit, accepisse.

Hæc eadem dicenda sunt de Sacerdote qui Parochi mortui aut suspensi vices gerit, gallice *Desservant*, cum pariter Parochum repræsentet.

Quæres

Quæres 24°. an exercituum Eleemosynarii possint Militum matrimonia celebrare?

R. cuncta matrimonia ab iis sine licentia Episcopi aut Parochi celebrata, in omnibus locis ubi Religio catholica exercetur, esse prorsus invalida; quia Parochi locorum in quibus versantur Milites, soli sunt eorum Militum in ordine ad matrimonii celebrationem Parochi. Ludov. XIV. an. 1681. sub gravissimis pœnis prohibuit ne Eleemosynarii exercituum Milites sine Parochorum licentia matrimonio conjungerent.

Dixi, *in locis ubi Religio catholica exercetur* Ubi enim non exercetur, nec potest inveniri loci Episcopus aut Parochus, contrahi potest matrimonium coram alio quocumque Sacerdote, v. g. coram exercituum Legatorumve regiorum Eleemosynariis, vel etiam aliis Sacerdotibus qui occurrere possunt.

Quæres 25°. quis sit Ordinarius, de cujus licentia potest, ex Decreto Concili. Trid. supra laudato, matrimonium aliter quam, præsenti Parocho, contrahi?

R. eum nec esse Archiepiscopum relative ad suorum Suffraganeorum Subditos in quos jus non habet, nisi in causa appellationis; nec Abbates aut alios jurisdictione quasi episcopali gaudentes; nec Officiales, nisi sint Vicarii generales; nec Archidiaconos etiam in visitationis decursu, nisi forte Parochiæ vacanti per se aut per alios deserviant, ubi eo jure fruuntur. At vero, ex sententia communi et unanimiter in Galliis recepta, nomine Ordinarii intelligendus est Episcopus. Id sat aperte indicant Ludov. XIII. in Edicto an. 1629. et Ludov. XIV. in Edicto an. 1697.

Nemini dubium est quin Vicarii generales potestatem in Decreto Tridentino Ordinariis concessam habeant, nisi eam limitaverit Episcopus. Idem quoque dicendum est de Vicariis generalibus Capitulorum Cathedralium Sede vacante; ii enim, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, possunt Episcopi cujus Capitulum jurisdictionem habet, potestatem exercere.

Quæres

Quæres 26°. utrum possit Episcopus per se propriis Diœcesanis matrimonium administrare?

R. id posse Episcopum, etiam absente Parocho aut renitente ipso. 1°. Quia Episcopus est proprius Sacerdos seu Parochus respectu suorum Diœcesanorum. 2°. Quia potest, ex Tridentino, Sacerdotem committere ad matrimonium celebrandum. *Nemo autem*, ex regula Juris in-6 *plus juris in alium transferre potest quam ipse habet.* 9°. Talis est recepta ubique disciplina. 4°. Doctrina contraria in Comitiis generalibus an. 1655. a Clero Gallicano damnata est.

Quæres 27°. an possit Episcopus, inconsulto aut etiam renitente Parocho, alium Sacerdotem ad matrimonii celebrationem deputare?

R. *affirmative*, uti in iisdem Comitiis generalibus definitum est. Id autem, quamvis plerumque non expediat propter mala quæ inde nascerentur, quibusdam tamen in circumstantiis opportunum est, imo et necessarium, v. g. cum Parochus sine causa renuit matrimonium celebrare, aut notabiliter differt, aut illud postulat contrahentium utilitas, vel honos, vel bonum spirituale et temporale.

Quæres 28°. quot testes ad matrimonium contrahendum requirantur?

R. matrimonium, nisi sint tres aut saltem duo testes, ex Concilio Trid. jam laudato, clandestinum esse ac nullum.

In Galliis vero quatuor præter Parochum testes requiruntur, ex Edictis 1579. 1639. 1697. In praxi nunquam ab istis Edictis recedendum est. 1°. Quia Synodus Trid. vehementer optavit retineri laudabiles Provinciarum consuetudines in iis quæ ad matrimonium pertinent. 2°. Quia, si quæ lites circa conjugia coram duobus aut tribus testibus tantum celebrata moverentur, timenda esset appellatio tanquam abusu, et periculum foret ne quoad effectus civiles irritarentur a Curiis supremis quæ solent regiorum Edictorum tenorem sequi. Eadem tamen matrimonia in sacramenti ratione valerent, ut ex

communi

communi omnium hujus Regni Provinciarum sensu docent Cabassutius, Collatores Parisiensis et Andegavensis, qui non censent eam fuisse Regum nostrorum mentem ut impedimentum a Tridentino distinctum inducerent.

Quæres 29°. quæ debeant esse testium qualitates?

R. 1°. communem Thelog. et Canon. opinionem contra quosdam, docere cum Sylvio ad valorem Sacramenti sufficere quoscumque qui usum rationis habeant, quid agatur intelligant, et de matrimonio celebrato testari possint; cujusmodi sunt *parentes, consanguinei, viri et mulieres, boni et mali, infames, excommunicati, imo et impuberes,* qui satis intelligentiæ habeant. Unde necessum non est ut eas habeant qualitates quas Leges civiles in causis civilibus aut criminalibus requirunt. Ratio ipsorum est 1°. quia nihil circa testium famam et alias qualitates a Concilio Tridentino definitum est. 2°. Quia si testes debeant esse, ut loquuntur, ab omni exceptione majores, id est, ab omni reprehensione immunes, matrimonia forent magis incerta et litibus aut dubitationibus obnoxia, quam ante Concilium Tridentinum. Quoti enim concubinarii, homicidæ, adulteri matrimoniis subscribere solent!

R. 2°. Quidquid sit de communi ista Theologorum sententia, enitendum esse a Parocho ut, quantum fieri potest, adhibeantur viri probi, fide digni, non autem vagi, incertive domicilii, nec impuberes, quin imo *Duperrai* in Tractatu de Dispens. Matrim. c. 41. mulieres excludere videtur, et laudat Arrestum Senatus Parisiensis an. 1700. quo decretum est mulieres non esse in matrimoniis pro testibus admittendas. Ludovicus XIV. in Edicto an. 1697. vult non tantum ut testes sint *fide digni;* sed insuper ut domicilium notum habeant, et nomen suum actis matrimonialibus subscribere valeant, si quatuor ejusmodi in loco celebrationis inveniri possint.

Parentes, cognati, affines, domestici, quamvis aliter sit in aliis negotiis, in nuptiis admittuntur pro

testibus, illorumque testimonium eo pluris valet quo proximiores sunt, cum facilius testari possint de contrahentium domicilio, ætate, conditione, parentum consensu, bannorum proclamatione, et aliis quæ ad matrimonium celebrandum attinent.

Quæres 30°. quibus pœnis subjaceant qui testimonium falsum perhibent de contrahentium domicilio, ætate, conditione, &c.

R. in Diœcesi Parisiensi eos ipso facto excommunicationem incurrere Episcopo reservatam. 2°. Gravissimis quoque pœnis eos plectendos esse decernunt Leges civiles ac præsertim Edict. an. 1697. Eædem pœnæ ab eodem Edicto iis infliguntur, qui se minorum parentes, tutores, aut curatores mendaciter declarant, eoque nomine actis matrimonialibus subscribunt.

CAPUT QUINTUM.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

Movetur hæc controversia inter Catholicos, nec ad Protestantes respicit, qui nullum matrimonii Sacramentum admittentes, nullum proinde illius Ministrum agnoscunt. Porro duplex est Thoclogorum sententia. Alia veterum qui fere omnes ante Concil. Trid. asserebant contrahentes non solum contractus matrimonii, sed ipsius Sacramenti esse Ministros, adeo ut alter alteri Sacramentum conferat. Altera sententia est omnium fere recentiorum qui pro Sacramenti Matrimonii Ministro Sacerdotem assignant. Cum iis sit.

PROPOSITIO.

PROPOSITIO.

Solus Sacerdos est Sacramenti Matrimonii Minister.

Prob. 1°. Ille est Sacramenti Matrimonii Minister, cujus benedictio est signum Gratiæ efficax, seu vim habet producendi Gratiam sanctificantem; atqui benedictio quam Sacerdos nubentibus imponit, vim habet producendi Gratiam sanctificantem, seu est signum efficax Gratiæ. Nam S. Ambros. Epist. 19. n. 7. sic loquitur: *Conjugium sacerdotali benedictione sanctificari oportet*, Glossa in Decretum Concil. Later. 4. tit. de Simonia, cap. *cum in Ecclesia*, dicit *per benedictiones nubentium Gratiam conferri.* Concilium Colon. 1. an. 1536. docet in matrimonio, *accedente sacerdotali precatione, conferri donum Spiritus Sancti.*

Ne dicant Adversarii benedictionem Sacerdotis esse matrimonio accidentalem. Quis enim crediderit benedictionem qua Gratia in matrimonio confertur, ritum esse mere accidentalem aut cæremonialem? Præterea responsio hæc infirmat præcipuum argumentum quo ex Traditione Catholici adversus Hæreticos demonstrant matrimonium verum esse Sacramentum. Inde enim potissimum a Catholicis matrimonium esse Sacramentum adversus Hæreticos probatur, quod benedictio illa vim ex se habeat conferendi Gratiam.

Prob. 2°. Ille est Sacramenti Matrimonii Minister, qui Fidelium matrimonia conciliat, seu jungit et connectit; atqui Sacerdos seu Ecclesia Fidelium matrimonia conciliat seu jungit et connectit. Sic enim loquitur Tertull. lib. 2. ad uxorem: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, obsignat benedictio.*

Prob. 3°. Ille est Sacramenti Matrimonii Minister, qui nuptias benedicit ut Dispensator et Minister

ter Sacramenti: atqui Sacerdos benedicit nuptias ut Dispensator et Minister Sacramenti, ut constat ex Pontificalibus et Ritualibus.

Missa sponsalium an. 900. quæ vulgo Gelasii creditur, sic habet versus finem: *Tunc intelligitur Deum conjunxisse, quando virgo per Sacerdotis benedictionem benedicitur, et viro suo traditur, et dicitur: ego auctoritate Dei conjungo vos in matrimonium.*

Concilium Eboracense an. 1466. *Septem sunt Sacramenta, quorum Dispensatores sunt Ecclesiæ Prælati.*

Hermannus Coloniensis Episcopus in Enchiridio dicit *Sacerdotes legitimos esse Sacramenti Matrimonii Ministros.*

Decretum Concilii Cameracensis an. 1567. Parochos vocat pariter ejusdem Sacramenti Ministros, apud Sylvium in Supplemento Summæ S. Thom. q. 42. art. 11.

S. Carolus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte 4. sess. 1. dicit *Parochos quinque Sacramenta, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium et Extremam Unctionem ex officio administrare posse, Confirmationis vero et Ordinis administrationem solius esse Episcopi.*

Idem habet Liber ritualis S. Francisci Salesii, qui de disciplina ecclesiastica tam bene meritus est.

Sacerdotes esse Sacramenti Matrimonii Ministros legitur in sexcentis Ritualibus qui a Giberto laudantur.

Prob. 4°. Ille verus est Sacramenti Matrimonii Minister, qui contrahentes vere in matrimonium conjungit: atqui Sacerdos contrahentes vere in matrimonium conjungit. Concilium enim Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. statuit ut Parochus dicat ministrando matrimonium: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, &c.* His verbis profecto Sacerdos contrahentes in matrimonium conjungit, nisi dicatur illum non facere quod tamen se facere testatur. Sacerdos igitur Matrimonii Sacramentum conficit; hæc enim de contractu non possunt

possunt intelligi, quem procul dubio Sacerdos minime perficit. Ergo Sacerdos verus est Sacramenti Matrimonii Minister.

Confirmatur idem argumentum permultis Conciliis Gallicanus, Rhemensi an. 1583. Rothomagensi an. 1581. Turonensi, Aquensi an. 1585. et innumeris Ritualibus in quibus forma Concil. Trid. in Matrimonii celebratione præscribitur.

Nec respondeant Sacerdotem verba laudata, *ego vos conjungo*, proferre tantum ut testem matrimonii, et significare: declaro vos matrimonio conjunctos. Sacerdos enim istis verbis non minus Ministri Sacramenti Matrimonii personam gerit, quam cum dicit, *ego te baptizo, ego te absolvo.*

Prob. 5°. *multis rationibus theologicis. Prima.* Doctrina antiquior longe recentiori est anteponenda: atqui longe recentior est doctrina quæ contrahentes Sacramenti Matrimonii Ministros asserit, cum nemo Veterum appellari possit qui eam prioribus sæculis propugnaverit. E contra vero plurimi sunt inter Veteres qui benedictionem sacerdotalem ut essentialem et Gratiæ productivam habuerunt, ut constat ex dictis.

Secunda. Ex Decreto Eugen. IV. *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et intentione Ministri*: atqui tamen in sententia Adversariorum Sacramenta non perficiuntur necessario verbis tanquam forma; fatentibus enim omnibus, muti possunt valide contrahere, sufficienterque consensum suum exprimere per signa, et nutus qui non sunt verba.

Tertia. Sacramentum proprie dictum est opus Religionis, cæremoniaque sacra: atqui tamen, sublato Sacerdotum ministerio, nihil in contractu viri et mulieris nisi profanum occurrit, nihil sacrum, nihil quod non sit in matrimonio Paganorum.

Quarta. In sententia Adversariorum vir et mulier administrant Sacramentum; Sacerdos autem rem solum accessoriam et accidentalem, qualem benedictionem putant. Quod absurdum videtur.

Diluuntur

Diluuntur Objectiones.

Obj. 1°. Concilium Neocæsariense ann. 314. can. 7. vetat ne secundæ nuptiæ benedicantur a Sacerdotibus. Idem prohibet Concil. Lateran. 3. imo etiamnum nuptiæ secundæ benedictione carent. Atqui tamen secundæ nuptiæ semper fuerunt Sacramentum. Ergo benedictio sacerdotalis Matrimonii Sacramentum non conficit, nec proinde Sacerdos est illius Sacramenti Minister.

R. 1°. multos opinari a Conciliis Neocæsariensi et Lateran. et a quibusdam Ecclesiis solummodo vetitum esse ne secundis nuptiis impendatur benedictio secundaria et accidentalis, nimirum ea quæ profertur post dictum, *libera nos.* Ratio eorum est, quia cum hæc sit quædam ad mulieris fœcunditatem consecratio, quæ jam facta est in primis nuptiis, non judicatur esse repetenda. At contendunt nullatenus prohibitum fuisse ne in secundis nuptiis impendatur benedictio essentialis qua Matrimonii Sacramentum conficitur, quæque continetur his verbis: *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, ipse vos conjungat, impleatque suam benedictionem, et ego conjungo vos in nomine Patris, &c.* Quidquid sit.

R. 2°. quod si olim ac etiamnum a nonnullis Ecclesiis ex auctoritate prohibitum sit ne secundæ nuptiæ a Sacerdotibus benedicantur, quia Bigami ut pote intemperatæ libidinis suspecti, pœnitentiæ publicæ, quæ a Sacramentis arcebat, subjiciebantur, dicendum est ejusmodi conjungia non habuisse, aut etiam nunc non habere rationem Sacramenti, sicut matrimonia Hæreticorum qui ad Ecclesiam revertuntur, defectu benedictionis sacerdotalis non sunt Sacramenta, sed tantum veri et legitimi contractus.

Obj. 2°. Eugenius IV. in Decreto sic habet: *Septimum est Sacramentum Matrimonii..... causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus.*

Unde

Unde sic. Idem est Minister et causa efficiens matrimonii: atqui contrahentes sunt causa efficiens matrimonii; ergo.

R. dist. Contrahentes, ex Eugenio IV. sunt causa efficiens matrimonii, quatenus est contractus naturalis et civilis, *conc.* quatenus est contractus ecclesiasticus et Sacramentum, *neg.* Nimirum Eugenius Armenos ea voluit edocere tantum quæ apud omnes certa erant, non vero quæ apud Theologos controvertebantur, qualia sunt ea quæ pertinent ad Ministrum Sacramenti Matrimonii. Id constat 1°. quia si voluisset loqui de Ministro Sacramenti Matrimonii dixisset; *Minister Sacramenti*, non vero, *causa efficiens matrimonii.* 2°. Cum de aliis Sacramentis agit, eos sigillatim Ministros indicat. *Primum Sacramentum*, inquit, *est Baptismus, Minister hujus Sacramenti est Sacerdos.* At vero cùm pervenit ad matrimonium, non dicit sicut prius dixerat: *Minister hujus Sacramenti*, sed, *causa efficiens matrimonii:* quod argumento est ipsum noluisse Sacramenti Matrimonii Ministrum indicare, sed tantum causam contractus connubialis efficientem. Eugenii IV. doctrinam Rituale romanum apertis verbis exprimit: *Efficiens causa matrimonii*, inquit, *sunt ipsi contrahentes, in quantum est contractus quidam: at vero, ut est Sacramentum, Minister est causa instrumentalis, sicut in aliis Sacramentis.*

Inst. Eugen. IV. loquitur de Sacramento Matrimonii. *Septimum Sacramentum*, inquit, *est Matrimonium.* Ergo contrahentes sunt in ipsius mente causa efficiens seu Minister ipsius Sacramenti.

R. dist. antecedens. Eugenius loquitur de Sacramento Matrimonii, cum docet matrimonium esse unum e septem Sacramentis, *conc.* cum determinat illius causam efficientem, *neg.* propter rationem modo allatam.

Obj. 3°. Matrimonia clandestina, licet vetita, fuerunt tamen ante Concil. Trid. rata et valida, ut constat ex sess. 24. c. 1. de Reform. ubi legitur *clandestina matrimonia rata et vera fuisse matrimonia,*

quandiu

quandiu Ecclesia ea irrita non fecit. Atqui illa matrimonia sine Sacerdotis ministerio peragebantur. Ergo Sacerdos non est Minister Sacramenti Matrimonii.

R. 1°. *dist. maj.* Rata et valida fuerunt in ratione contractus, *conc.* in ratione Sacramenti, *neg.* Concil. Trid. noluisse definire matrimonia clandestina fuisse vera Sacramenta constat 1°. quia id nullatenus in Actis hujus Concilii legitur. 2°. Ex Palavicino lib. 23. c. 9. ubi testatur nunquam declarasse Concilium matrimonia clandestina fuisse Sacramenta, adeo ut graves Theologi id inficientur. 3°. Ex Melchiore Cano qui tunc Concilio interfuit, quique aperte docet aliam non fuisse Patrum Tridentinorum mentem, et contendit solum Sacerdotem esse hujus Sacramenti Ministrum.

R. 2°. *Nonnulli negant minorem*, nimirum matrimonia clandestina absque Sacerdotis ministerio fuisse celebrata, et contendunt satis fuisse ut matrimonia clandestina forent, quod sine testibus, præsertim vero insciis parentibus, celebrarentur, licet a Sacerdote benedicerentur. Matrimonia autem hoc modo clandestina, olim fuisse in usu ac prohibita multarum Ecclesiarum Statutis ostendere conantur.

Inst. 1°. Concil. Trid. can. 12. generatim definit causas matrimoniales pertinere ad Judices ecclesiasticos : atqui causæ illæ non poterant pertinere ad Judices ecclesiasticos, nisi quia in matrimoniis clandestinis agnoscebatur ratio Sacramenti ; ergo, &c.

R. n. min. Nam Ecclesia judicat de sponsalibus quæ tamen Sacramenti rationem non habent. Præterea matrimonium, ut contractus, est materia Sacramenti Matrimonii ; igitur Ecclesia de illa judicare potest, sicut de aliis Sacramentorum materiis.

Inst. 2°. Idem Concilium can. 11. sess. 24. *Si quis benedictiones et cæremonias, quibus Ecclesia in nuptiis utitur, damnaverit, anathema sit.* Igitur benedictio

benedictio quæ nubentibus impenditur, mera est cæremonia, ex Concil. Trid.

R. dist. Est cæremonia essentialis, *conc.* accidentalis, *neg.* Vox. *cæremonia*, generalis est, ac communis sive essentialibus sive accidentalibus cæremoniis. Sic qui de cæremoniis Missæ disserunt, de consecratione disputant.

Inst. 3°. Idem Concilium sess. 24. cap. 1. de Reform. sit quidem Parochum debere hæc verba pronuntiare, *ego vos conjungo;* sed non statuit matrimonium esse invalidam, si non proferantur; imo subsequentibus verbis non aliam declarat matrimonii nullitatis causam præter Sacerdotis et testium præsentiæ defectum: *Qui aliter*, inquit, *quam præsente Parocho et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos decernit.* Ergo Sacerdotis benedictio non est ad conficiendum Matrimonii Sacramentum essentialis.

R. ex argumento ad summum posse concludi Patres Tridentinos nihil voluisse de matrimonii Ministro definire, quia res est inter Theologos controversa, quod quidem ultro concedimus, quamvis, ut dictum est, in nostram sententiam sint propensiores quam in oppositam.

Inst. 4°. Congregatio Cardinalium præfatum Conc. Trid. Decretum interpretans, teste Fagnano in cap. *Quod nobis*, de clandestinis Sponsal. n. 15. declaravit an. 1580. *non pertinere ad substantiam matrimonii ut Parochus aliqua verba proferat, ideo valere matrimonium, etiamsi verba prolata sint tantum a contrahentibus, dummodo Parochus sit præsens, licet dissentiat.* Ergo, &c.

R. declarationes illas non esse genuinum opus Cardinalium Concil. Trid. Interpretum, nec ullam fidem ipsis esse adhibendam, ut postea monuit alia Congregatio Cardinalium an. 1621. et ipse Urbanus VIII. an. 1631. Lege verba apud Sylvium

in 2. 2. S. Thomæ. q. 100. art. 2. nec profecto tantis auctoritatibus prevalere potest Fagnani testimonium.

Cæterum constat Romæ sententiam nostram *publice defendi*, ut testatur Serrius in Melchioris Cani Vindiciis, cap. 7. opinionem utramque esse probabilem ac disputationi permissam declarat Benedictus XIV. lib. 7. de Synodo Diœces. c. 28. num 9.

Obj. 4°. Sequitur ex nostra sententia Fideles omnes qui sive ante sive post Concil. Trident. sine benedictione sacerdotali matrimonium inierunt, v g. Hæreticos permultos, clandestine nuptos, nec non eos qui coram Notario et duobus testibus, renitente Parocho, matrimonia contraxerunt (vulgo mariages a la gaulmine) Sacramento Matrimonii et ejus effectu caruisse: atqui tamen id non tantum durum videtur, sed etiam Ecclesiæ injuriosum, quæ nec hos nec illos ad consensum coram Parocho renovandum compellit.

R. 1°. Hæreticos, imo Catholicos omnes matrimonia sine Sacerdotis benedictione clandestine contrahentes, sive olim sive nunc, in ipsa sententia eorum qui contendunt matrimonium ab illis sic contractum Sacramenti rationem habuisse, Gratia tamen sacramentali fuisse privatos, imo et novo sacrilegii peccato fuisse inquinatos. Cum enim hæc matrimonia sic clandestine contracta semper prohibita fuerint, isti omnes Sacramentum indigne percipiebant. Verum est quidem in nostra sententia istos cunctos Sacramento fuisse privatos. At id sibi imputare debent, cum nuptias clandestinas, nullo advocato Sacerdote, contra Ecclesiæ Legem ac disciplinam celebraverint.

2°. Non desunt apud nos, qui conjugia clandestine iis in locis inita ubi non viget disciplina Tridentina, coram Parocho vel etiam alio per Episcopum designato renovari curent, ut qui sic contraxerunt, Gratia sacramentali non priventur.

3°. Quantum ad Hæreticos ad Ecclesiæ gremium redeuntes,

redeuntes, jam antea expendimus an matrimonia ab iis inita, præsertim in Galliis, renovari expediat. Vide ea quæ ea de re diximus. Addi potest Ecclesiam generatim nulla Lege Hæreticos ad renovandum coram Parocho consensum obligare, quia inde ii possent suspicari nullum fuisse matrimonium antea contractum, séque libere posse ad alias nuptias convolare.

Obj. 5°. Matrimonia Christianorum sunt indissolubilia: atqui non alia ratione sunt indissolubilia quam quod verum sunt Sacramentum. *Matrimonium* inquit Innoc. III. cap. Quarto, 7. de Divortiis, *inter Fideles verum et ratum existit, quia Sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur.* Ergo quodlibet Christianorum matrimonium, etiam sine benedictione celebratum, Sacramenti rationem habet.

R. neg. min. Matrimonii enim indissolubilitas oritur ex eo quod omnis contractus connubialis natura sua sit indissolubilis, nisi divina auctoritate solvatur. Unde ipsa Infidelium conjugia firma sunt ac insolubilia, nisi in casu quem divina auctoritate excipit Apostolus 1. Cor. 7. Major tamen matrimonio per Baptismum firmitas accedit, eo quod cesset causa propter quam potest inter Infideles dissolvi, si nempe unus ad Fidem convertatur, nec velit alter cum eo pacifice ac sine injuria creatoris habitare. Eo sensu intelligi debet Innoc. III. cum ait matrimonium inter Fideles verum ac ratum esse per Fidei Sacramentum, id est per Baptismum. Solum enim Baptisma, non autem Matrimonium, a Patribus dictum est *Fidei Sacramentum.*

Obj. 6°. Christus Christianorum matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit. Ergo omne matrimonium Christianorum, etiam sine Sacerdotis ministerio initum, Sacramenti rationem habet.

R. 1°. *retorqueo argumentum.* Christus pœnitentiam Christianorum ad Sacramenti dignitatem evexit. Ergo quævis pœnitentia, etiamsi nulla

Sacerdotis

Sacerdotis sit obsolutio, verum est Sacramentum. Quis tamen hanc consequentiam admittet?

R. 2°. *dist.* Christus matrimonium Christianorum ad Sacramenti dignitatem evexit, id est, signum sensibile instituit quo matrimonium sanctificaretur et consecraretur quo nubentibus Gratia sacramentalis impenderetur, *conc.* id est, voluit ut matrimonium Christianorum, etiam nullo ritu, nulla benedictione ecclesiastica accedente, foret Sacramentum, *neg.* Ergo omne matrimonium Chistianorum est Sacramentum, *similiter dist.* Si accedat ritus a Christo institutus, *conc.* aliter, *neg.* Sic pœnitentia fit Sacramentum, quando absolutio sacerdotalis huic adjungitur.

Obj. 7°. Theologi omnes ante Concilium Trid. sententiam nostræ oppositam per quadringentos annos tenuerunt. Nova igitur est opinio quam tuemur, ac primum sæc. 16. a Melchiore Cano inventa; ergo temeraria est ac procul arcenda.

R. 1°. non sufficere ut opinio temeritatis notam incurrat, quod hæc communiter impugnetur; sed oportet ut impugnata fuerit tanquam Fidei opposita, tanquam Scripturis vel Traditioni contraria, non vero ut simplex opinio in scholis permissa. Porro Theologi qui sententiam nostræ oppositam tuiti sunt, hanc suam sententiam defenderunt solummodo ut opinionem suo tempore receptam, nec eam Scripturis aut Traditione comprobarunt, nec nostram ut Fidei, Scripturis aut Traditioni oppositam rejecerunt. Immerito igitur temeritatis nota sententiæ nostræ inuritur.

2°. Verum est quidem sententiam eorum qui contendunt contrahentes Sacramenti Matrimonii esse Ministros, ante Concilium Tridentinum in Galliis receptissimam fuisse ac pro Defensoribus habuisse sex aut octo Theologos qui in eo Regno præsertim floruere. At certum non est in Anglia, Hispania, Germania, aliisve Regionibus eam pariter invaluisse.

3° His Theologis, quorum auctoritas objicitur, opponimus,

opponimus auctoritatem veterum Patrum, qui nobis aperte favent, ut constat ex antea dictis: opponimus Guillelmum Parisiensem qui ante Concilium Tridentinum floruit, quique, cum summa laude Theologiam docuerit, non caruit Discipulis; opponimus Melchiorem Canum, Simonem Vigor Magistrum Parisiensem et Archiepiscopum Narbonensem, Petrum Ledesma. Bannesium, Toletanum, Estium, Sylvium, Maldonatum, illustrissimum Petrum de Marca, Frassenum, Natalem Alexandrum, quibus concinit tota fere Theologorum hodiernorum caterva.

Quæres quis Sacerdos sit Sacramenti Matrimonii Minister?

R. in omnibus locis ubi recepta est disciplina Tridentina, Ministrum illius Sacramenti esse Parochum vel alium Sacerdotem de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, ut constat ex antea dictis.

CAPUT SEXTUM.

De materiam et forma Sacramenti Matrimonii.

HÆC controversia maxime pendet ex præcedenti.

Ex iis qui Sacramenti Matrimonii Ministros conjuges admittunt, alii cum Catharino docent consensum partium signis exterioribus expressum hujus Sacramenti esse materiam, formam vero in istis Christi verbis Matth. 19. *propter hoc relinquet patrem et matrem*, esse positam. Alii putant consensum internum contrahentium esse materiam, verba autem consensum exprimentia esse formam. Alii existimant verba conjugis unius esse materiam, et verba alterius esse formam. Alii opinantur contrahentes ipsos esse materiam, verba autem quibus consensum exprimunt esse formam. Incredibile est, uno verbo, quanta sit eorum varietas in statuendis hujus Sacramenti materia et forma. Communius tamen pro materia mutuam corporum tradi-

tionem assignant, pro forma vero mutuam contrahentium acceptationem signis exterioribus expressam. Cum supponant variæ opiniones istæ Sacramenti Matrimonii Ministros esse conjuges, confutatæ manent ex capite præcedenti, ubi Sacerdotem, non conjuges, esse illius Sacramenti Ministrum ostendimus. Addimus tot diversas in re gravissima opiniones, ad quas Adversarii confugere coguntur ut suum de Ministro placitum tueantur, non leve esse indicium hanc eorum sententiam esse falsam ac rejiciendam.

Qui vero Sacramenti Matrimonii Ministrum Sacerdotem esse volunt, communiter materiam illius in contractu civili seu in legitimo contrahentium consensu reponunt, formam vero in benedictione Sacerdotis. Ab ea tamen opinione devians Leridanus vult materiam esse manus impositionem, formam vero Sacerdotis benedictionem.

PROPOSITIO I.

Materia Sacramenti Matrimonii in contractu partium legitimo, seu in mutuo partium consensu posita est,

Prob. 1°. Illud pro materia alicujus Sacramenti est habendum, quod, forma accedente, fit Sacramentum. Sic aqua est Baptismi materia, quia, accedentibus istis verbis, *ego te baptizo*, spiritualem effectum producit. Atqui contractus partium legitimus seu mutuus partium consensus, accedente Sacerdotis benedictione, fit Sacramentum, determinatur et evehitur ad Sacramenti dignitatem, effectumque spiritualem exerit. Sic in Sacramento Pœnitentiæ materia sunt actus Pœnitentis, qui videlicet informantur per absolutionem Sacerdotis. Ita ratiocinatur S. Thomas in 4. dist. 26. parag. 12.

Prob. 2°. Sacramenti Matrimonii materia vel est contractus partium legitimus, vel manus impositio a Sacerdote facta, ut vult Leridanus: atqui postrema

postrema hæc opinio non debet admitti; tum quia ante Leridanum inaudita est; tum quia, licet manuum impositio in quibusdam Ritualibus recenseatur, omittitur tamen in pluribus aliis, nec proinde pars est illius Sacramenti essentialis.

PROPOSITIO II.

Forma Sacramenti Matrimonii posita est in Sacerdotis benedictione, his verbis expressa: Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, &c. *aut aliis similibus indicativis vel deprecativis.*

Prob. Ille enim ritus est forma Sacramenti, qui primarium illius effectum specialius significat, qui Gratiam producit, quique a legitimo Ministro materiæ applicatur: atqui talis est benedictio quam Sacerdos super nubentes pronuntiat.

1°. Quidem benedictio Sacerdotis primarium Sacramenti Matrimonii effectum, videlicet unionem animarum per Gratiam, specialius significat. Hæc enim verba non significant effectum matrimonii, quatenus est contractus civilis; cum nubentes soli vinculum istud nectere possint. Ergo solum effectum sacramentalem seu animarum unionem significant.

2°. Sacerdotalis benedictio Gratiam producit, ipsumque Sacramentum conficit, ut vidimus in capite præcedenti.

3°. Applicatur a legitimo Ministro, nempe a Sacerdote quem pariter in capite præced. verum Sacramenti Matrimonii Ministrum ostendimus.

Dixi autem, *aut aliis similibus verbis indicativis vel deprecativis;* quia ad valorem Sacramenti, parvi refert an verba sint indicativa, ut inter Latinos; aut deprecativa, ut inter Græcos, sicut jam alibi observavimus.

Dices 1°. *contra* 1. *propositionem.* Si contractus civilis sit materia Sacramenti; ergo prius perfectum est matrimonium in ratione contractus civilis quam in ratione Sacramenti.

R.

R. 1°· *sequelem esse male deductam.* Ordinarie enim contractus civilis non perficitur nisi quando Sacramentum accipitur; tum quia a potestate civili, si sejungatur a Sacramento, irritatur; tum quia contrahentes consensum suum solummodo firmum fieri volunt, cum ab Ecclesia fuerit acceptatus. Sic consensus de fundo vendendo aut emendo non habet suum robur et vim contractus, donec ab alterutro fuerit subsignatus.

2°· Etsi concederetur matrimonium in ratione contractus prius esse perfectum quam in ratione Sacramenti, ut fit inter Infideles et Hæreticos, et fieri potest in locis ubi contractum illum a Sacramento separari permittitur a Legibus, nihil inde consequitur quod proficiat Adversariis, nihilque impedit quominus ille contractus jam antea perfectus, accedente Sacerdotis benedictione, fiat Sacramentum, seu ad Sacramenti dignitatem evehatur, sicut confessio prius facta, si postea adfuerit contritio, et absolutio Sacerdotis accesserit, fit materia Sacramenti Pœnitentiæ sine nova peccatorum declaratione.

Cæterum existimant nonnulli Matrimonii Sacramentum non posse fieri, nisi cum actu et per præsentem consensum initur contractus. Verum aliter sentimus propter rationem mox expositam, et eo quod aliter fiat in Pœnitentiæ Sacramento.

Dices 2°· *contra* 2°· *propositionem.* Quando, juxta morem in Ecclesia receptum, Fideles rehabilitant inter se et secreto matrimonium quod nullum fuit ob impedimentum occultum dirimens, nulla adhibetur benedictio sacerdotalis: atqui tamen tunc validum est Sacramentum, ergo benedictio sacerdotalis non est Sacramenti Matrimonii forma nec pars essentialis.

R. 1°· asserere nonnullos tunc matrimonium nullum esse in ratione Sacramenti.

R. 2°· *dist.* Validum est Sacramentum virtute benedictionis præcedentis, quæ, sublato impedimento, vim suam exerit, *conc.* secus, *neg.* Itaque reviviscit

reviviscit, sublato impedimento, benedictio nuptialis et suum effectum obtinet, quemadmodum confessio prius facta, accedentibus aliis requisitis, effectum sacramentalem producit.

Dices 3°. Multi sunt rituales Libri in quibus forma Sacramenti Matrimonii in verbis, quibus conjuges suum consensum exprimunt, neutiquam vero in benedictione sacerdotali reponitur. Ita Stephanus *Poncer* in Instructione pro Parochis an. 1516. quæ reperitur in Breviario Sacramentorum, in Operibus Gersonis. Ita Statuta Synodi Macloviensis an. 1619. Ita Manuale Laudunense an. 1538. ubi nihil ait Præsbyter conjungens. Ita Statuta synodalia Diœcesis Suessionensis an. 1561. Abstineo ab aliis ritualibus Libris enumerandis quos refert Gibertus. Ergo consensus partium verbis expressus, non benedictio Sacerdotis, Sacramenti Matrimonii formam constituit.

R. in ea quæstione, de qua nihil pronuntiavi Ecclesia, nonnullos quidem rituales Libros nobis adversari. At innumeri alii, quos refert idem Gibertus, nobis aperte favent.

CAPUT SEPTIMUM.

De proprietatibus Matrimonii.

Duo erunt hujus capitis articuli, primus erit de unitate Matrimonii, secundus de illius firmitate seu indissolubilitate.

ARTICULUS I.

De Matrimonii unitate.

Matrimonialis unitas, quæ *monogamia* dicitur, est unius tantum cum una sola conjunctio, et vicissim. Huic opponitur polygamia in eo posita quod vir unus plures simul habeat uxores, vel uxor plures simul habeat maritos, et est polygamia simultanea; vel successive tantum, et est polygamia successiva.

De

De Polygamia simultanea.

Certum est 1°. polygamiam simultaneam unius uxoris cum multis viris cum Lege naturali pugnare et primariis conjugii finibus adversari. Videlicet 1°. prolis generationi, cum experientia notum sit perditas mulieres quæ cum multis viris commiscentur, esse infœcundas; 2°. educationi prolis, cum incertum redderet patrem, qui proinde nullam aut levem prolis curam gereret.

Verum controvertitur utrum polygamia simultanea unius viri cum multis uxoribus sit Jure naturali prohibita.

Calvinus contendit illam sic cum Lege naturali pugnare, ut veteris Testamenti Patriarchas, qui plures simul uxores habuere, violati Juris naturalis asserat.

Theologi vero catholici varias in partes abeunt. Alii, ut Maldonatus, existimant uxorum pluralitatem nec Juri naturali nec matrimonii finibus adversari: unde si Lege evangelica non prohiberetur, etiamnum licita foret, nec proinde Patriarchæ veteres, plures uxores ducendo, peccaverunt. Alii cum S. Thoma contendunt uxorum pluralitatem non quidem pugnare cum primario matrimonii fine, qui est liberorum procreatio, sed cum secundariis conjugii finibus, qui sunt congrua prolis educatio et pax domestica. Unde concludunt polygamiam hanc Lege naturali prohiberi, et proinde Patriarchis necessariam fuisse Dei dispensationem, quæ ipsis divina revelatione innotuerit.

Certum 2°. videtur pluralitatem uxorum simultaneam initio generis humani fuisse Jure divino positivo prohibitam, ac primariæ matrimonii institutioni contrariam.

3°. Certum est eamdem postea, nimirum Patriarcharum temporibus, post diluvium et sub Lege mosaica fuisse, ita Deo volente, licitam.

4°. Certissimum

4°. Certissimum quoque est eam Lege evangelica fuisse prohibitam, meritoque nunc culpandam. Tria hæc posteriora sine multo labore stabilientur. Sed aperiendum est antea quid de prima quæstione sentiamus.

PROPOSITIO I.

Simultanea uxorum pluralitas Legi naturali absolute non adversatur.

Prob. 1°. Quod Legi naturali adversatur ex natura sua malum est, nec potest unquam fieri licitum: atqui talis non est simultanea uxorum pluralitas, cum certo constet Deum illam Patriarchis permisisse in veteri Testamento, ut videbimus in tertia propositione.

Certe non cohærent secum invicem Theologi quos refellimus, cum doceant ex una parte Deum a naturæ præceptis non posse dispensare, et contendant ex altera parte Deum cum Patriarchis circa polygamiam dispensasse, licet illam velint Lege naturali prohibitam.

2°. Illud Legi naturali non repugnat, quod nec primariis nec secundariis matrimonii finibus adversatur: atqui simultanea uxorum pluralitas nec primariis nec secundariis matrimonii finibus adversatur. 1°. Quidem non adversatur primariis matrimonii finibus, scilicet liberorum generationi eorumque congruæ educationi. Unus enim et idem vir ex pluribus mulieribus potest filios suscipere, iisque educandis, recteque instituendis sufficere, sicut Magister cui diversarum familiarum liberi committuntur. 2°. Nec secundariis, videlicet paci et tranquillitati domesticæ. Quamvis enim magnum opus sit aliquando cum uxore una pacem domesticam servare, non ideo conjugium illicitum est ac Juri naturali contrarium, quia hoc vitium est uxoris, non conjugii. Ita pariter, licet difficile sit cum pluribus uxoribus concordiam fovere

fovere, stare tamen potest cum pluribus mulieribus conjugium, si solum Jus naturale spectetur. Confirmatur argumentum ex eo quod una mulier rixosa, litigiosa, morosa, sæpe multo plures discordias excitet quam duæ vel tres quæ sint indolis placidæ et amantes pacis. Aliunde vir ut caput et superior, dissidia inter uxores exorta sua auctoritate et prudentia potest componere.

Idem constat ex S. Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 47. ubi sic loquitur: *Quid criminis est quod de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto viro Jacob? Illo tempore id nulla Lege prohibebatur.* Et lib. de Bono conjugii cap. 7. *plures fœminas uni viro fuisse legimus, neque enim contra naturam nuptiarum est.* Porro si polygamia olim nulla Lege prohibebatur, nec sit contra nuptiarum naturam, igitur Legi naturali non repugnat.

Dixi autem in propositione, *absolute.* Non diffitemur enim uxorum pluralitatem esse monogamia imperfectiorem, minusque Juri naturali consentaneam, cum difficiliorem numerosæ prolis educationem reddat, jurgiis multis locum præbeat, paci domesticæ minus faveat, bonoque societatis communi minus conducat. Hinc in primæva institutione, ac sub Lege evangelica quæ cultum perfectiorem instituit ac communi societatis bono magis consuluit, prohibita est, ut modo videbimus.

Dices 1°. Polygamia pugnat cum matrimonii essentia, quæ posita est in conjunctione unius cum una. Ergo Lege naturali prohibetur.

R. neg. matrimonii essentiam positam esse in conjunctione unius cum una tantum. Hinc enim sequeretur Patriarchas fuisse adulteros, fictaque matrimonia contraxisse: quod dictu nefarium est, cum laudibus a Scriptoribus sacris cumulentur.

Inst. Matrimonium in prima sua institutione fuit conjunctio unius cum una tantum, ut postea dicitur; ergo illud ad essentiam ejus pertinet.

R. n. conseq. Sic licet a primordiis homo fuerit justus et innocens, non inde tamen sequitur justitiam

titiam et sanctitatem ad illius essentiam pertinere. Præterea, cum natura humana esset innocens et integra, Deus matrimonium instituit non solum quoad essentiam, sed etiam quoad meliorem et perfectiorem formam; sed deinceps, malis in diem ingravescentibus, permisit ut Patriarchæ qui solebant in familiis Deum colentibus uxores quærere, recederent a perfectiori forma præsertim si uxor prius assumpta sterilis esset, et illa consentiret.

Dices 2°. Illud Jure naturali vetitum est, quod lædit æquitatem conjugalem: atqui polygamia qua plures uxores vir unus simul habet, lædit æquitatem conjugalem. Æquitas enim conjugalis postulat ut virum se totum tradat fœminæ, sicut fœmina se totam tradit viro. Unde juxta S. Paulum, mulier habet potestatem corporis viri, sicut vir potestatem corporis mulieris.

R. æquitatem conjugalem, spectato Jure naturæ tantum, hoc unum requirere ut maritus se tradat uxori, quantum satis est ad uxoris fœcunditatem. Hoc porro non impedit polygamia bene et sapienter instituta. Equidem si id Lege positiva, vel mutuo partium consensu constitutum sit ut maritus totum se tradat uxori, sicut uxor viro, prout sancitum est Lege christiana, quæ pluralitatem uxorum prohibuit, illud religiose observandum est, quia Leges et pacta justa infringere nefas est. At si spectentur solius naturæ Leges, non requiritur ut vir se totum tradat uxori, sicut uxor viro. Ratio discriminis est, quia mulier quæ pluribus simul viris sese traderet, primarium læderet matrimonii finem qui est liberorum procreatio. Vir autem plures simul ducens uxores, primarium illum finem non offendit, quia potest multiplicem ex diversis uxoribus prolem suscipere.

Ut solvantur nonnullæ aliæ difficultates, sedulo notandum est nos, cum diximus polygamiam simultaneam non esse Jure naturali absolute prohi-

bitam, locutos esse de polygamia sapienter accertis de causis instituta, qualis fuit Patriarcharum ac Judæorum quorumdam polygamia, quæ locum habuit, v. g. cum sterilis erat prior uxor, de consensu prioris illius uxoris, ad significandum aliquod mysterium, et ad propagandam gentem sanctam, ut verbis SS. Patrum utamur. Quantum vero ad istud genus polygamiæ quæ obtinet apud nonnullas gentes, v. g. Turcas, Persas et alias, quæ tota est ex libidine, qua mulieres sine numero in uxores vel concubinas assumuntur, quæ urbes, provincias et imperia depopulatur, innumerosque viros privat mulieribus ad quas naturale Jus habent, certum est illud Juri naturali et divino penitus adversari, in societatis detrimentum vergere, et pugnare cum primario matrimonii fine, nemoque est, nisi sit dissolutus ac perditis moribus, qui viros tot putidis, tot obscœnis sese oontaminantes violati Juris naturalis crimine possit eximere.

PROPOSITIO II.

Pluralitas uxorum simultanea exordio generis humani videtur Jure divino prohibita.

Prob. 1°. ex Genes. 2. v. 24. ubi Deus per os protoparentis sic loquitur : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* 1°. Non ait Scriptura, vir adhærebit uxoribus, sed *uxori suæ* 2°. Conjunctio in una carne polygamiam excludit. 3°. Christus ipse Matth. 19. relatis Geneseos verbis, sic concludit : *itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Quibus verbis sat aperte significavit primam Creatoris voluntatem fuisse ut conjugati essent una caro ; quod certe cum polygamia pugnat.

Prob. 2°. Non legimus in veteri Testamento quemquam ante Abrahamum duas habuisse simul uxores, præter Lamechum, quem propterea redarguunt nonnulli e sanctis Patribus, ut Hieron. Epist. 85. et

85. et 91. Nicolaus I. Epist. ad Lotharium; imo Tertull. Lib. de Monogamia, c. 5. eum reprehendit divinam institutionem violasse: *Vim passa Dei institutio per Lamech.* Atqui tamen si pluralitas uxorum simultanea initio generis humani fuisset a Deo permissa, procul dubio alicubi legeremus in Scripturis quosdam duas simul uxores habuisse. Ergo, &c.

PROPOSITIO III.

Pluralitas uxorum simultanea post diluvium Patriarchis et Judæis sub Lege mosaica fuit licita.

Prob. 1. *pars, nimirum pluralitatem uxorem Patriarchis fuisse licitam.*

1°. Enim Abraham, Jacob, David, et alii passim in Scripturis leguntur plures simul uxores habuisse: atqui tamen non ideo criminis et adulterii redarguuntur a Scriptoribus sacris, sed contra laudantur tanquam electi et viri pietate insignes, ut patet ex Matth. 8. *Recumbent cum Abraham Isaac et Jacob in regno Cœlorum.*

2°. Scriptores sacri cum loquuntur de illis mulieribus quas secundo loco ducebant Patriarchæ, eas vocant uxores, neutiquam vero fornicarias vel adulteras. Sic Lia et Rachel semper Jacob uxores nominantur. Atqui tamen aliter locuti fuissent scriptores sacri, si pluralitas uxorum non fuisset Patriarchis licita, easque mulieres vocassent fornicarias, adulteras.

3°. Communis hæc fuit SS. Patrum sententia. Ita SS. Ambros. Chrysost. Hieronym. Augustin. et alii multi quorum in re evidenti testimonia referre supervacaneum est.

Prob. 2. *pars, nempe Judæis sub Lege mosaica licitum fuisse plures simul uxores habere.* Nam 1°. Deuter. cap. 21. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam.....et fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam suam inter*

inter filios dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum et præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ faciet primogenitum. Ibi expressis verbis sermo fit de viro duas uxores habente. Atqui tamen nullum improbationis signum ibi comparet. Ergo licitum fuit Judæis, &c.

2°. Constat ex veteri Testamento plures viros pietate insignes multas olim, apud Judæos, simul uxores habuisse. Sic 1. Reg. 1. *Elcana habuit duas uxores*, Annam et Phenennam. David 2. Reg. 2. 2. duas etiam habuisse dicitur, *Achinoam et Abigail.* Legitur 2. Paralip. 24. 2. duas Joæ uxores a Joiada fuisse datas.

Diximus autem in secunda propositionis parte *Judæis* licitam fuisse pluralitatem uxorum simultaneam, quia nullibi legitur hanc facultatem ad hunc vel illum fuisse restrictam. Imo, inquit merito Colletus, nec ad quosdam sine gravi aliorum scandalo et suspicione potuisset restringi.

Dices 1°. Gen. 25. Mulieres quas habuit Abraham præter Saram, appellantur concubinæ : *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera.* Ergo mulieres istæ non erant veræ mulieres, nec proinde licita fuit Patriarchis uxorum pluralitas.

R. concubinæ nomen, quod ex usu recepto mulierem inhonestam sonat, apud veteres Judæos significasse veram sed secundi ordinis conjugem, sine solemnitate, sine dote, sed sobolis procreandæ causa assumptam, quæ primariæ uxoris esset Ancilla, cujusque soboles ad hæreditatem paternam non vocabatur, si primaria conjux liberis donaretur, prout Saræ jam vetulæ contigit. Rem ita esse constat, 1°. quia Agar, Cethura, Bala et Zelpha modo uxores modo concubinæ vocantur Genes. 16. 25. 30. 35. 2°. 2. Reg. Davidis mulieres modo uxores modo concubinæ appellantur.

Concubinæ vox eodem sensu etiam primis Legis evangelicæ temporibus aliquando acceptà est, v. g. a Concil. Toletano 1°. Verumtamen deinceps penitus

tus obsolevit, adeo ut Ambrosii et Augustini tempore non nisi ad meretricem significandam usurparetur.

Inst. S. Leo Epist. 1. ad Rusticum, docet concubinam non esse uxorem, et in probationem affert exemplum Saræ et Agar. Ergo, &c.

R. S. Leonem hoc unum dicere Agar fuisse Ancillam Abrahæ, nec negare eam fuisse uxorem. Cæterum nonnulli S. Leonem deserunt.

Dices 2°. Joan. 8. Judæi ut significent se descendere ex Sara legitima uxore, non autem ex Agar, sic loquuntur: *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Ergo Agar non fuit legitima uxor.

R. 1°. cum Interpretibus hunc locum non intelligi de Agar, sed de fornicatione spirituali seu de idololatria, quæ multoties in Scripturis dicitur fornicatio, quasi dicerent Judæi: nos non descendimus ex Idololatris, sed ex Patriarchis verum Deum colentibus. Id patet 1°. quia alioquin Judæi veluti fornicatorem inhonorassent Abraham, quem tamen ibidem patrem appellant. 2°. Quia statim addunt: *Unum patrem habemus Deum.* Quænam enim esset ista consecutio, *nos ex Abrahæ concubina orti non sumus, sed unum patrem habemus Deum.* Legitima vero est ista connexio, *non sumus orti ex Idololatris, sed ex Patriarchis unum Deum colentibus.*

2°. Si hæc verba de fornicatione carnali cum Euthymio intellexeris, inde solum sequitur quosdam Judæos putasse Agar fuisse concubinam. At de quorumdam Judæorum opinione parum laboramus.

Inst. S. Ambros. lib. 1. de Abraham, c. 4. ex eo defendit hunc sanctum Patriarcham, qui, vivente Sara, Agar assumpserat, 1°. quod *adulterium tunc temporis nondum Lege prohibitum fuisset.* 2°. Quod de *consensu uxoris et amore posteritatis, non amore libidinis, id fecerit.*

R. ad S. Ambrosium. S. Doctor per adulterium hic intelligit polygamiam, quæ tempore S. Ambrosii, sicut nostris temporibus, verum erat adulterium.

Igitur Abrahamum excusat eo quod polygamia quæ ætate S. Doctoris adulterium erat et vocabatur, tempore sancti Patriarchæ non esset Lege prohibita. Non igitur existimavit illicitam fuisse Abrahami polygamiam. Adulterium autem hic accipi pro polygamia constat 1°. ex eo quod nisi res sic intelligatur, dicendum foret S. Doctorem ignorasse adulterium tempore Abrahami fuisse prohibitum aliqua Lege: quod incredibile est. 2°. Quia S. Doctor conjugium Abrahami cum Agar appellat *mysterium, non peccatum.* Si enim conjugium hoc illicitum ac verum adulterium existimasset, illud procul dubio dixisset peccatum, non mysterium.

Dices 2°. 3. Reg. cap. 11. Uxorum pluralitas in culpam versa est Salomoni. Ergo non fuit Judæis licita.

R. dist. In crimen Solomoni versa est pluralitas alienigenarum, *conc.* uxorum per se pluralitas, *subdist.* Pluralitas ad scandalum multiplicata, *conc.* secus, *neg.* Gravi nimirum reprehensione dignus fuit Solomon, quod licet tot beneficiis a Deo cumulatus jam senex adamaverit mulieres alienigenas multas, et fuerint ei uxores quasi Reginæ 700. et Concubinæ 300. quod si intra patris limites stetisset, non inde magis quam ille vituperio obnoxius fuisset.

Quæres 1°. unde fieri potuit ut Patriarchæ et Judæi licite et sine culpa plures uxores haberent, cum pluralitas uxorum primævæ institutioni esset contraria, primisque hominibus jure divino prohibita?

R. per divinam dispensationem aut Legis abrogationem ad tempus, pluralitatem hanc uxorum fuisse Patriarchis et Judæis permissam. Cum enim non sit Legi naturali contraria, fieri potuit ut certis temporibus expediret, non vero aliis temporibus, adeoque Deus potuit illam permittere certis temporibus, aliis vero temporibus prohibere. Dispensationem autem a Deo Veteribus fuisse concessam constat 1°. ex omnibus Scripturis et SS. Patrum testimoniis, quibus antea probatum est consuetudinem

consuetudinem Patriarcharum ducendi plures uxores fuisse *inculpabilem;* nisi enim Deus super Legem primitivam, qua prohibita fuerat uxorum pluralitas, cum eis dispensasset, culpabilis fuisset eorum agendiratio. 2°. Ex istis expressis S. Chrysostomi verbis Hom. 56. in Gen. *Tunc quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus conjungi, ut humanum genus propagaretur.*

Quæres 2°. an et quo in loco Scripturarum legatur hæc dispensatio, vel Legis primitivæ ad tempus abrogatio?

R. 1°. Quamvis non legeretur in Scripturis, satis constaret illam a Deo fuisse concessam; sive ex Traditione sive ex agendiratione Patriarcharum qui laudantur a Scriptoribus sacris, nedum reprehendantur.

Respondent 2°. *nonnulli* vestigium hujus dispensationis colligi posse ex cap. 21. Genes. ubi Dominus de ejiciendis Ismaele et Agar matre ejus sermonem dixit ad Abraham: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Probabile enim est Abrahamum eadem verba a Deo audivisse, cum Genes. 16. Sara ei dixit: *Ingredere ad Ancillam meam Agar, si forte ex illa suscipiam filios.....et dedit eam viro suo uxorem.*

Quæres 3°. an necesse fuerit singulis Patriarchis, cæterisque Veteribus singularem fieri revelationem?

R. negative, sufficiens quippe fuit semel Abrahæ aut alteri Patriarchæ sanctitate eximio facta revelatio, cujus subinde exemplo cæteri idem sibi licitum esse intellexerunt.

Quæres 4°. cur Deus id temporum lapsu permiserit quod ab initio non concesserat?

R. 1°. hujus rei forte magis appositam esse rationem qua dicitur ita rem fuisse, quia Deus voluit, cujus viæ sunt investigabiles et inscrutabilia judicia.

2°. Dici potest monogamiam propter inditam hominibus a Deo fœcunditatem et longævam eorum

rum vitam suffecisse ante diluvium ad generis humani ac præsertim populi Dei propagationem, non vero post diluvium, eo quod abbreviati essent hominum dies et inducta sterilitas.

Quæres 5°. quo primum tempore permissa fuerit mulierum pluralitas?

R. post diluvium. Solus enim Lamech ante diluvium duas uxores habuise legitur, quod a SS. Patribus communi assensu tanquam illicitum reprehenditur.

Quæres 6°. an solis Judæis, non autem ipsis Gentilibus, licita fuerit uxorum pluralitas?

R. duplicem esse ea de re Theologorum sententiam. Probabilior videtur sententia eorum qui affirmant polygamiam Gentilibus quoque fuisse permissam, 1°. quia Esau, qui ad populum Dei non pertinebat, legitur in Scripturis plures uxores duxisse, nec tamen ideo reprehenditur. 2°. Quia Esther pia virgo nusquam passa fuisset se Assuero Regi infideli jam habenti uxorem in matrimonium conjungi; nec Mardochæus vir timens Deum hujus conjugii auctor fuisset, nisi certum fuisset Infidelibus tunc licitam fuisse uxorum pluralitatem.

Nec dicas pluralitatem uxorum nunc in Infidelibus Ecclesiam improbare, cum irritet ejusmodi matrimonia, si ad Fidem convertantur. Nam Christus, ut postea ostendemus, Polygamiam apud omnes Populos revocavit.

PROPOSITIO IV.

Christus, revocato ad primævam institutionem Matrimonio, Polygamiam simultaneam abrogavit.

Hæc propositio militat adversus Lutherum qui cum Melanctone et aliis sociis in famosa Consultatione, quæ æternum erit Pfeudo-reformatorum dedecus, data in favorem Philippi Landgravi Hessiæ, definivit pluralitatem uxorum Evangelio non esse prohibitam

prohibitam. Huic doctrinæ adhæserunt Anabaptistæ. Sed nunc aliter sentire videntur Lutherani.

Prob. propositio 1°. Luc. 16. v. 18. *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur.* Porro si mœchatur qui, priori uxore dimissa, ducit alteram, a fortiori mœchatur qui aliam ducit, priore retenta.

2°. Matth. 19. Christus sic responndet Judæis interrogantibus an liceret homini dimittere uxorem suam: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? Et dixit, propter hoc dimittet patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Unde sic: tale vult Christus matrimonium inter suosesse, quale ab initio fuit a Deo institutum, *non legistis quia qui fecit hominem ab initio*, &c. Atqui ab initio, unius cum una matrimonium fœderatum est, et non fuit caro una nisi duorum. Iisdem ergo limitibus matrimonium in nova Lege coercetur.

3°. Ex Apostolo, qui quoties de matrimonio loquitur, semper du uxore sermonem facit in singulari numero et illam unicam supponit, 1. Cor. 7. *Unusquisque uxorem suam habeat.....alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi.*

Insuper Rom. 7. 3. *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum altero viro.* Atqui ex eodem Apostolo 1. Cor. 7. pares sunt conjuges in jure ad usum in matrimonii. Sicut igitur mulier sine adulterio non potest fieri uxor alterius viri, ita nec vir potest fieri alterius uxoris maritus.

4°. Ex SS. Patribus. S. Ambrosius lib. 1. de Abraham c. 7. *Non licet tibi, uxore vivente, aliam ducere.* Ita Hieronymus et alii Patres.

5°. Ex praxi apud Christianos sic constanter observata ut nullus in contrarium Canon, nulla cujusvis Ecclesiæ disciplina, nullum sive Regum sive aliorum exemplum appellari possint.

6°. Ex Concil. Trid. sess. 24. de Matrimonio

can.

can. 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla Lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Diligenter autem notandum est hanc Christi Legem esse universalem et indefinitam; cum Christus, qui in omnes prorsus homines potestatem habet, generaliter ac indefinite dixerit, *quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur.* Infideles proinde ea Lege tenentur, nec immerito exigit Ecclesia, ut post conversionem ad Fidem eam unicam retineant uxorem quacum primum conjuncti sunt. Si tamen Legem evangelicam invincibiliter ignorent, proper hanc ignorantiam a pluribus excusantur ab adulterio.

Dices 1°. Scribit Socrates lib. 4. Hist. c. 31. Valentinianum Imperatorem christianum duas uxores duxisse, et hanc propterea Legem tulisse, *ut cuilibet volenti liceret duas uxores habere legitimas.* Ergo, &c.

R. 1°. eam Legem, si fuerit a Valentimano lata, contrariam fuisse Legi divinæ, a nemine probandam.

R. 2°. Socratem qui solus de præfato conjugio et laudata Lege loquitur, in eo non secus ac in aliis multis errasse, uti multis argumentis demonstrant Eruditi. Sufficiat annotare nec Sozomenum, nec Theodoretum, nec Zozimum, nec Ammianum Marcellinum, nec alios Historicos Valentiniano suppares de illa Lege sermonem facere, nec adversus eam reclamasse Hieronymum, Augustinum, aut quosvis alios Patres. Unde manifeste patet illam esse fictitiam, sicut conjugium de quo mentio fit in objectione. Confirmatur eo quod Scriptores pagani, præsertim Ammianus, lib. 3. Valentinianum celebraverit quod *omni pudicitiæ cultu domi castus et foris esset*

Dices 2°. Gregorius II. Epist. 14. ad Bonifacium secundam uxorem permittit cuidam, propter prioris uxoris ægritudinem.

R. 1°. responsum pluribus videri supposititium. 2°. Multi asserunt cum Estio illud rejiciendum esse tanquam

tanquam Canonibus et Legi evangelicæ contrarium. 3°. Quidam respondent et quidem merito, in casu de quo agebatur prius matrimonium nullum fuisse propter impotentiam perpetuam qua laborabat illa molier. Unde permittit summus Pontifex ut maritus ab illa discedet, providendo tamen de necessariis sustentationem vitæ.

De Polygamia successiva.

Secundus nuptias damnaverunt ac pro fornicationibus habuerunt Montanistæ atque Novatiani, contra quos sit.

PROPOSITIO.

Polygamia successiva tam mulieri quam viro licita est sub Lege evangelica.

Prob. 1°. *ex Scripturis*, 1. Cor. 7. 39. *Mulier alligata est Legi* matrimonii, *quanto tempore vir ejus vivit quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat, sed tantum in Domino.* Idem habetur ibid. v. 8. Rom. 7. et 1. ad Timoth. 5.

Prob. 2°. Ea polygamia licita est, quæ nulli Legi adversatur: atqui polygamia successiva nulli Legi adversatur. 1°. Non Legi naturali. Nihil enim in secundis nuptiis occurrit, quod fini et naturæ matrimonii repugnet. Finis quippe matrimonii est mutuum conjugum levamen, filiorum procreatio, remedium contra concupiscentium. Hæc autem omnia non minus in secundis quam in primis nuptiis haberi possunt. 2°. Non Legi divinæ sive veteri sive novæ. Non veteri, cum Lex vetus seu mosaica præcipiat ut Judeus quivis seu virgo sit, seu viduus, viduam fratris sui sine libero defuncti in uxorem ducat. Non Legi novæ seu christianæ, quæ potius illam expresse permittit, ut modo dictum est. 3°. Non Legi ecclesiasticæ saltem generaliter receptæ, cum Ecclesiæ secundas nuptias pesuos Ministros celebret, et cum doctrinam secundas

das nuptias rejicientem tanquam evangelico Dogmati contrariam in Montanistis et Novatianis damnaverit, ut videre est in Actis Concilii Nicæni can. 8.

Prob. 3°. *ex SS. Patribus.* S. Ambrosius Lib. de Viduis, c. 11. *Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas : non enim expedit quidquid licet.* SS. Hieronymus, Clemens Alexand. Basil. Chrysost. Augustin. et alii.

Dices 1°. Concilium Neocæsariense an. 314. can. 3. instar aliorum multorum Conciliorum Bigamos subjicit pœnitentiæ: et can. 7. prohibet nec Præsbyteri nuptiali Bigamorum convivio præsentes adsint. Ergo secundæ nuptiæ sunt per se malæ aut Juri divino oppositæ.

R. 1°. *neg. conseq.* Sæpe enim pœnitentiæ subjecta sunt, quæ minus perfecta videbantur Ecclesiæ, licet non sint intrinsece mala, nec Legi divinæ opposita. Sic vir qui uxorem suam adulteram, licet pœnitentem, antequam illa pœnitentiam absolvisset, cognoscebat, duobus pœnitentiæ annis addicebatur, ex can. Pœnitentiali 49. neque tamen vir ille contra Legem divinam peccabat. Sic insuper homicidium involuntarium et fortuitum pœnitentiæ publicæ subjiciebatur, ex Concilio Eliberitano can. 5. Ancyrano can. 22. eo quod ejusmodi homicidium, quamvis in se culpa careret, tamen mali speciem præferret.

R. 2°. *dist.* Concilium Neocæsariense Bigamos pœnitentiæ addicit, eo quod Bigami et potissimum Trigami præferrent gravem incontinentiæ suspicionem et aliqualem contemptum Ecclesiæ quæ Christianos a bigamia vel trigamia tanquam a re valide imperfecta avertebat, *conc.* eo quod bigamia sit per se mala vel Legi divinæ contraria, *neg.* Igitur Patres Neocæsarienses non secundas nuptias in se damnarunt, sed motivum plerumque libidinosum eorum qui ad secundas vel tertias nuptias convolant, præfatis Canonibus improbarunt ac pœnitentiæ expiandum judicarunt. His addo Canones qui Bigamos pœnitentiæ publicæ subjecerunt, non esse

ab

ab Ecclesia universali sancitos, et ex iis nonnullos de polygamia simultanea esse intelligendos.

Dices 2°. S. Basilius Epist. ad Amphilochium can. 4. sic habet: *Canones trigamiam non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potius moderatam fornicationem.*

Athenagoras p. 37. secundas nuptias vocat *decorum adulterium.* Ergo, &c.

R. dist. Et sic loquuntur illi Patres per hyperbolem et sensu improprio, *conc.* sensu proprio ac sine exaggeratione, *neg.* Itaque cum secundæ ac multo magis tertiæ et ulteriores nuptiæ plerumque sint libidinis indicia, et animum redoleant intemperantem, ideo nonnulli Patres ut ab illis deterreant, improprie et per hyperbolem Oratoribus solitam, eas veluti fornicationes et adulterii speciem exhibent. Verum non ideo eas velut in se malas aut Juri divino contrarias habent. Hunc esse S. Basilii et aliorum Patrum sensum ostenditur 1°. quia easdem nuptias non absolute fornicationem et adulterium vocant, sed *fornicationem castigatam et adulterium palliatum.* 2°. Quia nullibi S. Basilius aut alii Patres Bigamos aut Trigamos a se invicem separandos esse docent, sed eos pœnitentia congrua expiatos ad sacram Communionem admittunt: atqui tamen si secundas aut tertias nuptias veram fornicationem aut verum adulterium putassent, ante omnia Bigamorum separationem exegissent.

Inst. S. Basilius ibidem asserit tertium maritum similem esse sexto viro quem habebat Samaritana, de qua mentio fit in Evangelio: atqui sextus ille vir non erat maritus, sed adulter; ergo, &c.

R. dist. S. Basilius asserit tertium maritum similem esse sexto viro quem habebat Samaritana, ratione pravi affectus et libidinis quæ plerumque ad secundas nuptias impellit, *conc.* quantum ad nuptias in se sumptas, *neg.*

Dices 3°. Origenes Homil. 17. in Lucam ait secundas nuptias excludere a Regno Dei. Ergo, &c.

R. dist. Excludunt a Regno Dei, et per Regnum

Dei intelligit gradum sublimiorem Virginibus et Monogamis destinatum, *conc.* et intelligit ipsam Dei visionem intuitivam, *neg.* Ibidem enim subjicit, *non quod Bigamus mittatur in incendium æternum.* Similiter quando ait Bigamos aut Trigamos non esse de Ecclesia, intelligit eos non esse de portione Ecclesiæ illustriore, non vero eos nullatenus esse de Ecclesia.

Dices 4°. S. Chrysostomus Homil. 32. Operis imperfecti, ait: *Apostoli quidem præceperunt adire secundas nuptias propter incontinentiam hominum: nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est, secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est. Sed dum, permittente Deo, publice et libenter committitur, fit honesta fornicatio.*

R. 1°. hoc Opus non a vero Chrysostomo, sed ab aliquo Hæretico fuisse exaratum, ut convenit inter Eruditos.

2°. In ipso textu objecto suum errorem ac stoliditatem ostendit illius Operis Auctor, cum sine stoliditate non possit asseri veram fornicationem, Deo permittente, licitam ac honestam fieri.

Dices 5°. S. Gregorius Nazianzenus orat. 31. de Matrimonio sic loquitur: *Primum Lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas: qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est.* Ergo saltem tertiæ et ulteriores nuptiæ sunt in se malæ aut Juri divino contrariæ.

R. S. Gregorium ibi per hyperbolem Oratoribus consuetam locutum esse, et tertias et ulteriores nuptias reprobare tantum ratione causæ, motivi, et pravi affectus, quæ solent impellere eos qui ejusmodi nuptias contrahunt, non autem ratione sui et quoad substantiam. Responsio patet ex eo quod secundas nuptias *ex venia et indulgentia permissas* affirmet.

Dices 6°. S. Hieronymus lib. 3. contra Jovinianum mulierem secundo aut tertio marito conjunctam vocat *prostitutam.* Ergo, &c.

R. dist. Vocat *prostitutam* per hyperbolem et sensu

sensu improprio ac latiori, nimirum nomen prostitutæ eo loci accipiendo pro ea quæ minus quidem verecunde, sed tamen legitime plures successive maritos habet. *conc.* secus, *neg.* Optimus est sui ipsius interpres ipse divus Hieronymus in Epistola ad Pammachium ubi sic ait: *Non damnavi digamiam, imo nec trigamiam, etiamnunc libera voce proclamo. ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo secundo marito nubere.....habeat, cui libeat, octavum maritum, et desinat esse prostituta.* Ergo sensu proprio prostituta non est, quæ secundas aut ulteriores successive nuptias contrahit.

Inst. Idem S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum cap. 8. ait Bigamos Christi corporis Communione esse indignos. Ergo, &c.

R. dist. esse indignos, id est, minus dignos, *conc.* aliter, *neg.* Vel esse indignos ratione affectus libidinosi, qui solet ad repetitas nuptias impellere, *conc.* eo quod repetitæ nuptiæ sint malæ in se vel Juri divino contrariæ, *neg.*

Dices 7°. Secundæ nuptiæ omni benedictione sacerdotali olim privatæ sunt in multis Ecclesiis, et etiamnum privantur. Ergo, &c.

R. 1°. *neg. antecedens.* Duplex enim benedictio in nuptiis distingui debet, una accidentalis, alia essentialis et quæ facit Sacramentum. Etsi in multis Ecclesiis priori benedictione privati sint ac etiamnum priventur Bigami, non tamen privantur posteriori. Vide ea quæ diximus ea de re, ubi de Ministro Matrimonii.

R. 2. *neg. conseq.* Etsi enim secundæ nuptiæ benedictione nuptiali olim privatæ essent, non inde sequeretur illas fore malas in se vel Legi divinæ contrarias, sed tantum in quibusdam Ecclesiis illas fuisse contractus mere civiles, ut contendit illustrissimus de Marca.

ARTICULUS II.

De Matrimonii firmitate et indissolubilitate.

Dissolutio matrimonii duplex distinguitur, *quoad vinculum* seu fœdus, qua conjuges priori libertati restituuntur ut alias possint inire nuptias: *quoad thorum et habitationem*, qua conjuges fiunt immunes ab obligationibus reddendi debiti et simul habitandi.

Insuper triplex distinguitur matrimonium, legitimum, ratum et consummatum. Matrimonium legitimum est illud quod initur juxta Leges a personis nullo impedimento ligatis. Matrimonium ratum illud est quod contrahitur a Christianis, quodque ex Baptismo majorem firmitatem assequitur, cessante nimirum infidelitate, quæ, ex infra dicendis, certis in casibus solvit Matrimonium. Matrimonium consummatum est illud quod ipso usu perfectum est.

His prælibatis, multa in præsenti articulo veniunt expendenda. 1°. An matrimonium aliquam firmitatem seu indissolubilitatem habeat, et a quo jure illam habeat. 2°. An dissolvi possint Infidelium matrimonia. 3°. An matrimonia Judæorum per libellum repudii solverentur. 4°. An matrimonia Christianorum solvantur per adulterium. 5°. An per professionem religiosam dirimantur. 6°. An aliquando solvi queant dispensatione pontificia. 7°. An et quibus de causis quoad thorum et habitationem dissolvi possint.

§. 1. *An Matrimonium habeat aliquam firmitatem seu indissolubilitatem, et a quo jure illam habeat?*

Certum est firmissimum esse, imo indissolubile matrimonii vinculum, et quidem Jure divino secundum hæc verba Christi apud Matth. 19. sic de Matrimonio loquentis: *quod Deus conjunxit, homo non*

non separet. Idem constat ex verbis Apostoli. 1. Cor. 4. *His qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.*

Ex iis patet matrimonii indissolubilitatem solo Jure ecclesiastico non fundari, ut placet quibusdam. Utrum autem hæc indissolubilitas solo Jure divino fundetur, utrum vero præterea ex Jure naturali repetenda sit, acrius disputatur inter Theologos, quorum alii affirmant, alii negant. Rectius nobis sentire videntur sententiæ negantis Defensores. Unde sit cum illis.

PROPOSITIO.

Matrimonium ex Jure naturali non videtur indissolubile.

Prob. Certum est, Deo ita volente, matrimonia Infidelium etiamnum certis de causis posse dirimi, Judæorumque matrimonia olim per libellum repudii fuisse dissoluta. Id constat ex infra dicendis et ipso Adversariorum consensu. Atqui nequidem, Deo ita statuente, ea dissolvi possunt quæ Jure naturali sunt indissolubilia; cum nec ipse Deus naturæ præceptorum sive primariorum sive etiam secundariorum violationem permittere possit.

Notandum est tamen matrimonii indissolubilitatem, quamvis illa non sit naturæ Legibus imperata, iisdem tamen Legibus esse valde consentaneam; quia licet absolute non necessaria sit ad primarios fines assequendos, nimirum ad prolem habendam et ad debitam illius institutionem, tamen multum conducit ad illos fines obtinendos, multumque aliunde ad vitæ et animorum unionem.

Jus itaque naturæ non debet semper sumi pro eo omni quod bonum est, honestum, rationi consentaneum ac magis expedit, sed pro eo tantum quod est ab ipsa natura institutum vel imperatum.

Sic, v. g. ut in ipsa conjugii materia seligamus exemplum, bonum est, honestum, rationi consentaneum in secundo vel tertio gradu non connubere, ideoque conjugia inter illos Legibus humanis vetita sunt; sed non ideo ejusmodi connubia Juri naturali adversantur.

Dices 1°. Natura matrimonii individuam seu indissolubilem vitæ societatem postulat, ut constat ex ubique recepta ejus definitione. Ergo, &c.

R. dist. Matrimonium, ut nunc est, posita Dei ordinatione, individuam seu indissolubilem vitæ societatem exigit, *conc.* matrimonium per se, essentialiter, in omni statu possibili, postulat individuam vitæ societatem, *neg.*

Dices 2°. Matrimonii indissolubilitas necessaria est sive ad generationem sive ad educationem prolis. Ergo sine illa primarii fines matrimonii non possunt obtineri. Hæc proinde Jure naturali præscribitur.

R. neg. ant. Quamvis enim matrimonii indissolubilitas ad prolis generationem et educationem, quæ sunt primarii fines, multum conducat, non sic tamen ad illos fines assequendos necessaria est ut ii fines sine illis obtineri non possint; alioquin olim læsisset Deus Jus naturale, dum matrimonia Judæorum dissolvi permisit, nuncque Jus idem læderet, cum non-raro pueros lactantes orbet utroque parente.

Dices 3°. Si matrimonium non sit ex natura indissolubile, igitur non differt a concubitu vago. Atqui illud dici nequit.

R. n. maj. Aliud enim est conjugium quotidie dissolvi, aliud dissolvi non posse nisi per mortem. Primum horret natura, quia præcipuis matrimonii finibus adversatur. Posterius permitti potest a natura, siquidem permissum est a Deo sub Lege mosaica.

Dices 4°. Contrahentes sese in conjuges assumendo promittunt individuam ac perpetuam vitæ societatem. Atqui ex Jure naturali standum est promissis. Ergo, &c.

R.

R. ex eo argumento sequi tantum matrimonium esse indissolubile, posita societatis perpetuæ promissione. At Jus naturale non vetat matrimonium fieri ad tempus tantum, v. g. donec proles habeatur, et satis sit instituta.

Dices 5°. Matrimonium accepit in primæva sua institutione indissolubilitatem, eamque protoparens agnovit. Ergo ex Jure naturæ indissolubile est.

R. neg. conseq. Deus enim in principio matrimonium indissolubile voluit, non quod aliter fieri non posset, sed quia id melius erat. Unde postea Judæis divortium concessit *ad duritiam cordis* tantum.

§. 2. *De firmitate Matrimonii apud Infideles: an dissolvi possint eorum Conjugia?*

Certum est 1°. matrimonium ad Infidelibus, id est, non baptizatis initum, tametsi Sacramentum non sit, validum tamen et legitimum esse in ratitione contractus, modo Infideles isti secundum Leges patrias contrahant, nec ullo impedimento Juris naturalis aut civilis subjaceant. Id constat sive ex antea dictis, sive ex istis Apostoli verbis 1. Cor. 7. *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ibi enim supponit D. Paulus uxorem infidelem a viro infideli, sed postea converso, ductam, conjugem fuisse legitimam, alioquin licitum non foret commorari cum illa.

Certum est 2°. matrimonium inter baptizatos contractum non dissolvi per alterutrius aut etiam utriusque conjugis hæresim vel apostasiam. Nullo quippe Jure dirimitur, imo constabit ex dicendis matrimonium illud, si consummatum fuerit, sola morte dirimi.

Certum est 3°. matrimonii vinculum inter Infideles contracti eon dissolvi per conversionem utriusque conjugis ad Fidem. Nam *per Baptizmum*

non

non solvuntur conjugia, sed dimittuntur crimina, inquit Innoc. III. cap. *Gaudemus*. Verum si plures ab eodem viro ductæ fuerint uxores, ea sola servanda erit quæ primo ducta fuit.

Itaque difficultas est tantum de conjugii vinculo inter Infideles contracti, ubi alter ad Fidem convertitur, altero perseverante in infidelitate: circa quam difficultatem plures quæstiones moventur, pro diversis casibus.

Quæres 1°. an ubi alter Infidelium convertitur, alter vero in infidelitate perseverat, teneatur Conversus habitare cum Infideli qui renuit quidem converti, sed consentit habitare pacifice et sine contumelia Creatoris; an vero matrimonium istud ipso facto per solam conversionem alterius dissolvatur?

R. divisos esse in hac parte Theologos. 1°. Alii cum Bellarmino existimant in prædicto casu dissolvi ipso facto matrimonii vinculum, nec consequenter teneri Conversum habitare cum Infideli. 2°. Alii priora Ecclesiæ tempora distinguunt a posterioribus, et contendunt, primis sæculis, non quidem præcepto divino, sed humano Apost. 1. Cor. 7. 12. fuisse prohibitum ne conjux infidelis consentiens habitere pacifice cum Converso dimitteretur, quia tunc non expediebat, repudiumque in eo casu in christianæ Religionis odium et infirmorum offensionem conversum fuisset. Subsequentibus vero temporibus, inquiunt, ubi mala et incommoda graviora erant metuenda ex cohabitatione conjugis fidelis cum infideli quam ex eorum separatione, cessavit obligatio præcepti apostolici, quia humanum erat, et pro diversis temporibus aut circumstantiis mutabile. 3°. Denique alii cum Estio existimant in proposito casu matrimonium minime dissolvi, ideoque Conversum teneri habitare cum Infideli non converso, sed consentiente habitare pacifice et sine contumelia Creatoris.

Tertiæ huic sententiæ adhæremus. 1°. Propter hæc Apostoli verba 1. Cor. 7. 12. *Cæteris ego dico, non*

non Dominus, si quis habet uxorem infidelum, et hæc consentit habitare cum illo, non demittat illam..... sanctificata est enim mulier infidelis per virum fidelem. Profecto si dimittenda non sit uxor consentiens pacifice cum viro converso habitare, igitur ipso facto per conversionem unius non dissolvitur inter eos matrimonium. 2°. Propter auctoritatem Innoc. III. loco supra laudato, ubi post Concilium Meldense sic statuit: *Per Baptismum non solvuuntur conjugia, sed dimittuntur crimina.*

Dices. S. Paulus in textu unde argumentum sumimus, non loquitur auctoritate divina, sed propria quæ humana erat, *ego dico, non Dominus.* Ergo disciplina quam instituit erat tantum ad tempus, et pro circumstantiarum varietate mutabilis, ut contendunt secundæ sententiæ Patroni.

R. 1°. multos Interpretes gravissimis momentis nixos censere hæc verba, *ego dico, non Dominus,* referenda esse ad versiculos præcedentes.

R. 2°. ad summum ex verbis objectis sequi nullum esse præceptum Dei expressum et ore Christi prolatum de matrimoniis Infidelium, sed hoc non impedit quominus Apostolus, Spiritu Sancto movente et dirigente, locutus sit. Unde postea v. 25. de Virginibus ait. *Consilium do ut sim fidelis.* Et. v. 40. *Beatior autem vidua, si sic permanserit secundum meum consilium: puto autem quod et ego spiritum Dei habeam.* Quod autem Apostolus, Spiritu Sancto movente et dirigente, præcepit, procul dubio vim habet Legis, nec unquam licet a tali præcepto recedere. Ergo in casu præfato non licet uxorem dimittere, nec prionde in eo casu matrimonium dissolvitur.

Quæres 2°. an matrimonii vinculum, ubi unus Infidelium convertitur, altero permanente in infidelitate, dissolvatur in quibusdam circumstantiis, videlicet 1°. si Infidelis non conversus non solum renuat converti, sed a conjuge discedat. 2°. Si nolit pacifice et sine blasphemia et contumelia Creatoris cum Converso habitare. 3°. Si velit conjugem conversum in peccata lethalia pertrahere?

R.

R. in triplici casu mox exposito dissolvi conjugium. Id probatur 1°. ex verbis Apostol. 1. Cor. 7. 15. *Quod si Infidelis discedit, discedat; non enim servituti,* nempe vinculo matrimonii, *subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* 2°. Ex consensu omnium fere Theologorum et Canonistarum, qui in rebus theologicis profecto levis non est ponderis. 3°. Ex verbis expressis Innoc. III. c. 5. 7. de Divortiis, ubi sic habet: *Si alter infidelium conjugum ad Fidem catholicam convertatur, alter vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.* Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, *si infidelis discedit, discedat.* Et quidem pro summa sua sapientia id constituit Deus; cum aliter vir, qui Fidem christianam amplecteretur, per totum vitæ cursum continentiæ oneri subjaceret, quo multi a Fide deterrerentur; vel perpetuo lapsus periculo foret obnoxius, necessario commorans cum conjuge impietates in Deum profundente, vel ad peccatum dictis aut verbis pertrahente.

Si autem quæras cur matrimonia Infidelium minus firma sint quam matrimonia Fidelium, quæ nec per apostasiam nec per quamcumque aliam causam dissolvi possunt. Rationem affert Innoc. III. quia nempe matrimonium Christianorum est ratum ac verum Sacramentum, secus vero Infidelium matrimonia.

Dices 1°. *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur.* Hæc verba generalia sunt et sine exceptione ulla dicta, inquit S. Augustinus, lib. 1. de adulterinis Conj. c. 25. Ergo matrimonium quodlibet, etiam Infidelium, prorsus et in omni casu est indissolubile.

R. neg. conseq. Illa enim verba et alia similia ex Traditione et consensu omnium, vel accipienda sunt de matrimonio Christianorum consummato, quod reipsa nunquam dissolvi potest; vel si de matrimonio

nio quolibet juxta Leges inito intelligantur, accipienda sunt cum exceptionibus in ipsa Scriptura aut Traditione fundatis, & a Deo ipso appositis, quas modo retulimus. Sic vere dicitur quosdam esse morbos insanabiles, si difficile sanentur, licet aliquando aut virtute divina aut Medicorum scientia sanari possint.

Ad S. Augustinum, respondet Estius ipsum non multum in hac sua interpretatione confidisse, cum Lib. retract. 2. cap. 57. fateatur quæstionem de Nuptiis intricatissimam esse: *Nec audeo*, inquit, *profiteri omnes sinus ejus, vel in hoc de adulterinis conjugiis, opere, vel in alio, me adhuc explicuisse, vel jam posse, si urgeat, explicare.*

Dices. 2°. S. Ambros. lib. 8. in Lucam n. 8. *Apostolus negavit Legit esse divinæ ut conjugium qualecumque solvatur, nec ipse præcepit, nec dedit deserendi auctoritatem.* Ergo in conversus non potest uxorem infidelem deserere.

R. hæc verba Ambrosii vel intelligenda esse de solis Christianorum matrimoniis, quæ nunquam dissolvi possunt; vel si intelligantur de conjugiis Infidelium, vult duntaxat Ambrosius ea non dissolvi sine justa causa, qualis est, si Infidelis a Converso discedat, vel nolit habitare pacifice ac sine contumelia Creatoris, vel eum pertrahat ad mortale peccatum.

Quæres 3°. an vinculum matrimonii inter Infideles contracti, in tribus circumstantiis in responsione præcedenti expositis prius solvatur quam conjux conversus ad alias nuptias transierit?

R. negative, cum omnibus fere Theologis contra paucos, qui contendunt matrimonii vinculum in triplici casu prædicto dissolvi ipso jure, et antequam conjux conversus aliud conjugium inierit. Responsio probatur 1°. ex consensu Theologorum fere unanimi. 2°. Ex cap. *Gaudemus*, tit. de Devortiis, ubi Innoc. III. post expositos tres casus sæpius enumeratos, in quibus dissolvi potest matrimonium inter Infideles, sic addit: *Si uxor infidelis convertatur,*

tatur, et Conversum sequatur, antequam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Ergo propter illas causas matrimonii vinculum post alias nuptias duntaxat, non ipso jure dissolvitur. Si enim jam ante nuptias solveretur, conjux conversus non potuisset compelli ad eam uxorem recipiendam, quæ, jam dissoluto vinculo, non amplius uxor fuisset. Igitur triplex circumstantia memorata justam præbet causam dissolvendi matrimonium; sed tamen non solvit nisi per subsequens matrimonium.

Ex his sequitur 1°. conjugem ad Fidem conversum, qui propter causas memoratas conjugem infidelem dimisit et aliam duxit, nec teneri nec posse, posteriore defuncta, redire ad priorem, nisi novas cum eo nuptias contraxerit, etiamsi ad Fidem converteretur. Ratio est quia prius illud matrimonium penitus dissolutum fuit.

Sequitur 2°. non sufficere ad dirimendum in præfatis casibus matrimonium Sententiam Judicis declarantis liberum esse Fideli ad alias nuptias convolare, sed requiri novi matrimonii celebrationem. Sed per ejusmodi Sententiam voluit Ecclesia solum monere conjugem infidelem, et ei tempus concedere ad deliberandum an velit Fidem christianam amplecti aut saltem pacifice habitare cum conjuge converso.

Quæres 4°. utrum necesse sit ante monere conjugem infidelem an velit pacifice habitare, quam possit Fidelis ad alia vota transire?

R. affirmative, nisi vel ob locorum distantiam vel ob evidens vitæ aut subversionis periculum ante moneri non possit. Ita Gregor. XIII. Epistola quam laudat Pontius lib. 7. c. 88.

Quamvis autem, ut opinatur Sanchesius, Sententia Judicis non requiratur ut in præfatis casibus Fidelis aliud matrimonium ineat, consultius tamen est ac utriusque saluti tutius nihil, inconsulto Episcopo aut saltem neophyti Directore, in re tanti momenti agere, seduloque cavendum ne præpropero ad

ad novum matrimonium transitu hoc conjux conversus magis quam Fidem inhiasse videatur.

Quod si Infidelis tempus ad deliberandum postulaverit, expectandum erit donec rem totam perpenderit. Si autem de die in diem moras de industria nectat, idoneum tempus concedendum erit, quo semel elapso, pars fidelis ad novas nuptias convolare poterit.

Quæres 5°. an proles sequi debeat Conversum, an Infidelem ?

R. cum S. Thoma, *si proles pervenerit ad perfectam ætatem, quem voluerit libere sequi poterit ;* quia nemo ad Fidem cogendus est, sed alliciendus. *Si vero in minori ætate sit constitutus, dari debet Fideli,* ne ab Infideli pervertatur.

§. 3. *De firmitate vinculi conjugalis olim apud Judæos, an solveretur per libellum repudii.*

Certum est 1°. concessum fuisse Judæis uxores suas libello scripto repudiare, Deuter. 24.

Certum videtur 2°. ad Christum usque perseverasse apud Judæos libelli repudii usum, ut constat tum ex Libris Prophetarum, tum ex Matth. 19. v. 3.

At controvertitur utrum per libellum repudii vinculum conjugale solveretur. Alii illud negant, contendentes repudium fuisse à Deo toleratum non tanquam rem licitam, sed tanquam minus malum quo graviora declinarentur, ideoque per libellum repudii vinculum conjugale apud Judæos non fuisse dissolutum. Alii affirmant, existimantes repudium Judæis quidem fuisse concessum propter duritiam cordis, sed illud fuisse licitum et culpa vacasse, ac vere per illud dissolutum fuisse conjugale vinculum.

PROPOSITIO.

Libellus repudii apud Judæos vinculum conjugale dissolvebat, ideoque licitus erat, nec solum gravioris mali vitandi causa toleratus.

Prob. 1°. ex Deuteron. 24. *Si acciperit homo uxorem.....et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem*, id est, vitium aliquod animi vel corporis, *scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua; cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimisserit de domo sua vel certe mortuus fuerit, nonpoterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino.* Unde sic; vir cui mulier dimissa secundo loco nupserat, dicitur maritus: atqui nisi matrimonium prius per repudium esset dissolutum, non ille maritus, sed scortatur dicendus fuisset; ergo, &c.

2°. Fieri non potuit ut Lex Moysis divina et sancta toleraret adulteria publica: atqui tamen id dicendum foret, si libellus repudii vinculum conjugale non solvisset, cum dimissa mulier, palam ac permittente Lege, viro alteri nuberet.

Addidi in propositione repudii vinculum fuisse *licitum* seu *culpa vacasse;* quia Deus non potuit expresse permittere rem in ce illicitam, nec quidem gravioris mali vitandi gratia, alioquin vellet peccatum: quod dictu nefarium est,

Dices 1°. In textu Deuteronomii inter probationes laudato mulier repudiata, quæ novum matrimonium contrahebat, non poterat a priori marito recipi, *quia polluta et abominabilis erat coram Domino.* Ergo peccatum grave per hoc novum conjugium perpetrabat, nec proinde libera erat a priori vinculo.

R. n. ant. Textus enim hebræus, paraphrasis chaldaica, et versio 70. Interpretum sic habent, *quia abominatio hoc est coram Domino,* nimirum

actio

actio prioris mariti uxorem a se dimissam recipientis. Arguebat enim hæc agendiratio non solum prioris viri inconstantiam, sed et speciem habebat vagæ libidinis et palliati tantum divortii ad explendam cum alia voluptatem. Hac posita interpretatione, quæ textu primigenio, antiquis versionibus, et Eruditorum auctoritate nititur, prorsus evanescit proposita difficultas.

Dices 2°. Malachias c. 2. v. 16. reprehendit Judæos quod uxores suas dimitterent. Ergo, &c.

R. dist. Quod uxores suas dimitterent sine causa, et sæpe et Ethnicas ducerent, *conc.* dimitterent justis de causis, juxta Legis præscriptum, *neg.*

Dices 3°. Matth. 19. v. 9. Christus docet *mœchari eum qui dimissam uxorem duxerit.* Ergo Judæis licitum non erat dimissam uxorem ducere; nec proinde matrimonium libello repudii solvebatur.

R. dist. Christus docet mœchari eum qui uxorem dimissam duxerit, in Lege evangelica de qua loquitur, *conc.* in Lege mosaica, *neg.*

Dices 4°. Si licitum fuerit uxori dimissæ alium virum ducere, jam nullum discrimen erit conjugium inter et fornicationem.

R. n. ant. Fornicatio enim ab uno objecto ad aliud currit, filios non parit legitimos, nec iis providet. Secus in Lege mosaica, ubi ritus in divortio præscripti servandi erant, filii pariebantur legitimi, et iis providebatur.

Cæterum solis viris licitum erat per libellum repudii uxores dimittere, nec idem jus uxores habebant in maritos.

Nec Patres nec sacrarum Litterarum Interpretes objicimus. Cum enim a se invicem dissentiant, nihil certi ex iis erui potest.

§. 4. *De*

§. 4. *De firmitate vinculi conjugalis apud Christianos, an eorum Matrimonia solvantur per adulterium?*

Ex male intellectis istis apud Matth. 19. verbis *quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur*, nata est præsens controversia.

Græci jam a pluribus sæculis inde collegerunt matrimonium adulterii causa dissolvi, ideoque censent conjuges posse ad alias nuptias evolare, utque suam disciplinam excusent, adducunt auctoritatem veterum Patrum et Leges Imperatorum christianorum, nimirum Constantini Magni et quorumdam aliorum. Contendit tamen Arcudius, *in Concord. Ecclesiæ occid. et orient.* Græcos recentiores a majorum suorum doctrina deviasse.

Erasmus in Annotationibus in 7. c. 1. ad Cor. biennio antequam hæresis Lutheri erumperet, scripsit adulterio dissolvi conjugium. Illius ea de re propositiones an. 1526. damnavit sacra Facultas Parisiensis. Apologiam edidit Erasmus, contendens notatas propositiones intelligendas esse non de separatione quoad vinculum, ut placuit Censoribus, sed quoad thorum.

Lutherus in cap. 7. 1. ad Cor. asserit matrimonia dissolvi non solum propter adulterium, sed variis aliis de causis.

Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. non aliam dissolvendi matrimonii admittit causam præter adulterium.

Cajetanus, qui ante Tridentinam Synodum e vivis excessit, in eamdem sententiam propendere videtur.

Ambrosius Catharinus, qui interfuit Concil. Trid. sed non supervixit usque ad 24. sessionem in qua quæstio præsens definita est, ut modo videbimus, contendit ex Scripturis non posse colligi non licere propter fornicationem aliud inire matrimonium.

Audacior

Audacior Launoius nostris temporibus in Tract. *de regia in matrimonium potestate*, multa Patrum sive græcorum sive latinorum testimonia congessit, quibus demonstrare nititur vinculum conjugale adulterii causa dissolvi, Canonemque ea de re a Concil. Trid. editum non ad dogma, sed ad disciplinam spectare pronuntiat.

PROPOSITIO.

Matrimonii vinculum sub Lege evangelica non potest dissolvi propter causam adulterii unius conjugum.

Ibi agitur de matrimonio rato et consummato. De matrimonio non consummato deinceps disseretur.

Prob. 1°. *ex Scripturis.* Marc. 10. 11. *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur.* Et Luc. 16. 18. *Omnis qui dimiserit uxorem suam et aliam ducit, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Ibi verbis generalibus et indefinitis, nulla excepta causa, Christus asserit *quemcumque, omnem,* qui conjugem repudiaverit et alteri nupserit, adulterii reum esse. Atqui si per adulterium alterutrius conjugis dissolveretur matrimonium, adulterii reus non esset quicumque, vel omnis qui conjugem repudiaret et alteri nuberet; hujus enim criminis expers foret qui propter uxoris adulterium dimitteret eam et alteri nuberet. Ita ratiocinatur S. August. lib. 1. de adult. Conjugiis, c. 9.

Confirmatur: Rom. 7. 2. *Quæ sub viro est mulier, vivente marito, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Unde sic arguo. Vinculum quod sola conjugis morte dirimitur, adulterio non solvitur: atqui ex Apost. matrimonii vinculum sola morte dirimitur.

Prob. 2°. *ex Traditione.* Pro Ecclesia græca Chrysostomum appellabimus, qui Homil. 17. in Matth. 5. sic habet de eo qui uxorem dimisit propter adulterium: *Ille etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum quod adulteram fecit ex conjuge* (quæ alteri nupserit.) *Hic vero, excipiendo alienam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter ejecit: nam expulsa quoque, uxor esse illius qui eam expulit, perseverat.*

Pro Ecclesia latina Hieronymum et Augustinum laudabimus. Hieronymus enim consultis ab Amando Præsbytero circa præsentem quæstionem sic respondet Epist. 147. *Omnes igitur* causationes *amputans Apostolus apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit..... quandiu vivit vir, licet Adulter sit, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.*

Augustinus Lib. de adulterinis Conjugiis c. 4. post modo citata Apostoli verba ex Epist. ad Rom. sic addit: *Hæc verba Apostoli toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt, non opus habent interpretatione; neque posterioris viri mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur.*

Qui continuatam hujus veritatis per singula Ecclesiæ sæcula traditionem voluerit, adeat Gibertum tom. 3. Historie Ecclesiæ circa Sacramentum Matrimonii.

Prob. 3°. *ex auctoritate Conciliorum generaliu m* Florentinum in Decreto sic habet: *Quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est.*

Tridentinum sess. 24. can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse*

posse dissolvi mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ dimisso adultero alteri nupserit, anathema sit.

Nec tolerabile est effugium Launoii qui, sicut antea diximus, in mente habuit eum Canonem ad meram disciplinam pertinere. Nam 1°. quod Ecclesia docuit et docet, *juxta evangelicam et apostolicam doctrinam*, procul dubio non pertinet ad meram disciplinam, sed verum est Dogma a quo nunquam recedere licet. 2°. Canon iste Lutheranos et Calvinistas percellit. At isti non contra solam disciplinam sed contra veram matrimonii doctrinam peccabant, asserentes illud fornicationis causa ex Evangelio posse dissolvi.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et alium duxerit mœchatur.* Eadem leguntur apud eumdem Matth. cap. 5. Unde sic argumentari juvat. Christus ibi docet mœchari eum qui uxorem suam dimittit et aliam ducit, excepto, fornicationis casu. Igitur fas est in casu fornicationis uxorem dimittere et aliam ducere. Sic si quis dixerit ; quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam egerit, peribit, eo ipso significat eum non esse periturum qui licet peccaverit pœnitentiam agit.

R. clausulum exceptivam a Christo appositam cadere solum in priorem propositionis partem, in hæc nempe verba, *qui dimiserit uxorem ;* adeo ut sensus sit, quicumque ab uxore separatus fuerit quoad thorum et habitationem, excepta fornicationis causa, mœchatur, quia facit eam mœchari, seu in causa est cur impudicitiæ crimen committat. Nego vero exceptionem cadere in posteriorem propositionis partem, seu in illa verba, *et aliam ducit*, adeo ut sensus sit mœchari eum qui aliam uxorem ducit, excepto fornicationis casu. Sic autem intelligendam esse Christi propositionem,

nem, seu exceptionem a Christo appositam ad priorem propositionis partem tantum esse referendam constat 1°. quia hæc est exceptionis ratio ut cadat in id quod præcedit, nequaquam vero in id quod sequitur, ut ratiocinatur S. Th. in 4. dist. 38. art. 3. ad 4. 2°. Idem constat ex aliis Scripturæ testimoniis, Marc. 10. Lucæ 16. Rom. 7. quæ quidem sunt aperta, absoluta, nec ullam exceptionem admittunt. Hæc est enim regula a sacris Interpretibus admissa, quod Scripturarum testimonia obscura ex iis intelligantur quæ sunt aperta, nec ullam difficultatem offerunt. 3°. Putat S. August. lib. 1. de adulterinis Conjugiis, c. 9. locum S. Matthæi ex Marco et Luca esse intelligendum. 4°. Ex Traditione Ecclesiæ, ex auctoritate Conciliorum præcertim generalium, constat in hunc sensum verba Christi esse accipienda. Quis enim accuratior Scripturarum Interpres quam ipsamet Ecclesia, cui Christus Fidei depositum commissit?

Ad comparationem factam in objectione, dico magnum esse discrimen inter utramque propositionem, quia in propositione posteriori unica est pars ad quam proinde necessario refertur hæc exceptio, *nisi pœnitentiam agat.* Contra vero in propositione Christi duo membra occurrunt quorum prius uxoris, dimissionem, posterius alterius mulieris ducendæ licentiam spectat. Porro clausula exceptiva, *nisi ob fornicationem*, ad primum propositionis membrum, non ad secundum refertur, uti jam ostendimus.

Inst. 1°. Christus ibi respondet Pharisæis eum interrogantibus de divortio apud Judæos fieri solito, quod veram matrimonii dissolutionem importabat. Igitur responsio illius de dissolutione matrimonii est intelligenda, alioquin non satisfaceret quæstioni propositæ.

R. libellum repudii apud Judæos duo importasse, videlicet perpetuam conjugis a thoro expulsionem et cum altero nubendi licentiam. Unde

Pharisæorum

Pharisæorum interrogatio duo involvebat, 1°. an licerit quacumque ex causa, etiam levi, uxorem dimittere, an, ea dimissa, marito liceret aliam ducere. Unde ad utrumque respondens Christus ait 1°. uxorem quoad thorum non esse dimittendam nisi in causa fornicationis, 2°. ea dimissa, non posse aliam sine mœchia duci. Igitur Christi responsio utrique propositæ quæstioni congruit.

Inst. 2°. Si Christus in prima parte responsionis locutus fuisset de dimissione quoad thorum, non attulisset solam fornicationem in causam ejusmodi dimissionis, cum constet sub Lege evangelica multis aliis de causis fieri posse separationem quoad thorum.

R. multas quidem alias causas esse propter quas uxor a thoro et habitatione potest excludi ad tempus nempe donec resipuerit et ad meliora reversa sit, ut postea dicitur. Sed præter fornicationem, nulla est causa propter quam uxor a thori consortio possit segregari in perpetuum ac sine spe reditus ; quia fornicatio, cum violet fidem conjugalem quæ matrimonii basis est nisi pars innocens cedat, omni reconciliationi viam præcludit. Porro Christus loquitur de hoc posteriore dimissionis genere, quo magis repræsentabatur divortium apud Judæos, consuetum, quod quidem prout fiebat, per libellum repudii, perpetuum erat. Merito igitur fornicationem unicam illius dimissionis causam affert.

Obj. 2°. Imperatores christani, Constantinus, Theodosius et alli quidam Leges tulerunt quibus permittibatur conjugum separatio tum quod vinculum tum quoad thorum. Constat ex formulis Marculphi hunc usum olim in Galliis obtinuisse. Imo non tantum hanc licentiam fecerunt antiqui Imperatores christiani, sed illa usi sunt. Sic inter alios Carolus Magnus in multis Ecclesiis numero Sanctorum adscriptus, repudiatis duabus uxoribus viventibus, tertiam duxit Fastradem. Sic sub fine 4. sæculi Fabiola, viro suo propter depravationem repudiate

repudiato, convolavit ad alias nuptias. Ergo sub Lege christiana matrimonium quibusdam de causis dissolvi potest. Post Launoium alias similes Leges et alia exempla congerunt Auctores Librorum anonymorum an. 1770. editorum, quorum unus inscribitur *la Legislation du divorce precedee du cri d'un honnete homme;* alter vero, *le cri d'une honnete femme qui reclame le divorce.*

R. 1° in hanc rem potius audiendum esse Evangelium et Ecclesiam quam Constitutiones Imperatorum. *Aliæ sunt Leges Cæsarum,* inquit Hieronymus, *aliæ Christi:* aliud Papinianus, aliud Christus præcipit. Nec quoque divinis Legibus præjudicare possunt exempla contraria, si quæ sint.

R. 2°. *dist.* Leges illæ latæ sunt magna ex parte pro Infidelibus nondum ad Fidem conversis, *conc.* pro Christianis, *subdist.* Ad duritiam cordis, cogente necessitate, et ad tempus tantum, *con.* secus, *neg.* Ipsi Imperatores christiani plures Leges contra divortium tulerunt. Quod si vero necessitate cogente, ob commune Reipublicæ bonum et majoris mali metu divortium permiserunt vel tolerarunt, non idcirco licitum factum est, cum sit Evangelio contrarium.

Nec valet contra nos allatum Caroli Magni exemplum; tum quia non desunt qui contendant ipsum quidem multas uxores habuisse, sed non simul viventes, verum aliam tantum post alterius mortem; tum quia si plures uxores simul viventes habuerit, in hoc improbandus est, maculaque est in vita celeberrimi illius Imperatoris, quam pœnitentia et lacrymis eluisse persuasum habent Ecclesiæ quæ eum ut Sanctum venerantur.

Quantum ad Fabiolam. S. Hieronymus Epist. 30. ad Oceanum, eam sic redarguit: *Fabiola quæ persuaserat sibi virum a se jure dimissum, Evangelii rigorem non noverat in quo nubendi licentia, viris viventibus, fœminis adimitur.* Aliunde constat ex Auctoribus ecclesiasticis eam, ob factum istud,

Romæ

Romæ publicam pœnitentiam egisse : quod argumento est Ecclesiam Leges Imperatorum qui quoad vinculum, divortium permiserunt, nunquam approbasse.

His addo priscis temporibus frequentia forsan fuisse divortii exempla, quia tunc propter consanguinitatis impedimentum quod ad septimum usque gradum se extendebat, invalida sæpe matrimonia bona fide contrahebantur, quæ postea dissolvebantur.

Obj. 3°. *cum iisdem Auctoribus anonymis.* In Provinciis Polonorum orthodoxis quotidie, volentibus et annuentibus Episcopis, conjugia dissolvuntur, novaque contrahuntur, non tantum propter adulterium, sed variis aliis et quidem levioribus de causis, nempe propter unius conjugum sævitiem aut etiam diuturnam absentiam, Ergo, &c.

R. 1°. *negari posse antecedens ;* tum quia nulla aut fere nulla suæ assertionis exempla proferunt hujus narrationis Auctores; tum quia soli Judæi aut Protestantes aut Græci schismatici in iis Regionibus commorantes divortii quoad vinculum Legem sequuntur, prout a viro fide dignissimo qui diu mansit apud Polonos didicimus. Cum autem isti omnes cum Catholicis Romanis permixti sint, inde facile fieri potuit ut Viatores pro omnibus indistinctim divortium etiam quoad vinculum adscriberent.

R. 2°. Polonos catholicos, si propter adulterium aut alias causas matrimonia quoad vinculum dissolvant, hac in re esse reprehensione dignos ac penitus deserendos, quippe qui adversentur Ecclesiæ universali, cui nunquam in rebus Fidei et morum refragari licet. Nec tamen, si propter adulterium tantum matrimonia dissolvant, ideo eos anathemati Tridentino subjicimus, uti deinceps observabimus respectu Græcorum qui eam praxim sequuntur. Si vero alias causas divortii quoad vinculum agnoscerent, quales sunt quæ in objectione referuntur, difficile admodum possent subtrahi

trahi huic alteri anathemati Trid. *Si quis dixerit propter hæresim aut molestam cohabitationem.....aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit*, sess. 24. can. 5.

Obj. 4°. *cum Launoio* longam Conciliorum particularium et Scriptorum ecclesiasticorum sive græcorum sive latinorum seriem.

R. 1°. ex istis Patribus nonnullos quidem agnovisse causas maritos deserendi et alios ducendi, sed illas causas in eorum mente fuisse impedimenta dirimentia, non autem adulterium. Ita sæculo 4. Patres Eliberitani.

2°. Quorumdam testimoniorum objectorum suspecta est integritas. Talis visus est Petavio textus Epiphanii ex hæresi 59. n. 4. depromptus.

3°. Cuncti fere Patres qui nobis opponuntur, debent intelligi de divortio quoad thorum et habitationem. Unde nobis minime adversantur. Ita SS. Gregorius Nazianz. Chrysostomus, Hilarius et alii.

4°. Alii explicantur non de licentia quam faciat Evangelium, sed quam Leges civiles concesserint.

5°. Alii intelligendi sunt de permissione secundi matrimonii, sed post mortem uxoris tantum, ut Pœnitentiale Romanum vetus, PP. Concilii Vermeriensis, an. 752. et Compendiensis an. 757.

6°. Tandem non diffitemur divortium etiam quoad vinculum prioribus sæculis fuisse a nonnullis Doctoribus, inter quos Lactantius et Basilius, et forte in quibusdam Ecclesiis approbatum; sed non ideo labefactatur nostra propositio, quia tunc temporis adhuc sub Judice lis erat nondumque definita. Sic olim citra hæresim potuit a Cypriano defendi non valere Baptismum ab Hæreticis collatum. Verum nunc de veritate sententiæ quam defendimus, dubitare non licet, cum omnis difficultas jam sit explanata, et in Conc. Florent. et Trid. soluta.

Obj. 5°. Si a Concilio Trid. definitum sit matrimonium

matrimonium Christianorum non posse adulterii causa dissolvi, igitur dicendum est Græcos esse Hæreticos.

R. neg. sequelam. Quamvis enim Græci et Orientales non sint a culpa immunes, et hac de re sæpius a Latinis fuerint reprehensi, non ideo tamen sunt Hæretici, quia Tridentina Synodus eos tantum anathemate percellit qui dicunt *errare Ecclesiam, cum docet aut docuit, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi.* Porro soli Protestantes, non Græci, hoc dicunt et ita Ecclesiam catholicam calumniantur.

Græcos anathemate Tridentino non feriri, nec quidquam ea de re fuisse tanquam de Fide determinatum constat ex Palavicino qui lib. 22. Hist. Concil. Trid. c. 4. testatur Canonem *tum primum paratum fuisse cum anathemate in eum qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi; sed Oratores Venetos exposuisse Patribus non modicam offensionem per hunc inferri Ecclesiæ orientali, præsertim vero Græcis, in subjectis Reipublicæ Venetorum locis degentibus, non solum cum publicæ quietis, sed etiam cum catholicæ Ecclesiæ detrimento.* Ideo reformatus est Canon prout nunc legitur.

§. 5. *An Christianorum Matrimonia per Professionem religiosam dissolvantur?*

Constat ex universali Ecclesiæ disciplina, atque consentiunt omnes matrimonii consummati vinculum Professione religiosa non dirimi. Sed quæstio est gravissima ac difficillima, utrum nempe matrimonium ratum, sed non consummatum, per Professionem religiosam solvatur, an non. Negant Protestantes, de solemnibus votis pessime opinantes. Affirmant vero Catholici, qui tamen sunt discordes in assignando jure quo matrimonium ratum, sed non consummatum, per Professionem religiosam dissolvatur.

PROPOSITIO.

Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem alterutrius Conjugatorum in Religione approbata Professionem dirimitur, et quidem jure divino, non ecclesiastico tantum.

Prob. 1°. *ex summis Pontificibus.* Gregorius Magnus Epist. lib. 6. Epist. 20. ad Fortunat. scribens de puella viro nomine Stephano desponsata, quæ eum reliquerat ut religiosam vitam profiteretur, jubet ut *puella domus et res aliæ quas vir indebite detinebat, restituantur.* Ibi sane per desponsatam intelligit S. Gregorius puellam non simpliciter promissam, sed veram sponsam, cum bona illius in dotem data Stephanus retinere vellet: atqui supponit S. Pontifex pro re certa posse hujusmodi sponsam intuitu Religionis a viro discedere; imo addit separationem hanc divinæ propitiationis intuitu fieri.

Alexander III. veritatem in propositione nostra assertam apertius testatur, ut refertur in Actis Concilii Lateran. 3. sæculo 12. celebrati parte 5. *de Conjugatis et Sponsis Monasterium ingressis,* ubi sic loquitur: *Verum post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire, quia cum non fuissent una caro simul effecti, potest unus ad Dominum transire, et alter in sæculo remanere.*

In III. idem docet c. *ex parte* 14. *de Conversione conjugali,* ubi sic habet: *Nos a prædecessorum nostrorum vestigiis nolentes declinare, qui consulti respondere, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, altero inconsulto, ad Religionem transire; ita quod relictus*

ex

ex tunc legitimæ poterit alteri copulari. Hic notandum est summum Pontificem asserere se in hac parte antecessorum suorum vestigiis insistere.

Prob. 2°. *ex Concilio Trid.* sess. 24. can. 6. de Matrimonio. *Si quis dixerit matrimonium ratum et non consummatum per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Prob. 3°. *ex usu et praxi Ecclesiæ.* Dici non potest Ecclesiam quæ a Spiritu Sancto permanenter dirigitur, illud dirimere vinculum, quod ex se et natura sua nullatenus dirimi potest: atqui Ecclesia a sexcentis et amplius annis per Professionem religiosam dirimit matrimonium ratum sed non consummatum.

Prob. 4°. *ex conditione matrimonio apposita.* Ut matrimonium religiosa Professione solvatur, sufficit quod sub hac solum conditione contrahatur a Fidelibus: atqui ex D. Th. hic quæst. 61. art. 2. ad 2. *matrimonium initur sub hac conditione,* saltem tacita, si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet; quia nimirum conjuges non contrahunt nisi sub Legibus in Ecclesia servari solitis.

Quædam alia argumenta proponi solent; sed cum nobis inefficacia videantur, ab iis referendis abstinemus.

Addidimus in propositione, *et quidem jure divino, non ecclesiastico tantum,* ut placet quibusdam; quia Alexander III. cap. 7. de Convers. conj. declarat hanc matrimonii rati dissolutionem fieri *ex sacri eloquii interpretatione.* Idem habet Innoc. III. Insuper hujus consuetudinis initium non habetur in jure ecclesiastico. Igitur hæc praxis fundatur institutione Christi per Traditionem perpetuam nobis cognita.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1°. Nihil in Scripturis, neque in Traditione reperitur unde colligi possit matrimonium non consummatum

summatum Professione religiosa solvi. Ergo Decretum Tridentinum ea de re nulla auctoritate fulcitur, ac proinde rejiciendum est.

R. silere quidem Scripturas Dogma in propositione nostra assertum. At Scripturæ silentium supplet Traditio, quæ altera est credendorum regula, eaque nobis innotescit testimoniis tum indirectis tum expressis.

1°. *Testimoniis tacitis et indirectis.* Patres enim ecclesiastici matrimonii indissolubilitatem repetunt ex ejus consummatione, et quia vir et uxor sunt una caro: atqui hoc est tacite innuere matrimonium non consummatum non esse prorsus indissolubile, ac posse in casu quodam extraordinario, v. g. per Professionem religiosam dirimi.

2°. *Testimoniis expressis.* Præter enim testimonia variorum Pontificum in probatione laudatorum, quorum Traditioni eo magis credendum est quod declarent se prædecessorum suorum exempla sequi, quodque eorum de re præsenti doctrina, nemine reclamante, summa omnium consensione recepta fuerit, addam capitulum 102. Theodori 7. Ecclesiæ sæculo Cantuariensis Episcopi, in quo t. 6. Concil. in appendice, columna 1878. sic legitur: *Desponsatam puellam non licet parentibus tradere, aliud tamen ad Monasterium licet.* Concilium Compendiense an. 775. can. 3. ait *mulierem posse velum in caput mittere, etiam invito viro suo.* Si autem pro primis sæculis pauciora suppetunt testimonia, id oritur 1°. eo quod tribus prioribus Ecclesiæ sæculis monastica vita nondum fuerat instituta. 2°. Eo quod rarum est ut sponsus sponsam dimittat ante matrimonii consummationem. Unde raro se dedit occasio ea de re pronuntiandi. 3°. Quia exempla, si quæ fuerunt, potuerunt ignorari ab ecclesiasticis Scriptoribus, vel omitti, ut ad eorum scopum minime conducentia.

Præterea dici nequit Ecclesiæ declarationem et praxim nullo solido fundamento niti, ergo si non fulcitur in Scripturis aut in Traditione scripta, dicendum

dicendum est eam Traditione orali fundatam esse.

Obj. 2°. Genes. 12. 24. Adamus non suo tantum sed omnium suorum posterorum nomine sic loquitur: *Relinquet homo patrem et matrem suam et adhærebit uxori suæ.* Ibidem loquitur Adamus, de matrimonio, quale tunc erat inter ipsum et Evam quam nondum cognoverat, ac proinde non consummato. Atqui illud prorsus indissolubile declarat.

R. Adamum ibi loqui de matrimonio consummato. quale mox futurum erat. Protoparentem, etsi nondum uxorem tunc cognovisset, respicere tempus futurum, et matrimonium consummatum, ostendit textus series, *erunt duo in carne una.* Præterea verbis Adami non posse probari matrimonium esse prorsus indissolubile, patet ex eo quod sub Lege mosaica per libellum repudii dissolvebatur.

Obj. 3°. Matth. 19. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo, &c.

R. Christum eo loci sermonem facere de matrimonio consummato, ut patet sive quia proxime dixerat, *et erunt duo in carne una,* sive quia loquitur de matrimonio quod apud Judæos libello repudii solvebatur. Illud porro consummatum erat. Unde sic distingui potest: quod Deus conjunxit in una carne, homo non separet, *conc.* quod conjunxit in uno spiritu tantum, *neg.* Addimus in casu Professionis religiosæ, non hominem, sed Deum ipsum separare; rem enim sic Deus ordinavit.

Obj. 4°. 1. Cor. 7. 27. *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem.* Ergo, &c.

R. Apostolum loqui de matrimonio consummato. Præterea *dist.* Noli quærere solutionem nisi licito modo et prout a Deo ipso ordinatum est, *conc.* aliter, *neg.*

Obj. 5°. Apostolus ibid. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet.* Ergo non potest virum derelinquere ut Monasterium ingrediatur.

R. dist. Mulier sui corporis potestatem non habet, postquam matrimonium completum est ac consummatum, *conc.* antequam completum sit, in casu religiosæ Professionis, *neg.* 1°. Enim loquitur ibi Apostolus de matrimonio consummato, siquidem sermonem facit de mutua redditione debiti. 2°. Loquitur Apostolus de ordinario rerum cursu. Fatemur autem in cursu rerum ordinario, ubi v. g. agitur de matrimonio consummato, illud non posse dissolvi. Sed non sequitur illud non posse dissolvi per Professionem religiosam, si non sit consummatum; siquidem contrarium antea probavimus.

Inst. 1°. Jus viri in corpus mulieris oritur ex contractu legitimo, non ex consummatione matrimonii. Ergo illud stat pro omni matrimonio rato, etsi non consummato.

R. jus viri in corpus mulieris oriri ex contractu legitimo, sed completo et consummato, ut diximus. Plenum igitur ac perpetuum non est illud jus, nisi accesserit secunda conditio, nimirum matrimonii consummatio.

Obj. 6°. Matrimonii dissolutionem Religionis causa prohibent 1°. Gregorius Magnus Epist. 49. c. 2. lib. 9. ad Theoctistam Patritium his verbis: *Si dicunt causa Religionis conjugia dissolvi debere, sciendum est quia, etsi Lex humana concessit, Lex divina prohibuit.* 2°. Egbertus Eboracensis, in Capitulis quæ ad an. 747. refert Labbæus tom. 6. Concil. p. 1596. idem habet. 3°. Episcopus Veronensis cap. de Conv. Conjugato excommunicatione percutit conjugem quæ, necdum consummato matrimonio, Monasterium ingredi voluerit.

R. ad 1. S. Gregorius loquitur de matrimonio consummato, ut patet ex istis illius verbis: *Postquam copulatione conjugii viri ac mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti et ex parte in sæculo remanare.* Cum autem ait *Legem humanam concedere* dissolutionem matrimonii, respicit ad quasdam Imperatorum Leges.

Ad 2. Eadem est responsio.

Ad

Ad 3. Cum tunc temporis Traditio circa quæstionem præsentem non esset æque aperta ac nunc est, Veronensis Episcopus in eo deceptus est, ideoque Alex. III. Decretali cad. c. 7. Episcopi Veronensis sententiam correxit : *Et mulieri, modo vir ejus illam carnaliter non cognovisset, permisit Monasterium eligere.*

Obj. 7°. Matrimonium ratum omne, sive consummatum sive non, est maritalis conjunctio individuam vitæ societatem exigens. Sed quod individuam societatem vitæ exigit, sola morte finiri potest. Ergo, &c.

R. dist. Est maritalis conjunctio perpetuam vitæ societatem exigens, præterquam in casibus a Deo ordinatis, *conc.* in omni prorsus casu, quasi Deus aliter constituere non potuerit, *neg.* Porro Deus sic res ordinavit ut matrimonium ratum sed non consummatum sub Lege evangelica per solemnem Religionis Professionem solveretur. Sic sub Lege judaicá constituerat ut matrimonium ipsummet consummatum per libellum repudii dirimeretur.

Inst. Matrimonium ratum et non consummatum non differt essentialiter a consummato, sed accidentaliter tantum : porro accidens non mutat rei naturam. Ergo, &c.

R. dist. maj. Non differunt essentialiter quoad vinculum spirituale, *conc.* quoad vinculum carnale, *neg.* Sive discrimen illud sit essentiale sive accidentale, certum est in matrimonio consummato aliquid occurrere quod in rato non consummato minime invenitur : nimirum in consummato duplex est vinculum, carnale et spirituale. Sicut autem vinculum carnale morte naturali solvitur, sic spirituale morti spirituali sive Professione religiosa dirimitur, ut novimus ex praxi et definitione Ecclesiæ, quibus omnia argumenta philosophica cedere debent.

Obj. 8°. Professio religiosa neminem a debito pecuniario liberat ; ergo multo minus a debito conjugali quod cæteris sanctius est ac inviolatum magis.

R.

R. 1°. *n. ant.* Debitum enim pecuniarium per Professionem religiosam extinguitur respectu illius qui illam amplectitur. Verum sicut post mortem naturalem tenentur hæredes nomine defuncti solvere, ita post mortem spiritualem ad solvendum nomine Religiosi tenentur ii ad quos pertinet illius in sæculo hæreditas, vel Monasterium ipsum, ne prætextu Religionis Proximus detrimentum patiatur.

2°. *Nego conseq. et paritatem.* Disparitas est quia conjux debitum non contraxit nisi sub hac conditione tacita quod non vocatus fuerit ad statum perfectiorem qualis est religiosus. Debitum autem pecuniarium nulla conditione contractum est.

Obj. 9°. Jus divinum non potest juri divino adversari: atqui matrimonium ratum ex jure naturali indissolubile est; ergo dissolvi potest.

R. n. min. propter rationes in sectione prima hujus capitis allatas.

Inst. 1°. Matrimonium saltem jure divino indissolubile est, uti antea dictum est: atqui id quod est juris divini, non potest dissolvi per Professionem religiosam cum hæc sit juris ecclesiastici tantum.

R. dist. maj. Matrimonium completum et consummatum jure divino est indissolubile, *conc.* non completum, non consummatum, *neg.* Ergo cum asseritur matrimonium non consummatum per Professionem religiosam dissolvi, juri divino non contradicitur. Sic etiam non læditur jus divinum, cum dicitur matrimonium etiam consummatum dissolvi propter infidelitatem pertinacem unius conjugis in casu Infidelis ad Fidem conversi, ut antea notavimus.

Obj. 10°. Matrimonium etiam ratum verum est Sacramentum et signum unionis Christi cum Ecclesia: atqui Sacramentum non potest solvi, nec violari signum unionis Christi cum Ecclesia.

R. ad 1. *dist. min.* Sacramentum non potest solvi, id est, effici non potest ut illud non fuerit, *conc.*

conc. id est, non potest desinere, *neg.* Porro per Professionem religiosam non efficitur ut Sacramentum Matrimonii non fuerit, sed tantum desinit esse. Sic subsistere cessat in casu quo conjux infidelis cum converso pacifice et sine contumelia Creatoris habitare nolit.

Ad 2. pariter dist. Matrimonium ratum, est signum unionis Christi cum Ecclesia, unionis, inquam, spiritualis per charitatem, *conc.* unionis corporalis quæ fit per incarnationem, *neg.* Hæc enim non nisi per matrimonium consummatum significatur. Unio autem spiritualis solvi potest per alium perfectiorem statum : neque tunc violatur, sed potius in meliorem mutatur.

Ex iis sequitur errasse Maldonatum, cæteroqui doctissimum, qui Tract. de Matrim. c. 6. ait nullam partis adversæ momentis responsionem afferri posse, *nisi aut concedatur matrimonium ratum nondum consummatum non esse verum matrimonium et verum Sacramentum, aut certe Ecclesiam ita existimasse, cum decrevit licere post matrimonium ratum conferre se ad Religionem, altero conjuge invito, et licere alteri adire alias nuptias.*

Satisfit quibusdam quæstionibus.

Quæres 1°. utrum voto simplici castitatis servandæ et Religionis amplectendæ, vel sacrorum Ordinum susceptione, matrimonium non consummatum dirimatur.

R. negative, uti constat jure canonico. Ratio autem cur matrimonium illud voto continentiæ simplici non dirimatur, est quia sola morte naturali vel spirituali solvi potest. Porro non per simplex castitatis votum, sed per solam, Professionem religiosam, homo spiritualiter moritur.

Quæres 2°. utrum ille qui Religionis amplectendæ votum emisit, si postea matrimonium contraxit, teneatur ante illius consummationem vitam monasticam profiteri ?

R.

R. affirmative, nisi voti dispensationem obtinuerit. Ratio est quia vota debent impleri, quando id licite fieri potest; atqui licite potest hoc votum impleri, cum nondum ex hypothesi matrimonium consummatum fuerit.

Quæres 3°. quid, si simpliciter castitatem vovisset, de amplectenda Religione non cogitans?

R. in hac quæstione concordes non esse Theologos. Alii volunt eum ad Religionem profitendam teneri, quia, inquiunt, quisquis votum adimplendi potestatem habet, tenetur illud implere, debetque medium opportunum amplecti ut Fidem Deo datam servet: atqui nullum in ea circumstantia medium huic occurrit ad servandum votum præter ingressum in Religionem. Alii multo plures sentiunt non teneri, quia nemo tenetur plus solvere quam promisit: atqui talis homo solam castitatem, non vitam monasticam, vovit. En utriusque sententiæ præcipua fundamenta, quæ magis arriserit eligatur. Prima Dei legi et voti sanctitati magis favet, tutiorque videtur. At forte satius erit certis in circumstantiis voti dispensationem postulare, sine qua parti voto castitatis adstrictæ conjugale debitum nunquam petere licet.

Quæres 4°. quotum sponsis tempus concedatur, ut deliberent de Religionis ingressu?

R. ex cap. 7. de *Conv. conjug.* duos concedi menses quibus vel Religionem ingrediantur, vel secum maritaliter habitent. Per illud temporis intervallum licite non potest conjux a comparte Professionem meditante debitum exigere. At liberum non est, sponso derelicto, ad alias nuptias transire, nisi post Professionem alterius, quæ ante annum probationis expletum fieri non potest. Quod si mulier, cum pubertatis annos attigit, Monasterium ingressa est, vir, ut novas nuptias contrahat, tenetur expectare nunc in Galliis usque ad annum mulieris 18. Aliis in Regionibus ubi viget Tridentina disciplina saltem usque ad 16. cum prius ex Concilio Tridentino profiteri non liceat.

Quæres

Quæres 5°. an matrimonium dissolvatur eo tempore quo Religionis habitus sumitur, an vero eo tempore quo Professio emittitur?

R. illud dissolvi *per solemnem Religionis Professionem*, ex can. 6. Concil. Trid. jam citato.

Quæres 6°. per quam Religionem matrimonium dissolvatur?

R. per Religionem in Ecclesia approbatam, hominemque statui regulari invicte addicentem. Hinc non dirimitur per vitam eremiticam in qua vota simplicia tantum nec per Ecclesiam acceptata emittuntur.

Quæres 7°. an Matrimonium Christianorum, si consummatum sit, solvatur per solemnem vitæ religiosæ Professionem?

R. negative, propter rationes, quibus antea probavimus matrimoniorum Christianorum sola morte et nullo alio modo, nequidem per adulterium dissolvi. Sola matrimonia rata non consummata in gratiam religiosæ Professionis excipiuntur, ex Traditione ecclesiastica: nunquam vero matrimonia consummata.

§. 6. *An Matrimonium Christianorum possit aliquando dispensatione pontificia dissolvi?*

Fatentur omnes matrimonia consummata non posse summi Pontificis dispensatione dirimi, cum ex jure divino sola morte dissolvi possint. Utrum vero de matrimoniis ratis non consummatis idem dicendum sit, non consentiunt inter se Theologi, inter quos alii partem affirmantem, alii negantem tenent.

PROPOSITIO.

Non potest S. Pontifex dispensare a vinculo Matrimonii rati non consummati.

Prob. 1°. quia per quatuordecim prima Ecclesiæsæcula nunquam ea potestate usi sunt summi Pontifices

Pontifices. Nec enim per tota hæc sæcula ullum habetur sive in Patribus sive Historicis sive Conciliis ejusmodi dispensationis vestigium. Unde ejus epocha Martinum V. qui Ecclesiæ sæc. 15. vivebat, non prætergreditur. Non magis tamen ipsis temporibus quam nostris defuerunt hujusmodi dispensationum causæ.

2°. Quia matrimonium ratum ex jure divino est insolubile, præterquam in solo casu Professionis religiosæ quem excepit Christus. Nec enim ex Scripturis aut ex Traditione ullatenus colligi potest alium casum esse excipiendum, aut cuipiam mortalium idem matrimonium dissolvendi auctoritatem esse concessam.

3°. Multo tutior est sententia quam propugnamus.

Dices. Nonnulli summi Pontifices in matrimonio rato dispensarunt.

R. aliquos ex illis Pontificibus de matrimonio futuro, seu de sponsalibus esse locutos; alios de dissolutione quoad thorum; alios vero de matrimoniis ratis reipsa quidem dispensasse, bona fide credentes probabilius esse id fieri posse; sed in eo fuisse deceptos.

§. *An et quibus de causis Matrimonium quoad thorum et habitationem solvi possit?*

Separatio conjugum seu divortium tribus modis fieri potest. 1°. *Quoad vinculum*, ubi videlicet conventio nuptialis sic dissolvitur ut pro non nuptis conjuges habeantur. De eo divortii genere jam antea diximus. 2°. *Quoad thorum*, ubi, manente tamen nexu, conjugati liberi sunt a debito conjugali. 3°. *Quoad thorum et habitationem*, quando conjuges et sub eodem tecto vivere et eodem lecto uti desinunt.

Constat apud omnes teneri conjuges, regulariter loquendo, in eadem domo manere, ex præcepto divino: *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit*

hærebit uxori suæ. Id exigit tum contractus matrimonialis qui individuam vitæ societatem importat, tum debitum conjugale reciproce reddendum, tum prolis educatio ad quam conjux uterque concurrere debet. Dixi, *regulariter*, quia certis de causis vir etiam, invita uxore, potest aliquando separari, modo ad longum, modo ad brevius tempus, juxta prudentis judicium, v. v. negotii, vel etiam recreationis honestæ gratia, propter notabile familiæ emolumentum, bonum publicum, ex mandato Principis, Legationis aut Militiæ causa. Quibus in casibus mulier aliquando tenetur sequi maritum, si ipse velit, nec grave ipsi immineat incommodum; quia ipsius est habitationem eligere. In eo consentiunt omnes. At de separatione quoad thorum disputatur.

Lutherani nimirum quamvis doceant matrimonium gravibus de causis posse dissolvi, negant tamen conjuges, manente vinculo, posse quoad thorum et habitationem separari; contra quos sit.

PROPOSITIO.

Conjuges certis de causis quoad thorum et habitationem possunt separari.

Prob. 1°. *ex Scripturis.* Matth 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, mœchatur.* Ergo propter adulterium conjuges separari possunt.

Deinde vero hoc ipsum alia de causa fieri posse manifeste supponit Christus Dominus cum Matth. 19. ait *Omnis qui reliquerit domum vel fratrem vel sororem aut patrem aut matrem aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet.*

Insuper Matth. 18. *Ubi oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Ex quibus colligunt Ecclesiæ Patres ea quæ oculorum instar nobis sunt charissima, ut parvulos filios, uxores, esse reliquenda, si nobis sint in ruinam salutis.

Prob. 2°. *ex constanti et universali Ecclesiæ praxi.*

Prob. 3°. *ex Concil. Trid.* sess. 24. c. 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum multas ob causas separationem quoad thorum et habitationem, ad vertum incertumve tempus fieri decernit, anathema sit.*

Septem vero recensentur a Canonistis hujus separationis causæ.

Prima est fornicatio, de qua Matthæus modo citatus.

Secunda est votum castitatis perpetuæ, ex mutuo conjugum consensu emissum, sive postea remaneant in sæculo, sive Religioni approbatæ nomen dent.

Tertia est immoderata conjugum unius sævitia.

Quarta est, si conjugum alter tanta furia laboraverit, ut alteri periculum immineat.

Quinta est si alter tentaverit alium occidere.

Sexta, si sollicitet ipsum ad peccatum, adeo ut ei cohabitare non possit sine manifesto Deum offendendi periculo.

Septima, si defecerit a Fide, vel in apostasiam inciderit.

Illæ quidem causæ valent omnes in foro interno. At plures ex illis in foro externo non admittuntur.

Dices 1°. Christus Matth. 5. unum adulterium divortii causam assignat. Ergo plures non sunt divortii causæ.

R. Christum, ut jam alibi diximus, ibi assignare causam divortii perpetui. Hinc merito solum adulterium memorat, quia solum adulterium est causa divortii perpetui. Aliæ vero causæ divortium postulant duntaxat ad tempus, ut postea exponemus. Aliunde vero solum adulterium est causa matrimonii resolvendi *propria*, in quantum videlicet illud crimen fidei conjugali ac substantiæ matrimonii opponitur. Cæteræ vero causæ tum nuptiis tum aliis hominum fœderibus, v. g. filiorum cum patre, amicorum

amicorum cum amicis, communes sunt. Hinc Christus qui de matrimonio ibi tantum loquitur, solum adulterium illius dissolutionis causam affert.

Inst. S. Hieronymus in Matth. 19. sic habet: *Grave pondus uxorum est, si excepta fornicationis causa eas dimittere non licet: quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si gulosa, si vaga, tenenda erit istiusmodi? Volumus, nolumus, sustinenda est, cum enim essemus liberi, voluntariæ nos subjecimus servituti.* Ergo, juxta S. Doctorem, matrimonium propter solam fornicationem, non propter alias causas, quoad thorum et habitationem dirimi potest.

R. dist. consequens. Juxta S. Doctorem, matrimonium propter solam fornicationem, non propter alias causas, quoad habitationem, dirimi potest, quando ex cohabitatione nulla animæ aut corporis imminet ruina, *conc.* secus, *neg.* Separationem conjugum, iis in casibus in quibus spiritualis vel corporalis ruinæ periculum imminet, licitam esse expresse docet in Commentario super caput Matth. 18. v. 9.

Dices 2°. Homini christiano non licet id agere quod gravium scelerum occasio fieri potest: atqui conjugem dimittere, quaqua ratione id fiat, gravium scelerum parti dimissæ occasio esse potest, nimirum incontinentiæ. Si enim domi sapiens esse non potuit, quanto minus cum erit a viro separata?

R. dist. maj. Sine necessitate, *conc.* in necessitate, *subdist.* Si sit ex se et ex natura sua peccati occasio, *conc.* si per accidens et ex prava peccantis dispositione, *neg.* Si licitum est in necessitate juramentum exigere, quamvis hoc possit ex prava jurantis dispositione perjuriorum occasio fieri. Quod si uxor dimissa in aliquod crimen postea inciderit, id ipsius malitiæ imputari debet, non parti innocenti; cum satius sit ut sibi pars innocens consulat, quam ut cum propriæ salutis periculo alterius utilitati provideat.

De

De prima conjugatorum separationis causa, seu de fornicatione.

Quæres 1°. quid per fornicationem intelligendum sit Matth. c. 5. et 19?

R. Doctores communiter intelligere omne commercium carnale cum alio supposito a conjuge, qualia sunt præter adulterium abominanda sodomiæ et bestialitatis flagitia, quia scilicet per hæc crimina frangitur fides conjugalis ac fit divisio carnis. Ita rem exponit cap. *Meretrix*, causa 32. q. 4.

Quæres 2°. an licitum sit divortium, quoties fornicatio intercesserit?

R. Jure canonico casus aliquos excipi. 1°. Si uterque conjux eodem fornicationis crimine teneatur; paria enim crimina mutua compensatione delentur. 2°. Si vir ipse uxorem prostituerit, eique fuerit auctor fornicandi; hoc enim crimen tunc non minus viro quam fœminæ debet imputari, 3°. Si uxor virum suum propter longam ejus absentiam mortuum probabiliter credens alteri nupserit. 4°. Si uxor fraudulenter cognita est ab aliquo sub specie viri sui lectum subintrantis. 5°. Si vi fuerit oppressa. In tribus enim illis casibus postremis mulier non est culpabilis. 6°. Si adulterium cognitum secuta fuerit reconciliatio, quæ censetur facta, si vir conjugem et uxorem receperit. Hæc autem reconciliatio mutuo partium consensu fieri potest, etiamsi Sententia divortii juridice prolata fuerit.

Quæres 3°. an teneatur vir uxorem adulteram dimittere?

R. cum Thoma, si mulier de peccato non resipiscat, vir tenetur eam dimittere ne peccato ejus consentire videatur, *qui tenet adulteram, stultus est et impius*. Proverb. 18. Si vero illa resipiscat, aut si spes emendationis affulgeat, vir non tenetur eam dimittere, ex cap. *Si vir*, tit. de Adulteriis.

Imo

Imo *si mulier dimissa pœnitentiam egerit, et voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem*, prout in eod. cap. legitur. Quod quidem intelligendum est de debito charitatis, quæ postulat ut saluti uxoris, quantum fieri potest, consulat: non autem de debito justitiæ et obligationis, cum certum sit ex cap. *Significasti*, de Divortiis, nunquam virum ad mulierem adulteram recipiendam stricto jure teneri. Ratio est quia post pœnitentiam nihilominus rea est adulterii quod marito jus confert eam in perpetuum a thoro expellendi.

Quæres 4°. utrum jus divortii propter adulterium ad utrumque conjugem pariter pertineat?

R. pariter pertinere, quia in iis quæ pertinent ad thorum pares sunt maritus ex uxor, ex Apost. 1. Cor. 7. multo tamen gravius est crimen mulieris fornicantis quam viri. Uxor enim adultera non solum fidem conjugalem frangit, ut maritus, sed magnam affert injuriam tum proli cujus incertum reddit patrem, tum marito cui falsum hæredem supponit. Adde quod virum majori infamia aspergat quam ipsam maritus adulter. Hinc adulterium mulieris per Leges civiles punitur severius. Hinc licet ex Legibus canonicis mulier non minus quam maritus juris habeat ad petendam adulterii causa separationem, ex jurisprudentia tamen Gallica non solet ad persequendam juridicam separationem propter viri fornicationem admitti; nec mariti adulterium impedit quominus uxor adultera in Tribunalibus nostris severe puniatur. Ratio est quia Judices civiles ad jus hæreditarium duntaxat attendunt, quod quidem mulieris, non viri adulterio perturbatur.

Cæterum in Tribunali Pœnitentiæ inhærendum est Ecclesiæ disciplinæ et Canonibus. S. Thomas in 4. dist. 36. q. 1. art. 4. existimat virum, qui Sententiam contra mulierem adulteram obtinuit, non posse ea Sententia uti, si eodem crimine reus sit.

Quæres 5°. utrum possit conjux innocens privata auctoritate in causa fornicationis divortium facere?

R. Potest quoad thorum, modo certus sit de alterius adulterio. Sed non potest quoad habitationem. Cum enim sæpe contingeret ut conjuges levibus de causis et cum magno scandalo ac societatis turbatione recederent a se invicem, Legibus canonicis ac civilibus cautum est ne divortium fieret, nisi prius accederet auctoritas Judicum, quorum est post acquisitam criminis probationem de separatione quoad habitationem pronuntiare.

Quæres 6°. an conjux tum innocens tum reus, facto propter unius partis adulterium divortio, perpetuam vovere continentiam aut Religionem monasticam profiteri possit?

R. 1°. innocentem id posse, eo etiam invito et renitente qui reus est, modo tamen præcesserit Judicis Sententia, sine qua id fieri nequit.

R. 2°. conjugem reum id non posse, quandiu innocens jus retinet illum revocandi. Quod si intervenerit Judicis sententia, mulierem, v. g. in Monasterium detrudendam esse jubentis, tunc conceditur innocenti biennium ad deliberandum an velit conjugem revocare; factaque intra illud biennium conjugis adulteri Professio invalida est; sed hæc, præfato tempore elapso, nec revocato conjuge, valide fieri potest. Ita statuit jus civile, quod jure canonico nullibi abrogatum est.

De voto castitatis perpetuæ.

Quæres an conjuges servandæ castitatis intuitu mutuo consensu separari possint?

R. 1°. certum esse conjuges etiam post matrimonium consummatum posse ex mutuo consensu castitatis amore et sanctioris vitæ intuitu, quoad thorum separari. Ita expresse S. Augustinus lib. 1. de Nupt. et Concup. c. 11.

2. Potest uterque conjux ex mutuo consensu vitam

vitam religiosam profiteri; vel maritus potest sacros Ordines suscipere, mulier vero Religionem amplecti: imo quando maritus vitam monasticam, de consensu uxoris, profitetur, poterit uxor in sæculo remanere, si ita senex sit et sterilis ut sine suspicione possit ibi commorari, perpetuæque castitatis votum simplex emiserit. Ita jus canonicum tit. de Conv. conjugat. At debent in iis circumstantiis servari conditiones in Canonibus præscriptæ, filiisque ex matrimonio natis providendum est.

3°. Si post Professionem religiosam consensu mutuo emissam, conjugum alter a voto per S. Pontificem dispensetur, non idcirco, vivente priore uxore, posset ad alias nuptias convolare; quia matrimonium, quoad fœdus, non fuit solutum.

De immoderata conjugum sævitie.

Immoderatam unius conjugum sævitiem justam esse divortii causam constat ex Innoc. III. c. *Litteras* de Restit. spoliat. *Si tanta sit viri sævitia ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri.*

Censetur vero esse immoderata conjugis sævities, si vitæ conjugis insidias paraverit, si ense vel fuste percusserit, si minas graves intentaverit, si asperiora loquatur, uno verbo, si ex istis aut similibus cohabitatio ita efficiatur gravis et molesta, ut conjux cum conjuge citra grave periculum animæ aut corporis vitam agere nequeat.

Quod si certa vel probabilis emendationis spes affulgeat, et mulieris securitati satis provideatur, *profecto videtur conjux restituenda marito*, inquit Innoc. III. loco mox citato. Secus vero si mariti odium in uxorem videatur implacabile.

Circa immoderatam sævitiem nonnulla sunt observanda. 1°. Eam solam esse in Galliæ regno causam propter quam mulier separationem habitationis

tationis juridice possit postulare et impetrare. 2°. Ad ejusmodi divortium non requiri vitæ periculum evidens, sed sufficere, si merito timeatur. 3°. Non sufficere unam aut alteram rixam, non leves discordias, sed requiri gravia convicia. Unde si ob leves causas divortium facere velit conjux, omni conatu et zelo incumbere debent Parochi et Confessarii ut ab ejusmodi propositio dimoveatur. 4°. In judicio ferendo multum attendunt Judices ad personarum qualitatem; sunt enim fœminæ nobiles, vel bene institutæ, quarum respectu immoderata sævitia censeri possit, quæ respectu aliarum humilioris status non nisi levior esset molestia. 5°. Docent Jurisconsulti Gallici mulierem criminum gravissimorum, quæ probari non possunt, a marito accusatam, habitationis separationem petere posse.

De aliis divortii causis.

Limine naturali compertum est unumquemque teneri æternæ suæ saluti ac vitæ conservationi potius quam alterius consulere.

Hinc 1°. dementia unius conjugum legitima est separationis causa, ubi ad eum gradum pervenit quo conjux cum conjuge sine gravi periculo non possit habitare. Ita pluribus Arrestis judicatum est.

Hinc 2°. unius conjugum in alterius conjugis vitam attentatio per insidias, venenum aut alium modum, altera est separationis causa. Idem dicendum de malo contagioso quod serpit et communicatur, ut pariter judicatum est nonnullis Arrestis. Eo tamen cessante, tenetur conjux ad conjugem regredi. Hinc etiam conjux divortium facere potest, quando vitæ, famæ illius vel fortunæ grave detrimentum inferunt mariti flagitia, modo celari non possint et mox Judici deferenda sint, vel jam publice nota. Ita decernitur Lege, *consensu*, codice de Repudiis, *sique maritum suum veneficum, vel certe contra imperium aliquid molientem, vel falsita-*

tis

tis crimine condemnatum invenerit, si latronum susceptorem probaverit, tunc repudium ei permittimus.

Hinc 3°. si conjugum unus in hæresim vel apostasiam lapsus fuerit, vel alterum conjugem ad peccatum sollicitet, adeo ut non possit ei cohabitare sine manifesto Deum offendendi periculo, tunc adest justa divortii causa. Ita jus canonicum. Si vero conjux hæreticus vel perversus ad meliora redierit, conjux innocens eum recipere debet ex Urbano VIII. cap. *de illa*, de Divortiis. Secus vero antequam fuerit emendatus, Existimant tamen non pauci in casu hæresis vel apostasiæ, divortium fieri perpetuum, ad conjugis innocentis arbitrium, saltem post prolatam Judicis Sententiam. Dum vigebat in Galliis Edictum Nannetense, hæresis non erat sufficiens divortii causa.

Observandum 1°. propter causas mox memoratas et ab adulterio diversas communiter non licere conjugibus privata auctoritate divortium facere, in iisque casibus non secus ac in casu adulterii expectandum esse Judicis Sententiam, propter rationes quas, ubi de adulterii causa, delibavimus. Secus tamen foret, si conjux conjugem ad hæresim, apostasiam aut ad aliud flagitium inducere conaretur, et periculum esset in mora.

Cæterum, etsi separationes quoad habitationem privata auctoritate vulgo fieri non debeant, etsi separationes ejusmodi quæ nunc sunt frequentiores, scandalosæ sint ac vituperio dignissimæ, expedit tamen aliquando eas saltem ad tempus tolerare, ad præcavenda graviora mala. Interim Parochi curam omnem impendere debent ad placandos discordes animorum motus et pacem promovendam, atque ad id, si opus est, Episcopi opem implorare. Similiter Confessarii discordiarum causam expendere debent, absolutionemque denegare conjugi qui sine legitima causa ad consortem pertinaci animo redire renuit.

Observandum 2°. conjugibus propter causas modo memoratas non licere, sicut in casu adulterii,

monasticam

monasticam vitam amplecti, nec castitatem vovere, nisi id fiat mutuo partium consensu. Id constat ex Canonibus Ecclesiæ. Ratio a priori est quia divortium propter istas causas factum non est perpetuum, cum, cessantibus illis causis, cessare debeat, parsque innocens ream, si resipuerit, ad se revocare possit aut etiam teneatur.

Observandum 3°. separationem conjugum in Galliis nunc a Judicibus laicis decerni, contra veterem disciplinam. Ratio est, inquiunt Jurisconsulti hodierni, quia separatio conjugum plerumque comitem habet separationem quoad bona communitatis, de quibus judicium ferre Laicorum est.

CAPUT OCTAVUM.

De Matrimonii fide, bonis, obligationibus, effectibus et dispositionibus ad illud contrahendum requisitis.

§. 1. *De Matrimonii fine.*

Finis matrimonii duplex, unus operis, alter operantis. Posterior ille est quem sponsi inter contrahendum sibi proponunt, ideoque honestus vel inhonestus esse potest, pro diverso sponsorum ingenio. Prior ille est ad quem ex natura sua aut divina institutione ordinatur conjugium, et triplex a Catechismo Concilii Tridentini distinguitur.

Primus est filiorum procreatio, liberalisque ac honesta eorum educatio.

Secundus finis est mutua societatis, mutuumque subsidium ac solatium in perferendis variis vitæ incommodis. Certo constat apud omnes duplicem illum finem esse honestum ac legitimum.

Tertius, inquit citatus Catechismus, ob primi parentis peccatum, finis accessit, videlicet matrimonium contrahi potest in remedium concupiscentiæ et ut vitentur libidinis peccata. De eo fine disputatur inter Theologos. Alii contendunt illum

illum esse legitimum ac honestum, alii vero illicitum.

Prioribus adhæremus, et cum illis asserimus per se illicitum non esse matrimonium contrahere eoque etiam uti, in remedium concupiscentiæ et ad vitandam incontinentiam.

Prob. 1°. *ex Apost.* 1. Cor. 7. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Ibid. v. 8. *dico non nuptis et viduis, si se non contineant, nubant.* 2°. Actio de qua nunc agitur, nec illicita est ratione medii, cum matrimonium ejusque usus non sit aliquid illicitum: nec ratione objecti quod intenditur, cum fuga voluptatum libidinosarum sit honesta: nec defectu relationis ad finem ultimum, siquidem incontinentiæ devitatio referibilis est ad Deum qui peccatum odit et vetat: imo ad Deum refertur, si conjugatus, prout supponimus ac supponi potest, ideo vult incontinentiam declinare ut Deo serviat qui de illa vitanda præceptum facit.

Quæres 1°. an licitum sit conjugibus matrimonio utentibus optare non inde oriri prolem?

R. negative, quia intendunt aliquid fini matrimonii contrarium, et divinæ providentiæ diffidunt.

Quæres 2°. an liceat matrimonii usum petere propter vitandam compartis incontinentiam?

R. affirmative. Hoc enim laudabile est. Insuper qui in hoc casu debitum petit, reipsa illud reddit, cum conjux cui incontinentiæ periculum imminere advertitur, merito censetur exigere debitum.

Quæres 3°. an licitum sit matrimonio uti propter voluptatem?

R. negative. Si enim in usu alimentorum non liceat voluptatem quærere, nec profecto in matrimonio licitum est. Conveniunt Theologi hoc peccatum ex natura sua veniale esse. Ita S. Aug. Lib. de Bono conjug. cap. 7. *exigere debitum ultra generandi necessitatem, culpa venialis est.* Ita expresse S. Thomas in Supplem. quæst. 49. art. 6.

Dixi,

Dixi, *ex natura sua*, quia per accidens ejusmodi intemperantia lethalis esse potest, v. g. 1°. si immoderata sit ac noceat valetudini sive exigentis debitum, sive reddentis, prout Theologi de gulæ peccato communiter docent. 2°. Si conjux aliam non conjugem intendit, ut expresse docet S. Thomas in 4. dist. 31. q. 2. art. 3. 3°. Si ita frequens sit ut impediat tempora quæ debentur orationi, ut apertis verbis tradit S. Aug. Lib. de Bono conjugali cap. 10.

§. 2. *De Matrimonii bonis, et obligationibus Conjugum.*

Tria vulgo recensentur a Theologis post S Augustinum matrimonii bona. Primum est fides non quidem theologica, sed conjugalis quam uterque conjugum alteri debet. Secundum est proles, id est, ejus procreatio, educatio et religiosa institutio. Tertium est Sacramentum per quod ibi non tam intelligitur ritus Gratiæ productivus quam signum sacrum unionis Verbi cum humanitate vel Christi cum Ecclesia.

His matrimonii bonis, quæ mixta sunt multis malis ac incommodis, tres respondent præcipuæ conjugatorum obligationes, nimirum 1°. conjugalem fidem servandi; 2°. prolem amanter suscipiendi, educandi et instituendi; 3°. Matrimonii Sacramenti sanctitatem observandi.

Obligatio servandæ fidei conjugalis.

Duo postulat fides conjugalis, 1°. ut debitum a conjuge conjugi reddatur, 2°. ut ipsi soli reddatur.

Quæres 1°. an teneantur conjuges reddere debitum?

R. teneri utramque conjugem sub mortali injustitiæ peccato comparti reddere debitum, dum vel expresse vel tacite exigitur, nisi legitima causa denegandi intervenerit. Id constat ex S. Paulo 1 Co-

1. Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro.....mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir, similiter autem et vir, &c.*

Dixi autem 1°. *utrumque conjugem teneri;* in eo enim pares sunt ambo conjuges, ut patet ex verbis Apostoli.

Dixi 2°. eos teneri *sub peccato mortali,* quia res est per se gravis, cum inde nascantur rixæ, odia, dissensiones, parsque debito fraudata incontinentiæ periculo exponatur: quod lethale est. Hinc Parochus aut per se in Tribunali Pœnitentiæ, aut saltem, et quidem aliquando prudentius piæ matris ministerio, edocere debet sponsos et præsertim sponsas, quid in hac parte observandum sit. Cum vero mulieres ejusmodi peccata in Confessione sacramentali præ pudore aut ignorantia non raro retineant, expedit aliquando de iis illas interrogare, sed caute et prudenter, non ex abrupto: v. g. inquiri potest an dissidia fuerint inter eam et conjugem, quæ eorum causæ, qui effectus, an propterea marito denegaverit quod ex conjugii legibus ei debetur.

Dixi 3°. *dum vel expresse vel tacite exigitur,* quia nihil refert, ait S. Thomas, an petatur verbis vel signis. Unde si conjux cognoscat alterum conjugem tacite petere vel esse in periculo incontinentiæ, tenetur illum prævenire.

Dixi 4°. *nisi legitima causa denegandi intervenerit,* quia, fatentibus omnibus, obligatio reddendi debitum conjugale cessare potest propter nonnullas rationabiles causas modo exponendas.

Quæres 2°. quibusnam de causis a reddendo vel petendo debito conjugali impediantur conjuges vel excusentur?

R. 1°. Si conjux moraliter certus est de nullitate matrimonii, aut propter impedimentum dirimens aut propter aliam causam, nec potest debitum petere, nec reddere parti etiam ignoranti et bona fide petenti, debetque, ex Innoc. III. cap. *Inquisitioni,* de Sent. excom *potiusmortem et excommunicationem*

humiliter sustinere, quam per carnale commercium, peccatum, nempe fornicationem, *operari mortale.* Hinc debet, si conscius sit impedimenti, quam citius dispensationem obtinere, et interea sub aliquo prætextu, v. g. piam peregrinationem obeundo, ab usu matrimonii prorsus abstinere.

2°. Qui de valore matrimonii prudenter dubitat, non potest debitum petere, donec, diligenti examine adhibito, dubium deposuerit; quia se exponeret fornicationis periculo. Sed tamen illud tenetur reddere parti non dubitanti, ut habetur eod. cap. *Inquisitioni*, de Sent. excom. Ratio est quia pars non dubitans petendi jus habet, quo privari non potest propter alterius dubium, donec constiterit nullum esse matrimonium.

3°. Sic conjux uterque de matrimonii valore dubitet, neutri licet, stante dubio, debitum petere vel reddere, quia se exponerent dubio fornicandi. Debent igitur rem diligenter inquirere. Si vero post examen dubium perseveret, possunt, juxta communem sententiam, debitum petere et reddere, in casu quo bona fide matrimonium inierunt; secus vero, si mala fide contraxerint.

4°. Qui post matrimonium culpabiliter cognovit consanguineam conjugis in primo vel secundo gradu, non potest, nisi illius impedimenti dispensationem obtinuerit, petere debitum, cap. 1. et 10. *De eo qui cognovit.* Tenetur tamen parti innocenti debitum rdddere, cum ille *jure suo non debeat sine culpa privari,* ait Innoc. III. cap. 6. eod. tit. Quod si compars ad istud crimen consenserit, neuter poterit reddere vel petere debitum, ut colligitur ex variis juris canonici textibus.

5°. Si post contractum matrimonium supervenerit impedimentum cognationis spiritualis, v. g. si conjugum unus extra casum necessitatis prolem communem baptizavit aut in Baptismate scienter tenuit, tunc licite non potest petere debitum, sed reddere tenetur.

6°. Qui votum castitatis simplex emisit post matrimonium

matrimonium consummatum, non potest petere debitum c. 1. *de Convers. conjugatorum ;* quia promissionem Deo factam quantum in se est servare tenetur. Debet tamen postulanti reddere, ut pote habenti jus exigendi, nisi tamen ille votum idem emiserit aut saltem in consortis votum consenserit: tunc enim renuntiavit juri suo. Unde neutri in eo ultimo casu licebit debitum petere vel reddere. Potest tamen in iis casibus obtineri dispensatio, ut alibi diximus. Quod si nulla dispensatio fuerit impetrata, qui castitatem vovit, mortuo conjuge, castitatem omnimode servare tenebitur. Quomodo vero se gerere debeat qui castitatem ante matrimonium consummatum vovit, alibi exposuimus, ubi de impedimentis prohibentibus.

7°. Qui post matrimonium consummatum vovit Religionem aut sacros Ordines, potest petere et reddere; quia per hoc votum contraxit solum obligationem suscipiendi Ordines vel profitendi, si supervixerit. Sed statim post mortem conjugis tenetur implere votum. Hæc vero si voverit ante matrimonii consummationem, tenebitur votum implere ante consummationem, cum illud licite possit, ex dictis. Si vero consummet, peccat quidem mortaliter prima vice, sed deinceps potest reddere et petere propter rationes modo allatas.

8°. Si constet alterum conjugem esse adulterum, potest pars innocens parti adulteræ debitum denegare. Consule ea quæ jam antea ea de re dicta sunt, ubi de Divortio. Non potest conjux conjugi adultero debitum denegare, si ejusdem criminis ille reus sit; quia tunc est compensatio; quinimo nec idem potest pars innocens, si injuriam condonaverit, v. g. debitum sponte reddendo, vel alia amoris conjugalis signa exhibendo.

9°. Si exigens remisse petat, vel dilationi non ægre consentiat, tunc negari vel differri potest redditio debiti.

10°. Si petens sit in ebrietate vel amentia, tunc debitum poterit negari, quia non petitur modo humano

humano et libero. Quinimo in iis circumstantiis aliquando illicitum erit concedere, v. g. si timeatur abortus vel aliud grave malum.

11°. Si debitum reddi non potest citra sanitatis detrimentum, mortis ut gravis morbi periculum, unc cessat obligatio debiti reddendi; quia postulat ordo naturæ ut quisque suum bonum ac proinde suam vitam ac valetudinem alterius bono præponat. Hinc conjux non tenetur reddere, imo nec petere licite nec reddere potest debitum conjugi leproso, si lepra post conjugium supervenerit; nec conjugi morbo contagioso laboranti, si periculum sit contagionis, qua in re adhærendum est Medicorum judicio. Hinc quoque si mulier proprio experimento vel Medicorum judicio sciat se non posse partum edere sine proprio vitæ periculo, immunis est ab eodem debito, modo tamen periculo, illud oriatur a defectu naturæ, non a propria culpa; tunc enim illam corrigere tenetur.

12°. Si conjux unus sæpius ac immoderate petat, adeo ut alter, spectatis circumstantiis, sanitate, ætate, sine gravi incommodo reddere non possit, tunc cessat reddendi obligatio.

13°. Non tenetur, imo nec licite potest conjux debitum concedere, ubi citra peccatum reddere nequit. Hinc 1°. debitum nec reddi nec peti potest in loco publico, nec coram liberis aut domesticis; quia id vericundia vetat, indeque nasceretur scandalum. 2°. Similiter id non licet in loco sacro, quia sacrilegium esset. Nec etiam idem debitum peti vel reddi potest eo modo qui sit contra naturam, ut si *mutetur naturalis usus fœminæ*, ut loquitur Apostolus, vel impediatur prolis generatio.

Quæres 3°. an frequentes abortus a redditione debiti mulierem eximant?

R. affirmative, modo tamen 1°. ex culpa mulieris non oriantur abortus. Modo 2°. ex causa permanente et perpetuo perseveratura proveniant; nec enim sufficit illos sæpe contigisse, quia contingere potest

potest et de facto nonnunquam contigit ut quæ sæpe abortum fecerat, aliquando tandem felici exitu pariat. Porro si mulier propter frequentes abortus ex causa permanente et perpetuo perseveratura provenientes, a reddendo debito eximatur, multo minus illud exigere potest. Igitur debet in illo casu ab usu conjugal prorsus abstinere. Idem dicendum est de marito. Ratio est quia abortus est malum grave quod uterque conjux devitare debet.

Quæres 4°. an temporibus menstrui fluxus, puerperii, et gravitatis, debitum licete peti aut saltem reddi possit ?

R. 1°. ex communi Casuistarum sententia, regulariter loquendo, petitionem debiti hisce temporibus esse peccatum. *Pudicitia conjugalis*, inquit S. August. lib. 3. contra Julianum c. 21. *nec menstruatis, nec gravidis utitur fœminis.* De puerperis vero, seu recentibus a partu, sic loquitur S. Greg. cap. *Ad ejus*, dist. 5. *Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri.* Ita S. Thomas in 4. dist. 81. ac S. Antonius. Ratio eorum est, quia usus matrimonii in hisce circumstantiis est indecens. Addunt nonnulli accessum ad mulierem menstruatam vel recentem a partu generationi bonoque prolis nocere, indeque nasci prolem monstrosam. Verum contrarium vulgo testantur Medici ac Chirurgi artis suæ peritissimi.

Communiter censent Doctores culpam illam esse tantummodo venialem. Id S. Thomas expresse in loco citato asserit de accessu viri ad uxorem gravidam.

Dixi autem, *regulariter loquendo*, quia fieri potest ut culpa illa lethalis evadat, si videlicet probabile sit periculum ejiciendi fœtum etiam inanimatum. Potest quoque fieri ut petitio debiti sit immunis a culpa, nimirum si fluxus in muliere esset quasi perpetuus, viroque grave immineret incontinentiæ periculum, quod vix aliter amoveri posset.

R. 2°. nec puerperii tempus, nec mulieris graviditas, nec fluxus menstruus, modo tamen absit periculum mox memoratum, sufficientes esse causas debiti denegandi, si petens præmisse monitioni non acquiescens redditionem urgeat. Ita communiter Doctores. Ratio eorum est quia quisque tenetur cuique reddere quod suum est, modo probabile non sit eum petere ut alteri noceat; hocque maxime verum est in præsenti casu, ubi ex denegatione debiti grave marito immineret incontinentiæ periculum.

Nec dicatur a peccato excusari non posse eum qui alterius peccato consentit, prout consentire videtur qui illicite petenti debitum reddit, illumque ei similem esse qui furioso gladium reddit. Quamvis enim in præfatis casibus peccet maritus, debitum conjugale postulando, non tamen uxor illius reddendo debitum censetur illius peccato consentire. Ratio est quia marito reddit quod in se justum est reddit ad graviora mala vitanda, nempe rixas, dissidia, mariti incontinentiam ac forte adulterium. Nihil igitur impedit quominus mulier in remedium gravissimorum istorum malorum consentiat, nullatenus vero in malum levius quod a virō debitum petenti admittitur. Sic licet Usurarius usuras injuste exigat, eas tamen licite solvit qui inopia pressus sub fœnore mutue accepit. Igitur ut mulier sit immunis a peccato, satis est ut conjugem de statu suo moneat, eumque hortetur ut in hisce circumstantiis ab usu matrimonii abstineat. Quod si vir noluerit, ipsa conjugalis societatis necessitate excusatur.

Comparatio nulla est, quia furiosus gladio abusurus est in Proximi nocumentum. At in præfatis casibus matrimonii usus illud habet bonum quod concupiscentiam extinguat, virique petentis spirituale damnum avertat.

Immerito ex præcepto Levitici, c. 20. v. 21. ubi sub gravissimis pœnis prohibetur viri ad mulierem menstruatam accessus, conclusum est a quibusdam.

Patribus

Patribus et Theologis permultis hunc accessum peccatum esse lethale. Hæc enim prohibitio, prout cæremonialis et judicialis erat (sub quo respectu Judæos sub mortali obligabat,) per Legem evangelicam abrogata est: quatenus moralis, obligat quidem Christianos, sed tantum sub peccato veniali.

Quæres 5°· an justa sit debitum denegandi causa, quod proles a muliere ablactetur?

R. certum esse tum experientia tum Medicorum judicio mulieres lactantes persæpe concipere. Unde sæpe fit ut pueri lactantes pessime innutriti varios in morbos incidant aut etiam pereant. His positis, ad solvendam præsentem difficultatem, triplex mulierem prolem ablactantium genus distinguimus. Aliæ nimirum prolem alienam lactant, aliæ vero propriam prolem. Inster istas vero aliæ possunt de aliena nutrice providere, aliæ non possunt. Mulieres quæ prolem alienam lactant, non existimamus a debito reddendo immunes: sed statim ac se concepisse noverunt, prolem parentibus restituere debent ut de altera nutrice provideatur. Similiter mulieres propriam prolem lactantes, si non desint fucultates et copiæ, ubi primum se ferre partum animadverterint, tenentur puerum alienæ nutrici ablactandum dare. Quantum vero ad alias mulieres sic inopes ut non possint de aliena nutrice providere, videntur a debito reddendo immunes propter periculum ex redditione debiti proli suæ imminens, quod quidem, ex hypothesi, alio modo non possunt avertere. Propter eamdem rationem non potest in eo ultimo casu maritus debitum petere.

Quæres 6°· an fides matrimonialis postulet ut debitum conjugale soli conjugi reddatur?

R. id constare tum jure naturali, tum divino, tum humano, quo adulterium ex æquo ut flagitium ingens reprobatur ac pœnis gravissimis plectitur.

Nec unius conjugis adulterium tollitur aut excusatur

cusatur alterius conjugis consensu, ut constat ex unanimi Patrum et Conciliorum doctrina, ex ex multis Scripturæ testimoniis, quæ sic generalia sunt ut nullatenus ad quosdam adulteros restringi possint. Et vero numquid innocens erit qui familiæ suæ ordinem subvertit, propria filiorum et hæredum bona in extraneos profundit, quique in proprium corpus quod Spiritus Sancti templum est, sine pudore, sine reverentia, iniquum se prodit. Hinc ab Innoc. XI. cui præiverat Facultas Lovaniensis, merito proscripta est ista scandalosa cujusdam junioris propositio : *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit dicere in Confessione se esse fornicatum.*

Quæres 7°. an per solum adulterium peccetur contra obligationem reddendi debitum soli conjugi?

R. pluribus aliis modis violari hanc obligationem. Fides enim conjugalis exigit ut conjux unus ab iis omnibus abstineat quæ alteri conjugi injuriam inferunt, aut quæ pugnant cum præcepto Apostoli : *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in honore et sanctificatione.*

Hinc procul a conjugibus arceri debent quæcumque castitatem labefactant, ut tactus impudici, oscula, pollutiones voluntariæ, desideria minus casta, nimia cum alterius sexus personis familiaritas. Hinc cavere debent mulieres ne præter intentionem mariti exquisitiorem corporis cultum sectentur, ne oculos protervius in viros defigant, ne fabulis romanensibus, quæ nihil nisi impuros amores spirant, tempus terant, ne nuda membra ostentent, ne cantilenas impudicas ament, &c. His quippe et similibus fidem conjugalem suo modo offendi docent Patres, præsertim S. Aug. Epist. 221. Cyprianus Epist. 72. ad Pomponium. Ambros. L. b. de Fuga, et cæteri.

Obligatio

Obligatio prolis suscipiendæ.

Antea observavimus filiorum procreationem primum esse matrimonii finem. Multa in præsenti tractanda occurrunt quæ utinam silentio prætermittere possemus. Quoniam vero conscientiarum Moderatoribus scitu necessaria sunt, ne officio nostro deesse videamur, rem summatim attingemus, et ea duntaxat explicabimus quæ Confessarios anxios ac suspensos tenere solent, omissis tot obscœnis ac spurcitiis quibus Casuistæ nonnulli scripta sua contaminarunt, quæque ex ipso lumine naturali horribilia crimina satis intelliguntur.

Quæres itaque 1°. quæ potissimum peccata contra prolis suscipiendæ bonum a conjugibus committantur ?

R. Contra prolis suscipiendæ bonum peccant 1°. conjuges qui matrimonio utentes, exoptant inde prolem nec concipi nec nasci.

2°. Et quidem multo gravius, qui procurant abortum ; qui fœtum in utero extinguunt aut præmature ejiciunt, sive sit animatus sive non : qui impediunt ne concipiatur vel nascatur proles, sive medicamentis sive alimentis sive potionibus aut aliis viis id assequantur vel assequi conentur.

3°. Qui imitantur Onam qui retrahebat se antequam actum conjugalem consummasset, et juxta Scripturas *semen fundebat in terram*, ne liberi nascerentur, quem idcirco interfecit Dominus ; et hoc est voluntariæ pollutionis seu mollitiei detestabile scelus.

4°. Qui in crimina naturæ opposita prolabuntur, ut si mutetur naturalis usus fœminæ, ut loquitur Apostolus, quod est abominandum Sodomiæ crimen.

Quæres 2°. Quando uxor alterum Onam aut Sodomitam experitur in conjuge, qui extrema ipsamque mortem minatur, nisi acquiescat, potestne periculi vitandi causa nefariam illam libidinem permittere ?

R.

R. Non potest, quia nunquam licet consentire actibus per se malis. Hinc Clerus Gallicanus an. 1700. sub censuris gravissimis damnavit sequentem propositionem: *Potuisset Susanna tanto periculo infamiæ et mortis negative se habere et permittere in se libidinem, modo detestata et execrata fuisset.*

Ex iis sequitur nec in iis criminibus mulierem posse acquiescere conjugi qui minatur se in alia muliere quæsiturum esse voluptatem. Nunquam enim, juxta S. Paulum, facienda sunt mala ut inde eveniant bona. Quinimo responsum est a Doctoribus Sorbonicis ea de re consultis nec uxorem marito crimen Onæ posse permittere, etiam cum ipsa propria incontinentia cruciatur; tum propter rationes modo allatas; tum quia debet aliam, v. g. in bonis operibus, incontinentiæ medelam quærere. Quod si mulier incerta sit an maritus qui aliquando detestabilem Onam imitatus est, idem crimen renovaturus sit, ipseque se aliter acturum promiserit, excusabilis illa videtur, si accessum ad se permiserit.

Quæres 3°. an homicidium perpetrare censendi sint, qui procurant abortum, vel impediunt ne fœtus nascatur?

R. Vel fœtus est animatus, vel non.

Si fœtus sit animatus, tunc est verus homo, nec proinde dubium est quin homicidii sint rei qui illius abortum procuraverint, quoquomodo id peractum sit, sive medicamentis, sive potionibus, sive verberibus quæ ab immanibus quibusdam maritis aliquando uxoribus prægnantibus incutiuntur, sive uxorum intemperantia, imprudentia, saltationibus, immoderato labore, nimiis oneribus, sive quovis alio modo. Porro, juxta communem opinionem, fœtus censetur animatus circa diem a conceptione quadragesimum, si masculus sit, et circa octogesimum, si sit fœmina. Ab ipsismet Medicis improbatur opinio eorum qui contendunt fœtum, quandiu in utero materno delitescit, anima rationali non informari.

mari. Unde tanquam *scandalosam, erroneam, infandis homicidiis et parricidiis procurandis aptam* post Innoc. XI. Clerus Gallicanus damnavit sequentem cujusdam laxioris Casuistæ propositionem: *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eam habere, cum paritur, ac consequenter dicendum in nullo abortu homicidium committi.*

Si vero fœtus sit inanimatus, in rigore physico homicida non est qui illius abortum procurat, vel impedit ne nascatur; quia hominem non occidit. Eum tamen Homicidæ assimilant Ecclesiæ Patres virique docti et sapientes, quia si hominem non occidit, saltem impedit futurum hominem ac proinde crimen committit quod ad homicidium aliquo sensu reducitur: *Homicidii festinatio est,* inquit Tertullianus Apol. 9. *prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet.* Quidquid sit, certum est gravissimi sceleris reos esse qui fœtus etiam inanimati, quoquomodo fiat, abortum procurant, vel impediunt ne nascatur. Unde crimen istud Legibus civilibus ac canonicis sub pœnis gravissimis vetitum est. Hinc merito Clerus Gallicanus post Innoc. XI. an 1700. sequentem damnavit propositionem: *Licet procurare abortum, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.*

Quæres 4.° an liceat Medico fœtus abortum, adhibitis remediis, procurare, si propter fœtum in utero contentum mulier prægnans de vita periclitetur, nec aliud suppetat ad mulierem salvandam remedium?

Antequam respondeamus, notandum est abortum intendi posse vel directe vel indirecte. Directe quidem, ut si mulier potionem sumat eo fine ut prolem ex utero suo ejiciat. Indirecte, ut si quid faciat propter aliquem finem bonum, v. g. ad sanitatem recuperandam, sed unde per accidens et contra intentionem sequatur vel sequi possit fœtus ejectio. Notandum insuper, ut supra, fœtum alium esse animatum

animatum, alium inanimatum seu anima rationali carentum. His positis.

R. 1°. cum sanioribus Theologis, quos in hac periculosa ac difficili materia pedetentim sequar, nunquam licere quidquam præbere aut sumere ex intentione directa procurandi abortum, etiamsi agatur de matris fama vel etiam vita servanda; idque locum habet, sive fœtus sit animatus, sive non. Ratio est quia nunquam licet crimen directe intendere, atque hæc est omnium sententia, saltem quantum ad fœtum animatum.

Verum controvertitur inter Theologos an liceat aliquando, matris servandæ causa, fœtum indirecte abigere, præbendo matri pharmacum directe tendens ad ejus sanitatem, sed ita ut per accidens inde sequatur vel sequi possit perditio fœtus. Ut autem diluatur illa difficultas, diversi casus distinguendi sunt: nimirum vel mater aliter servari potest quam per ejusmodi remedium, eique alio modo succurri potest; vel aliter servari non potest, ex prudentum Medicorum judicio.

Si mater sine hujusmodi medicamento servari possit, patet ejusmodi remedium sine grave crimine non posse adhiberi sive fœtus animatus sit, sive non. Cum enim matri aliter succurri possit, ut supponitur, procul dubio vetitum est remedium tentare, unde sequitur vel sequi potest maximum malum, nempe fœtus animati vel inanimati perditio. Eadem de re nulla est nec potest esse controversia. Si vero mater aliter servari non potest quam per medicamentum, unde per accidens sequatur vel probabiliter secuturus sit prolis interitus, rursus distinguendum est. Vel enim certo constat ex prudentum Medicorum judicio, tum matrem tum prolem, nisi medicamentum adhibeatur, esse perituram, adeo ut neutrius servandi spes supersit; vel spes aliqua superest, extincta matre, infantem editum iri et baptizandum.

In primo casu, id est, quando certo constat tum matrem, tum prolem, nisi medicamentum adhibeatur

tur, esse interituras, potest tum matris tum prolis sublevandæ causa medicamentum dari et sumi, si fœtus sit inanimatus. Ratio est quia tunc abortus vel fœtus perditio neque sequitur ex intentione operantis neque ex intentione operis seu medicinæ, cum certum sit eum, etiam non adhibita medicina, esse periturum. 2°. Quia tunc consulitur vitæ matris cum lucro fœtus, qui, pereunte matre, certo peribit; eadem vero liberata, forte liberabitur. Ita communiter Theologi, Sylvius, Habertus, Comitolus, Colletus, &c.

Idem quoque dicendum est, in eadem hypothesi, si fœtus sit animatus. Cum enim in eo casu mater sit certo moritura et proles sine Baptismate extinguenda, nihil melius effici potest quam si uterque juvetur eo meliori quo fieri potest modo, videlicet adhibito remedio de se salutifero, ex quo quidem forte prolis interitus, sed unde fortassis sequetur matris salus temporalis, prolis vero salus temporalis simul et æterna. Ita Habertus, Colletus, Moralis Gratianopolitana.

In secundo casu, id est, si, post extinctam matrem, spes supersit infantem editum iri et baptizandum, non licet pharmacum præbere abortum promovens. Si enim quisque teneatur vitam exponere pro necessitate spirituali et extrema Proximi, certe id mater facere debet pro infantis æternæ salute. Aliunde nunquam licet innocentem occidere, nequidem ad servandam alterius vitam, cum nunquam facienda sint mala ut eveniant bona. Remedium tamen in gratiam matris adhiberi potest, 1°. si illud sit indifferens ad abortum, id est, neque illum provocet neque illum impediat. 2°. Si æquale sit periculum abortus, sive remedium sumatur sive non; tunc enim sine majori fœtus periculo matris vitæ consulitur.

Quæres 5°. an citra peccatum secari possit mulier, ubi certum aut saltem valde probabile est ea ratione servandam esse prolem?

R. Vel ejusmodi sectio ita fieri potest ut spes

supersit probabilis servandi matrem, vel non. Si prius, quod quandoque accidere dicitur, sectio licite fieri posse videtur propter rationes superius adductas. Si posterius, non licet. Quamvis enim mater vitam pro salute prolis exponere teneatur, nemo tamen licite potest ipsi etiam consentienti idcirco vitam eripere; et consequenter ipsa licite non potest consentire ut alter ipsi vitam adimat. Hinc non solent Chirurgi matrem, servandæ prolis intuitu, secare, nisi postquam e vivis excessit.

Quæres 6°. an liceat conjugibus se abstinere a conjugii usu, aut se quoad thorum separare, ne prole numerosiore graventur?

R. cum Haberto 1°. nec paupertatem nec liberorum multitudinem excusare a reddendo debito conjugali, cum petitur a consorte; nec licere a conjugii usu abstinere, sicut quoad thorum separari, nisi ambo conjuges in id consenserint; quia neuter habet potestatem sui corporis, ex Apostolo.

2°. Laudandi sunt quidem conjuges qui castitatis amore quoad thorum mutuo de consensu separantur. At sine singulari continentiæ dono temere hac de re paciscuntur. Compertum enim est plura et gravia ex ejusmodi pactione sequi incommoda, nisi ad eam provocet flagrans vitæ sanctioris desiderium: nimirum tepescit amor conjugalis, animorum nexus remittitur, individua societas minus placet, acrius pungunt ignei carnis stimuli, quibus conjuges vel in damnabiles corruptelas pertrahuntur, vel contabescunt. Hæc et alia mala prævidisse videtur Apostolus cum 1. Cor. 7. scribit; *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.* In Dei ergo providentia confidant pii conjuges; qui enim dat benedictionem uteri, dabit etiam benedictionem rei familiaris.

Obligatio

Obligatio prolis nutriendæ.

Teneri parentes prolem suam enutrire ac illius conservationi providere ipsa natura clamat, docetque instinctus naturalis ipsis brutis animantibus insitus. Quamvis autem in solidum teneantur conjuges prolem alere ac curam temporalem ipsis impendere, præcipue de prioribus annis tenetur mater, de aliis vero annis specialius pater.

Contra obligationem hanc peccant parentes, qui, quantum moraliter fieri potest, ea omnia non præstant quæ necessaria sunt ad vitam filiorum sustentandam ac conservandam. Igitur culpabiles sunt, 1°. qui a natis non removent, præsertim cum parvuli sunt, quidquid noxium esse potest. 2°. Qui victum, domum, vestem, medicamenta in morbis, imo, post mortem, congruentes funeris impensas iis denegant. 3°. Qui iisdem non provident in futurum, edocendo per se aut alios, si postulaverint circumstantiæ aut fortunæ tenuitas, artes vel opificium unde vivere possint. 4°. Qui dotem competentem natis suis denegant sive ad contrahendum matrimonium, si ad illum statum a Deo vocentur, sive ad ingressum Religionis, sive ad clericalis status Professionem, si status illos eligere maluerint. Ad hoc vero parentes jure naturali ac conscientiæ legibus, imo Jure romano teneatur; sed Jure gallico ad id cogi non possunt.

Quæres 1°. an teneatur mater prolem per se alere, et lacte proprio nutrire?

R. eam ad id sub peccato teneri, nisi infirma sit valetudine vel copia lactis sufficientis privetur, aut necessariis negotiis vel legitimis aliis impedimentis detineatur. Exemplum dederunt sanctæ mulieres, quas memorant Scripturæ. Sara nutrivit Isaacum, Rebecca Jacob, Anna Samuelem, mater Machabæorum filios, sancta Maria Christum. SS. Patres vehementer reprehendunt matres,

tres, quæ filios aliis mulieribus ad nutriendum tradunt. Ita Basilius Homil. 21. Chrysost. Homil. 50. in Psalmos. Gregorius, Ambrosius, &c. Pagani idem sentiebant, ut videre est apud Aulum Gellium lib. 12. Noct. atticarum.

Matres ad id teneri monet ipsa natura quæ nihil facit frustra, quæque lac ac nutriendos filios necessarium non dedit mulieribus nisi eo fine ut hoc officio fungerentur. De illo officio monentur mulieres ipso periculo imminenti iis fœminis quæ honorificum hocce munus refugiunt, variisque morbis qui iis accidere solent.

Cæterum si non possint proprio lacte filios nutrire, tenentur nutrices eligere non improbas, non iracundas, non temulentas, non impudicas; sed bonas et bene morigeratas; cum infantes non raro diversas nutricum affectiones cum lacte sugere tum experimento tum Medicorum judicio compertum sit.

Quæres 2°. quid de iis parentibus sentiendum sit, qui proprios exponunt filios?

R. eos gravissime contra Legem naturalem et humanam peccare, nisi summa fuerit eorum inopia. Ita universi Ecclesiæ Patres. Lactantius lib. 1. Instit. cap. 20. de iis sic loquitur: *Quantum in ipsis est, crudelius necant quam si strangulassent.* Curiæ supremæ corporeas pœnas matribus prolem exponentibus infligere solent.

Dixi, *nisi summa sit parentum inopia.* Si enim tanta sit inopia parentum ut puerorum necessitatibus subvenire nequeant laboris, industriæ aut eleemosynarum subsidio, citra peccatum possunt prolem exponere; sed debent prius, nisi obstet aliunde causa legitima, Magistratum aut Orphanotrophiis Præpositos adire et statum suum aperire, eumque puerum quem inviti a se abjiciunt ut suum agnoscere, aut data schedula aut alio modo.

Ex dictis colliges eas fœminas aut puellas quæ impudicitiæ velandæ causa prolem ex concubitu illicito

illicito natam exponunt, quam suis sumptibus alere possent, teneri Orphanotrophiis restituere sumptus qui in ejus nutritionem impensi sunt.

Quæres 3°. an peccent matres et nutrices, quæ pueros secum in eodem lecto cubantes collocant?

R. parentum ea de re negligentiam sæpe culpam esse lethiferam propter suffocationis periculum. Id expresse vetant Canones. Quod si suffocatio aut oppressio secuta sit, crimen est in omnibus fere Galliæ Diœcesibus reservatum.

Obligatio prolis instituendæ.

Sæpissime contingit ut parentes bona temporalia, honores, divitias filiis suis procurent, parum vero de religiosa eorum institutione solliciti sint. Eos tamen prolem suam religiose instituere, non minus quam alere, teneri probatur 1°. ex Scripturis. Eccl. 7. *Filii tibi sunt, erudi illos et curva illos a pueritia eorum.* Eph. 6. *Vos patres, educate illos in disciplina et correptione Domini.* 1. Timoth. 5. *Si quis suorum et maxime Domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est Infideli deterior.* 2°. Ex SS. Patribus quorum testimonia in re evidenti et a nemine controversa referre supervacaneum est. 3°. Ex ipso fine matrimonii quod ad Sacramenti dignitatem non alia ratione evectum est, nisi ut multiplicaretur genus Sanctorum, Christo filii Cœloque cives nascerentur. 4°. Tandem ex calamitatibus ac pœnis quibus vulgo gravantur parentes qui filiorum educationem negligunt.

Quæres in quo posita sit spiritualis parentum erga filios educatio?

R. 1°. teneri eos curam omnem impendere ut quamprimum sacro Baptismatis lavacro regenerentur infantes, Fidei elementa, Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Symbolum Apostolorum, doctrinam Sacramentorum, Religionis exercitia, officia morum tum erga Deum, tum

erga proximum, tum erga parentes, tum erga patriam, tum erga se ipsos addiscant. Quod si parentes id per se non valeant, debent ad hæc munera seligere Pædagogos qui suo, ut par est, officio fungantur, moribusque puerorum informandis idonei judicentur.

2°. Maxime parentibus curandum est ut parvuli cultum Deo debitum exhibeant, divinis officiis intersint, peccata deponant, Sacra frequentent, malorum consortia devitent, libros bonis moribus aut Religioni contrarios horrescant, terrenas voluptates rejiciant, ornatus indecoros, præsertim si puellæ sint, choreas, comœdias et alia similia morituræ castitatis indicia fugiant.

3°. Tenentur parentes in instituendis pueris, si alia via non suppetit, correctionem paternam adhibere, juxta illa Scripturæ verba, Prov. 23. *Noli subtrahere a verbo disciplinam ; si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* E memoria tamen eorum nunquam excidat virtutes verborum suavitate potius quam asperitate mentibus puerorum infigi, repetitisque verberibus animos dejici et obrui. *Patres*, inquit Apostolus Colos. 3. *nolite ad indignationem provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant.*

4°. Multo magis parentes tenentur pueris virtutum exempla præbere, *cum validior sit*, inquit sanctus Bernardus, *operis quam oris vox*, cumque vehementius et diutius moveant exempla quam verba : *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas*, inquit S. Cyprianus Lib. de Lapsis versus initium.

Obligatio Sacramenti Matrimonii sanctitatem observandi.

Quæres 1°. quænam peccata matrimonii sanctitatem potissimum lædant ?

R. matrimonii sanctitatem lædi peccatis prius expositis

expositis, quæ nimirum pugnant contra fidem conjugalem, nec non contra obligationem prolis suscipiendæ, nutriendæ, religiose instituendæ. At sunt alia multa, quæ eamdem insigniter offendant.

1°. Ea cuncta quæ efficiunt indignam aut sacrilegam matrimonii perceptionem, ut si conjuges ad illud in statu peccati mortalis accedant, bonum temporale primario intendant, pravo fine moveantur, vel ad illud tanquam ad profanum spectaculum accedant, adhibitis lúxu, choreis, flagitiosis conviviis, colloquiis, cantilenis a pudore alienis et amorem impudicum spirantibus, quæ cum in Ecclesia sint heu nimium frequentia, non est unde miremur tam infausta esse plura Christianorum conjugia.

2°. Matrimonii sanctitatem offendunt quæcumque individuam conjugum societatem perturbant, ut rixæ, tumultus dissensiones, querelæ, perpetuæ obmurmurationes. Unde fit ut matrimonium nonnullis sit quædam pœna anticipata inferorum, seu loci illius in quo *nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Summa igitur attentione conjuges advertere debent matrimonium esse unionis Christi cum Ecclesia signum, Mulieres igitur *viris suis subjaceant in omnibus,* quæ non sunt præceptis divinis vel rationi contraria, sicut *Ecclesia subjecta est Christo.* Viri autem *uxores suas diligant, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Mulier sollicita sit *quomodo placeat viro, vir quomodo placeat uxori.* Neuter alterius animum exacerbet, uterque utriusque injurias æquo animo ferat, mutuo amore, mutuis officiis et obsequiis conjuges ambo sese prosequantur, ut in hac vita pacem et in altera felicitatem æternam habeant.

3°. Matrimonii sanctitatem lædunt conjuges qui eo utuntur libidinis causa, vel instar equorum et mulorum, vel intemperantius, tamque frequenter ut inde animus ita carni sit immersus ut ad Deum per orationem assurgere nequeat, vel impediantur tempora

tempora ad orationem cultumque Deo debitum necessaria.

Quæres 2°. an teneantur conjuges certis diebus ab usu matrimonii abstinere?

R. 1°. adhortandos esse conjuges ut diebus orationi consecratis, diebus v. g. festivis et dominicis, a tali usu temperent, juxta illud Apostoli: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus ut vacetis orationi.*

R. 2°. non solum non peccare conjugem qui his diebus debitum reddit, imo peccare, si non reddat serio et enixe petenti, ut satis patet et prælaudatis Apostoli verbis, *nolite fraudare*, &c. Aliunde, debitum denegando, incontinentiæ periculo consortem exponeret.

R. 3°. sentire multos Theologos post plures Ecclesiæ Patres, conjugem qui diebus festivis, præsertim solemnioribus, debitum petit, peccare, sed venialiter tantum, nisi peccatum ex circumstantiis, v. g. ex contemptu temporis sacri vel alio perverso fine, mortale fiat. Imo Sylvius docet in 3. p. q. 80. art. 7. petitionem hisce diebus non esse culpabilem, si causa prolis nec ullo fine deordinato fiat. Sed negari non potest quin saltem illa sit indecens et aliquid habeat dierum illorum sanctitati parum congruum.

Quæres 3°. an qui matrimonio usus fuerit, ad sacram synaxim licite accedere possit?

R. multo decentius esse ut abstineat. Si tamen, inquit Sylvius, "sit justa aliqua causa cur his etiam "diebus quibus matrimonio usus est, Communio-"nem adeat, ut festi salemnitas, dies devotionis..... "poterit is præsertim qui tantum reddidit, ad Eu-"charistiam accedere absque ulla culpa; et quan-"doque etiam qui petit, si petiit causa prolis. Qui "vero venialiter deliquit in petendo, sæpe veniali-"ter peccabit, eodem die communicando, nisi "causæ aliquæ rationabiles indecentiam resarciant." Cæterum, sicut nec diei solemnitas, sic nec Communio excusat a redditione debiti, si dilatio comparti suaderi non potest.

Quæres 4°. quid sentiendum sit de tactibus obscœnis inter conjuges?

R. Sambovius ea de re consultus reposuit 1°. tactus inhonestos, si exerceantur cum periculo pollutionis, esse peccata lethalia. 2. Eos nullatenus esse peccata, si absque pollutionis periculo adhibeantur ut necessarii ad usum matrimonii, nec pravo fine fiant, quia conjuges tendunt ad aliquid honestum. Si tamen perverso motivo, v. g. propter voluptatem exerceantur, sunt culpæ veniales, etiamsi ad matrimonium ordinentur. 3°. Si non adhibeantur in ordine ad usum matrimonii, nec adsit pollutionis periculum, sunt culpæ veniales, juxta eumdem Doctorem, quem sequuntur alii Theologi, qui tamen confitentur esse quosdam tactus adeo turpes et infames ut a mortali excusari nequeant, sive ad matrimonium referantur, sive non.

§. 3. *De Matrimonii effectibus et dispositionibus ad illud contrahendum requisitis.*

Cum hujus Tractatus exordio comprobatum sit Matrimonium esse Sacramentum, inde probatum manet illud Gratiæ producendæ virtutem habere. Gratia vero quam producit non est Gratia sanctificans prima quæ justum facit, sed secunda quæ justitiam auget, cum non sit Sacramentum mortuorum sed vivorum. De iis nulla controversia.

Quæres 1°. quinam sit Gratiæ sanctificantis in matrimonio collatæ effectus, seu quibusnam malis illa Gratia medeatur?

R. constare ex Tractatu de Sacramentis in genere Gratiam sacramentalem esse jus fundatum in Gratia sanctificante, ut tempore opportuno recipiantur auxilia quibus obtineri possint fines ad quos institutum est Sacramentum. Cum itaque Matrimonii Sacramentum institutum sit 1°. ut conjuges sese mutuo diligant, mutuas infirmitates preferant, 2°. ut prolem habeant quæ in Dei timore instituatur, quæque crescat, proficiat, et ad æternam felicitatem

tatem perveniat, 3°. ut concupiscentiam coerceant, juxta castitatis ac temperantiæ leges, dubium non est quin ad illos fines assequendos Gratiam accipiant conjuges qui ad Matrimonii Sacramentum cum legitimis dispositionibus accedunt.

1°. Efficit Gratia Matrimonii ut conjuges sese mutuo diligant: *Viri* inquit Apost. Ephes. 5. *debent diligere uxores ut corpora sua...nemo enim carnem suam odio habuit.* Propter autem illum mutuum amorem quo Christi cum Ecclesia unio repræsentatur, tenentur conjuges mutuas infirmitates, tribulationes, ærumnas, calamitates patienti animo ferre, rixas et dissensiones devitare, *fortis enim ut mors dilectio, nec flumina adversitatum obruent illam.* Cant. 8. Propter eumdem amorem tenentur conjuges sese mutuo fovere, adjuvare, viri uxores infirmiores diligere ut corpora sua, uxores viris adhærere ut membra suo capiti. Porro si ad hæc teneantur, id procul dubio possunt, sed non a se ipsis; ergo a Gratia Sacramenti.

2°. Cum conjuges in matrimonio prolem quærant non ut nascatur tantum, verum longe magis ut per Baptismum renascatur, pie ac religiose instituatur, dignaque regno Cœlorum efficiatur, dubium nullum est quin Sacramento Matrimonii conferantur auxilia specialia ad liberos in pietate instituendos, et totam familiam religiose administrandam; nec pari ratione dubium quin Gratia conferatur ut nihil efficiatur quod prolis conceptioni noceat, vel conceptam perimat, vel quoquodmodo impediat gentis sanctæ et filiorum adoptivorum multiplicationem.

3°. Cum ex Evæ et adami peccato nata sit concupiscentia, quæ nuptias enormiter deturpavit, quaque fit conjuges re bona male utantur, dubitari nequit quin Gratia conjugalis huic malo remedium afferat et virtutem habeat efficiendi ut coujuges sese diligant, *sicut Christus dilexit Ecclesiam*, ac proinde amore casto, sicque conjugale officium caste et moderate expleant, fidem conjugii inviolate servent, omnemque immunditiam fugiant. Atque utinam ii

qui

matrimonii statum amplectuntur, Gratiis huic Sacramento annexis bene semper uterentur.

Atque hos esse effectus Gratiæ in Sacramento Matrimonii collatæ confirmatur ex Libris ritualibus, ubi Sacerdos nuptiis benedicens *Deum precatur ut det sponsis temperantiam...ut corroboret illos, ut simul perfectam animæ et corporis custodiant castitatem, ut det illis pacificam conversationem, charitatem mutuam... ut sit inter ipsos vera pax, concordia, tranquillitas... ut dies suos in felicitate transigant, descendant super illos benedictiones cœlestes ut illis det filios benedictionis et sanctitatis...ut quod generatio ad Mundi ediderit ornatum, regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum.*

Quod si quis de hujus Sacramenti effectibus dubitare velit, ex eo quod experientia compertum sit plerosque, in facie Ecclesiæ conjugatos, bonis antea recensitis carere, sæpeque Gentilibus ipsis infeliciores ac nequiores vivere, discat ille id fieri, non quod Sacramentum Matrimonii sit Gratia inefficax, sed quod conjuges ad istud accedant male dispositi, vel libidinem, vel divitias, vel fœderis opulenti splendorem, Deum vero fere nunquam intendentes; vel quod Gratiam in Sacramento receptam nefario violent.

Quæres 2°. quænam dispositiones ad Gratiam hujus Sacramenti recipiendam requirantur?

R. 1°. multas ex illis jam nos attigisse in hujus Tractatus decursu, ubi disseruimus de sponsalibus, bannorum proclamationibus, impedimentis sive dirimentibus sive prohibentibus, parentum consensu.

R. 2°. præterea necessarium esse ut conjuges ad illum statum divinitus vocentur, Fidei rudimenta, Symbolum Apostolorum, Orationem dominicam, præcepta Dei et Ecclesiæ, Sacramentorum doctrinam sciant, cum deinceps filios edocere teneantur. Unde Parochus, si opus sit, debet contracturos de iis interrogare, sicut de matrimonii sanctitate, christiana liberorum educatione, &c. Insuper cum Matrimonium sit Sacramentum vivorum, requirit in suscipiente Gratiam sanctificantem. Hinc Fideles

sive

sive in documentis publicis, sive etiam privatim, si expediat, a Parochis monendi sunt ut antéquam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, lithalium quorumcumque peccatorum maculam abstergant, et ad Sacramentum Eucharistiæ pie accedant, nec legitimarum dispensationum defectu infaustas nuptias ineant, ex quibus infinita mala exoriri solent.

FINIS.

First years Divinity

Class 1839-40

Messrs O'Doherty McGuire
Fanelli O'Reilly
Moyan
B. Mooney
~~Power~~
Whittle
Meany
~~P~~ Power Barry
Power
Linehan
Phelan
McCormick
Laddon
O'Sullivan
O'Driscoll
Gillyan
Geehan
Ryan
Murphy
Doyle
Reilly
Ryan
Hannally
Ryan.

RESTRICTED
CIRCULATION
Return to the
Librarian's office

June 11th 1847